UNIVERSIDAD

Est. 77 / 4
Tav.
N.° 24

HORTUS

ELTHAMENSIS.

HORTUS ELTHAMENSIS

SEU

PLANTARUM RARIORUM

QUAS IN HORTO SUO

ELTHAMI IN CANTIO

COLUIT

VIR ORNATISSIMUS ET PRÆSTANTISSIMUS

JACOBUS SHERARD

M. D. SOC. REG. ET COLL. MED. LOND. SOC.

GUILIELMI P.M. FRATER,

DELINEATIONES

ET

DESCRIPTIONES

QUARUM HISTORIA VEL PLANE NON, VEL IMPERFECTE

A REI HERBARIÆ SCRIPTORIBUS

TRADITA FUIT.

AUCTORE

JOHANNE JACOBO DILLENIO

M. D.

BIBLIOTECA DA UNIVERSIDADE DE COIMBRA
15736
UNIVERSIDADE DE COIMBRA
JARDIM BOTÂNICO

LONDINI

SUMPTIBUS AUCTORIS.

MDCCXXXII.

A-5-

MDCCXXXII.

SUMPTIBUS AUCTORIS

LONDINI

M. D.

IOHANNE IACOBO DILLENIO

MEDICINÆ

PROFESSORE

ET

REGIÆ HERBARIÆ SCRIPTORIBUS

QUARUM HISTORIA VEL PLANE NON VEL IMPERFECTE

DESCRIPTIONES

ET

DELINEATIONES

GULIELMI MORAYEN

M. D. SOC. REG. ET COLL. MED. LOND. SOC.

IACOBUS SHERARD

VIR ORNATISSIMUS ET PRÆSTANTISSIMUS

COMITI

DE HARRINGTON

QUAS IN HORTO SUO

KARTHUSIANO

PLANTARUM

SEU

ELTHAMENSIS

HORTUS

PRÆFATIO.

LAxandi animi gratia, ruri ſubinde apud D. JACOBUM SHERARDUM degens, quum Vir Ornatiſſimus Hortum inſtruxiſſet, plurimis non tantum Europæis, ſed & multis Exoticis plantis rarioribus refertiſſimum, ne otium foret infructuoſum, quas interdum novas, aut non bene deſcriptas obſervabam, ſuaſore & auctore fratre ejus, D. GUILIELMO SHERARDO P. M. deſignavi & deſcripſi.

Id egi primum lentius, dein, increſcente plantarum numero, contentius. Natura autem rei moram injiciebat; nempe nec omnes, nec ſingulæ, quæ e diverſis orbis terrarum, præſertim calidioribus, plagis afferuntur, plantæ flores dant, quædam protrahunt, aliæ plane recuſant. Deinde, quoniam quas chartæ mandaram, æri etiam inſcribere volui, factum eſt, ut ob magnitudinem laboris tot impenſi fuerint anni: his vero rebus operam dare incepi ab anno 1724. ad hunc uſque annum 1732. prioribus quidem annis ſubſecivo tantum tempore, poſterioribus magna diligentia continenter. Quæ cauſſa eſt, quamobrem quædam a me deſcriptæ & depictæ plantæ ab aliis, qui repente per faſciculos, vel & ſeorſum agunt, antequam potuerim, fuerint publicatæ; quod tantum abeſt, ut ægre feram, ut potius minime curem.

Nec vero omnes, quas Hortus ille alit, rariores, immo ne quidem novas omnes exhibere licuit; partim quod plures in flores nondum eruperint, &, cujuſnam generis forent, incertum ſit; partim quod quarundam plantarum flores fugaces eſſent, ego autem

Lon-

Londini degens ſeptimo ab Horto lapide diſtarem, quandoque etiam peregre abeſſem; partim multitudine florentium nonnunquam obrutus.

Si Meſembryanthemi, Ficoides vulgo dicti, genus excipias, pleræque omnes hujus Libri plantæ cum floribus & fructibus ſuis, quoad eorum conſpiciendorum copia erat, depictæ ſunt; quin nec Meſembryanthemorum, quorum flores mihi nondum viſi ſunt, numerus ternarium, vel quaternarium excedit. Malui autem horum figuras potius imperfectas, quam nullas exhibere, ne, ſi pereant, memoria eorum intercidat. Altera erat ratio, quod, quam multas poſſem, figuras dare conſtitutum erat, ut elegantis hujus, digne nondum tractati, plantarum generis hiſtoriæ ſpecimen extaret. Quamvis enim multarum jam ſpecierum figuræ, quarum nonnullæ ſatis laudabiles, proſtent, non paucæ tamen nævos ſuos habent, deſcriptiones vero plerarumque imperfectæ ſunt; & quoniam eæ per varios Auctores diſperſæ jacent, non inutilem me laborem ſuſcepiſſe ſpero, quod omnes, quæ nobiſcum gliſcunt, una opera exhibuerim.

Quantum ad Deſcriptiones attinet, ab Hortenſibus, ut titulus Operis docet, plantis deſumptæ ſunt; quas quidem, quam potui, ſtudioſe conſignavi, nec tamen eas ad ſpontanearum perfectionem accedere exiſtimo.

Non dubito autem fore, quin ſint, qui me prolixitatis arguant; & ſane fateor, potuiſſe me brevioribus expedire. Quoniam vero pervolutionis Libri ratio erat habenda, ut ſingulis figuris ſuæ reſponderent deſcriptiones, aut ſicubi plures una plantas Tabula caperet, ut non longe ab invicem diſtarent, curandum erat. Quæ mihi præcipua cauſſa fuit, quamobrem plenas ſuccinctis deſcriptionibus prætulerim, quamvis ipſæ deſcriptiones, ſi ſubinde proœmium, obſervationes criticas & Synonymorum enumerationes demas, admodum prolixæ non ſint; ne memorem, deſcriptiones curtas & non ſatis accuratas, etiam ubi proſtant figuræ recentiores, dubias nobis quaſdam reddidiſſe ſtirpes. Spero quidem me facilius hac

in

in re a Lectoribus meis veniam impetraturum, quam ab Emptoribus expectare potuiſſem, ſi ſemiplenas, vel & vacuas, quas nonnulli Libri Botanici habent, chartas obtruſiſſem. Id monere neceſſarium videtur, deſcriptiones has diverſo tempore, prout fors plantas obtulit, conſcriptas fuiſſe; quo factum eſt, ut quædam ſubinde, generalia nempe, irrepſerint & repetita fuerint, quæ ſi eodem tempore obviam veniſſent ſpecies, omitti vel contrahi potuiſſent, deinde vero, ne filum deſcriptionis interrumperetur, delere abſque retractationis & tranſcriptionis labore non erat facile. Sed hæc pauca ſunt.

TAMEN vereor, ne ſint alii, qui brevitatem culpent. Ego vero ita ſentio: minutiora & lineales dimenſiones non neceſſarias videri in plantarum deſcriptionibus, operoſas etiam illas explanationes, ut nonnullorum noſtro tempore mos fert, nec fructuoſas, nec jucundas eſſe, quin potius tædium, quod cavere ſtudui, afferre.

FORTASSIS & videbor quibuſdam plantas nonnullas notas & vulgatiores deſcripſiſſe; de his, quod ulterius afferam, non habeo, quam quod ad ſingularum deſcriptiones dixi, ubi rationes me dediſſe ſufficientes exiſtimo, quare eas, quæ multæ non ſunt, aggreſſus fuerim.

Figuras, niſi ubi monetur, omnes magnitudine naturali ad vivum delineavi; de quibus eorum, qui & plantas noſcunt, & deſignatoriæ artis non ignari ſunt, judicium eſto: me quidem, ut eſſent accuratæ, omnem adhibuiſſe operam, mihi conſcius ſum: ſane quum eas accurate deſignatas perſuaſus eſſem, ut & tales cuſæ proſtarent, me non piguit chalcographiæ laborem, quamvis moleſtum, ſubire. Ceterum figurarum Tabulæ ita comparatæ ſunt, ut vel peculiari Volumine ſeorſum compingi poſſint, vel, quod commodius videtur, ut ſingulæ ſuis deſcriptionibus inſeri queant, idque vel una opera & eodem Volumine, vel duobus, ſi moles & onus unius Voluminis diſpliceat. De quibus figuris unum monere reſtat; nempe quoniam eæ vario tempore conſignatæ & æri inciſæ fuerunt, factum eſt, ut

quaſdam

quaſdam minores ſeorſum ex ordine alphabetico, quem ſequutus fui, exhibere neceſſe habuerim, quarum aliquot eadem Tabula, ſi eodem tempore obviam factæ fuiſſent plantæ vicinæ, potuiſſent comprehendi; enimvero multæ eæ non ſunt, & aliis Tabulis, quæ duas treſve continent, abunde compenſantur.

SYNONYMA, ſi quæ proſtarent, diligenter recenſui; qua in re & in conferendis ſpeciebus magno mihi adjumento fuerunt Bibliotheca & Hortus Siccus D. GUILIELMI SHERARDI, Patroni & Amici mei æternum honorandi; ex quibus ſi quid utilitatis ad Lectores noſtros redundaverit, tantum debent memoriæ laudati Viri, quantum & illi & ego debemus PATRONO HORTI, plantas vivas magno ſtudio & ſumptu colenti, & earum uſum benevole concedenti.

Scribebam Londini, Calend. Novembr.
ex Area majore, Arci Londinenſi,
Great Tower-Hill dicta, adjacente.

PLANTA-

PLANTARUM RARIORUM

UNIVERSIDADE LIVRARIA

HORTI ELTHAMENSIS

DESCRIPTIONES ET ICONES.

ABUTILON ALTHÆODES, FLORE CARNEO, FRUCTU GLOBOSO. Tab. I. Fig. 1.

ABUTILON vulgare an recte dicatur, ſitque verum *Avicennæ* Abutilon, non lubet hic diſquirere; ſufficiat indicaſſe, Abutili nomine id genus plantæ nobis intelligi, quod vulgo receptum eſt, & cujus characterem dedit *Tournefortius Inſt. Rei. Herb.* p. 99. Ejus vero notis characteriſticis merito addi debet, quod calyx in pleriſque ſpeciebus ſimplex ſit, in quinque ſegmenta ad baſim uſque diviſus; in aliis veluti duplicatus, exterior triphyllos, interior monophyllos, in quinque ſegmenta ad baſim fere diviſus.

Præter vulgarem ſpeciem, quam locis humentibus in Italia naſci Anguillara, Lobelius & C. Bauhinus obſervaverunt, non alia ſpecies, quæ in Europa ſponte naſcatur, adhuc innotuit, verum omnes, quarum notitia ad nos pervenit, ex Indiis tranſmiſſæ fuerunt. Ex his primum do locum eleganti ſpeciei, cujus nec deſcriptio, nec figura, immo nec nomen, quantum memini, a quoquam traditum eſt; quam Abutilon althæodes flore carneo, fructu globoſo voco.

Ante enim quam in fructum abeat hæc planta, Althææ ea tam ſimilis, ut ejus vera ſpecies, ſi quidem diſtinctum Althææ genus admittas, videatur. At fructus longe diverſus genuinam Abutili ſpeciem demonſtrat, quamvis & is peculiaris ſit, & non parum ab aliis differat. Is vero e folliculis conſtat, plura uno ſemina reniformia continentibus; qui folliculi, vel vaginulæ, in capitulum globoſum tam arcte congeruntur, ut nullum fere hiatum admittant, nec in ſummitate corniculis, ut in vulgari Abutilo, extantibus armantur, ſed lene & æquabile ſphæricum capitulum efficiunt. Qua ratione & floris colore, petaliſque cordatis & foliis a vulgari & aliis ſpeciebus inſigniter differt hæc ſpecies.

Ceterum proceri huic ſpeciei ſunt caules, ad decem & amplius pedum altitudinem excreſcentes, recti, pollicem & amplius parte inferiori craſſi, teretes, cortice cinereo villoſo veſtiti, e quibus rami naſcuntur pauci, ſurrecti, graciles, & in his folia, pediculis longis teretibus inſidentia, craſſa, plana, vel modice ſaltem cava, mollia, incano tomento tota obſita, Althææ foliis ſimilia, ſed in angulos profundiores diviſa, per margines obtuſe ſerrata, e quorum alis ſuperioribus in oblongis villoſis teretibus pediculis flores naſcuntur mediocres, carnei, ſtriati, quorum petala vel ſegmenta cordata ſunt, in quorum medio ſtat columna brevis, in tenuibus curtis ſtaminibus apices primo ſubfuſcos, dein nigricantes ferens, ſtyli vero capillacei e columnæ ſummitate exeunt reflexi, quibus evanidis capitula ſubnaſcuntur talia, qualia ſupra demonſtrata ſunt, globoſa nempe, ſtriis vel ſulcis ſuperficialibus diſtincta, coloris luride purpuraſcentis, per maturitatem tenuiter villoſa, folliculis compreſſis tum magis liberis quam ab initio, coloriſque pallidi & exoleti.

Calyx veluti duplex eſt; interior nempe monophyllos, in quinque ſegmenta ad ſui medium diviſus; exterior tryphyllos, e tribus nempe laciniis, pediculo annexis, conſtans. A quo calyce nec in hoc, nec in Malvæ, Althææ Alceæve genere notæ certæ deſumi queunt, cum admodum variet, & Malvæ dentur calyce & ſimplici & duplici, exteriori multifido anguſto, interiore quinquefido latiore præditæ, & Althææ ſint calyce exteriore latiuſculo, Alcearum inſtar trifido, cum vulgaris ſpecies exteriorem calycem anguſtum multifidum habeat.

Ceterum fieri ſolet in hac planta, ut flores modo ſolitarii, modo gemelli & plures in eodem communi pediculo naſcantur; qui poſterior modus naſcendi magis naturalis videtur, cum in Phytophylacio Sherardino ſervetur exemplar loco natali lectum, plures in ſummitate congeſtos flores obtinens.

Sponte autem naſcitur hæc planta in rupibus Providentiæ, ſinus Bahamenſis inſula, unde ſemina attulit *Marc. Catesby*, ex quibus natæ plantæ tertio poſt ſationem anno in Horto Elthamenſi flores & fructus tulere Julio menſe, Anno 1728, & ſequentibus annis; perennis enim planta eſt, & ſublignoſa fit, ſpecie arborea, ramis licet paucioribus, & in ſuperiore tantum parte enaſcentibus, prædita.

Ut omnia clarius innoteſcant, figura marginali prima fructus, ſecunda & tertia fructus folliculi, quarta, quinta & ſexta, ſemina ſeorſum delineata ſunt.

Fig. 1.



BIBLIOTHECA DA UNIVERSIDADE

Abutilon althæodes, flore carneo, fructu globoso.

P.3. F.2. T. II.



Abutilon Lavateræ flore, fructu cristato.

ABUTILON LAVATERÆ FLORE, FRUCTU CRISTATO. Tab. II. Fig. 2.

OB calycem ſimplicem, nec Malvæ, nec Lavateræ generi poteſt annumerari elegans hæc plånta, præſertim quod & fructus ab utroque genere diverſus ſit ; Abutilo autem calyce & florum naſcendi modo proxime accedit, nec fructu tantopere differt, ut hujus generis ſpecies cenſeri nequeat. Neque enim omnibus Abutili ſpeciebus fructus de ſummitate dehiſcit, nec capſulæ ſemper plura uno continent ſemina. Monoſpermæ autem ſunt hujus plantæ capſulæ, & a parte interiori horizontaliter aperiuntur. Fructus totus planus, criſtatus, rugoſus & crinitus eſt ; nempe capſulæ radiatim eleganter diſponuntur, & ſingulæ in mucronem utrinque producuntur, quarum altera pars intus excavata umbilicum fructus, altera ſolida calycem ſpectat, & calcaris inſtar extat, ſubtus autem ligula aliqua continuatur concava, qua umbilico connectitur, & inter has duas partes umbilicum ſpectantes, tanquam in roſtro quodam, ſemen continetur apiculatum, ad reniformem figuram accedens, coloris per maturitatem fuſco-nigricantis. Fructus ab initio cohæret, & ſuperior ejus ſuperficies multis pilis e capſularum dorſo orientibus, & a capſula ad capſulam pertingentibus hirſuta fit, per maturitatem autem pili ſurſum ſpectant, & capſulæ non tantum ab invicem ſecedunt, ſed & bifariam ab umbilico fructus, modo ſupra demonſtrato, dehiſcunt.

Flores in tenuibus longis pediculis e foliorum alis naſcuntur ſolitarii, ſatis ampli, Lavateræ figura & colore, ſed nonnihil minores, petalis in medio ſinuatis, ſtriis ſecundum longitudinem ductis exarati, quibus evanidis fructus ſubnaſcitur talis, qualis ſuperius deſcriptus eſt, calyce ab initio connivente, dein expanſo cinctus, ſimplici, monophyllo, in quinque ſegmenta ad ſui medium, vel paulo altius, inciſo, nullis in inferiori parte ligulis appoſitis, brevi vero a calyce diſtantia nodus quidam in pediculo conſpicitur, & pediculus ad fructus augmentum multo longius excreſcit, & reclinatus fit, cum antea erectus eſſet.

Caules teretes ſunt, non multum ramoſi, erecti, ad cubiti & amplius longitudinem excreſcentes, ad quorum alas folia naſcuntur, inferius latiora & rotundiora, ſuperius anguſtiora & leviter anguloſa, Malvæ ſtellatæ *J. B.* ſimilia; & e foliorum alis alia foliorum minorum ſoboles enaſcitur. Tum folia, tum caules, tum pediculi, ſed præcipue calyces piloſi ſunt ; licet autem folia piloſa ſint, limbi tamen eorum minus piloſi obſervantur.

Floruit primum Novembri menſe Anno 1725, in Hybernaculo, dein ſequentibus annis maturius, tota fere æſtatis parte poſteriore, & ſemina ſua quotannis maturavit, hisque ſe ipſam, nam annua eſt planta, ſuſtentavit ; quæ ſemina ex Mexicanæ provinciæ metropoli cum aliis rarioribus primum tranſmiſit *D. Steveníon.*

Figura marginali prima fructus totus e calyce exemptus, figura ſecunda, tertia & quarta capſulæ vario ſitu, quinta ſemina ſeorſum exhibentur : figura ſexta folium inferius denotat : ſeptima ramus eſt ab adultiore planta, in qua folia anguſtiora & magis anguloſa fiunt, nam primaria figura, ad plantam quæ non tam diu in flore fuit, facta eſt.

ABU-

ABUTILON PERIPLOCÆ ACUTIORIS FOLIO, FRUCTU STELLATO. Tab. III. Fig. 3.

FRUTICULI licet ſpeciem induat, cubitalem tamen & ſeſquicubitalem non multum ſuperant hujus Abutili caules altitudinem, digitali circiter ad baſim craſſitie prædiți, ramis mox ab imo caule crebris ſurſum in obliquum porrectis, quorum alis folia adnaſcuntur, Periplocæ Monſpeliacæ foliis acutioribus *Inſtit. R. Herb. p.* 93. ſimilia, ſed in longiorem mucronem producta, ad pediculum vero non æque excavata, ſuperne viridia, inferne pallidiora, ex albicante ſubglauca, venis obliquis, & tranſverſis ab obliquis ductis exarata, quæ folia ſuperiora verſus & in extremis ramulis ſenſim minora redduntur, per margines plerumque undata, & tandem anguſta capillaceaque prope ſummos pediculos fiunt. Ceterum folia ſupina parte glabra ſunt, prona tenui lanugine obſita, præcipue minora & anguſtiora folia, quæ villoſa tandem fiunt, cujusmodi & foliorum pediculi, rami & ipſi caules obſervantur.

Capitula & flores ſecundum ramulos e foliorum alis plures ſubnaſcuntur, pedicellis oblongis gracilibus non villoſis inſidentes, per margines tenuiter crenati, nunc albicantes, nunc ex albicante flaventes, Abutili veſicarii criſpi, floribus melinis parvis ſimiles, ſed aliquantum minores, fugaces, & non niſi ſole fervente explicabiles, quin, ni tempeſtas faveat calida, ante quam aperiantur, flores plerumque decidunt.

Fructus peculiaris; nam is quinquangularis eſt, & per maturitatem in quinque in ſummo radios ſtellatim, Damoſonii inſtar, dividitur, cujus capſulæ a parte exteriori, velut in reliquis Abutili ſpeciebus, dehiſcere incipiunt, & dein profundius, quam aliarum, dividuntur, in quibus unum alterumve ſemen reniforme ſubfuſcum & rugoſum latet. Qui fructus maturi figura marginali prima, ſecunda & tertia ſeorſum appicti ſunt; prima nempe dehiſcere incipiens, ſecunda plene dehiſcens, tertia maturus quidem & ſiccus, eaque de cauſa minor & contractus, ſed non hians: figura quarta ſemina demonſtrat, quinta folium inferius.

Auguſti fine floruit, Septembri & Octobri ſemina maturavit hæc ſpecies, quæ ſemina rarius quidem & pauca tantum capitula profert, in quibus calyces in decem ſegmenta diviſi erant, cum in floribus calyces in quinque tantum ſegmenta ad ſui medium diviſi eſſent, ut ſuſpicer duûm generum flores huic ſpeciei eſſe; alios nempe, quos ſteriles vocant, quibus ſtamina ſunt & apices (qui lutei) nullo ſuccedente ſemine; alios, quos fertiles vocant, ſeu quibus fructus ſubnaſcitur, qui ſtylo tantum gaudent, ſtaminibus vero & apicibus deſtituuntur, quod & ob fructus raritatem, & quod flores illi fœcundi, cum calyces diverſi apparerent, præ teriiſſent, curatius obſervare non licuit.

Annua apud nos eſt planta; in regionibus calidioribus perennem eſſe ſuſpicor. Nata autem fuit hæc ſpecies e ſeminibus Zeylanenſibus, e Belgio a C. Commelino tranſmiſſis, nomine Althææ Zeylanicæ, folio ſagittato, flore albo, capſula criſtata. Ceterum vocatur ea in *Par. Bat. Prodr. p.* 309. Althæa Scammoniæ folio, floſculis albis, Zeylanica: *Nilavonanghu & Wiſſaduli* Zeylanenſibus; ubi eadem ex Curaſſoa floribus luteis recenſetur. Nobis vero & cum floribus albicantibus, & cum floribus flaventibus nata fuit ex iisdem ſeminibus, ut differentia iſta ſaltem accidentalis videatur. Per Scammoniam vero intelligitur non vera Syriaca,

ſed

P. 4. F. 3. T. III.



Abutilon Periplocæ acutioris folio, fructu stellato.



Abutilon repens, Alceæ folio, flore helvolo.

ſed Monſpeliaca, quæ Periplocæ ſpecies eſt. Hujus figuram qualemcunque, particulam nempe rami cum foliis tantum, ſub recitato *Par. Bat. Pr.* nomine exhibuit *Plukenetius Phyt. Tab.* 74. *f.* 7. In *Almageſto Bot. p.* 17. Alceam Orientalem Scammoniæ folio majorem, floribus albis appellat. Sed nec Alceæ, nec Althææ vel Malvæ ſpecies eſt, quoniam & flores & fructus & calyces diverſi ſunt.

ABUTILON REPENS, ALCEÆ FOLIIS, FLORE HELVOLO. T. IV. *F.* 4.

PLERÆQUE quidem Abutili ſpecies caules erectos & folia obtinent pallida, villoſa, mollia, flores autem luteos; hæc tamen ſpecies viridia habet folia, & leviter tantum hirſuta, floresque diverſi a flavo coloris, caules autem ei ſunt humi ſerpentes (cubitales & longiores) ad genicula, inferiora præcipue, novas hinc inde radices agentes, teretes, & pilis, ſed minus crebris, ſicut & folia, obſiti. Quæ folia, quo radici propiora, eo latiora & minus inciſa, quo vero extremitati ramorum magis appropinquant, eo ſenſim minora & profundius diviſa obſervantur; utrobique per margines inciſa, & Alceæ vulgaris foliis proxime ſimilia.

Flores e foliorum alis & in extremis ramulis pediculis leniter ſurrectis, uncialibus & ſeſquiuncialibus, inſident, parvi, in quinque ſubrotunda ſegmenta ad baſim uſque, ut aliæ hujus generis ſpecies, diviſi, coloris rutili, ſeu rubri obſcurioris, talis, qualem vinum rubrum ex Burgundia Gallicum obtinet, unguibus ſaturatiore & puniceo quaſi colore tinctis. Stamina e piſtillo medio brevi oriuntur valde brevia, apices gerentia croceos, minus, quam in aliis ſpeciebus, deflexos. Semina in ſingulis capſulis ordinarie locantur duo, parva, lævia, reniformia, quorum alterutrum tantum ad maturitatem plerumque pervenire ſolet. Capſulæ autem, quam in reliquis, minores ſunt, in ſummitate nonnihil piloſæ, & duobus corniculis brevibus in extimo margine terminatæ. Calyx in eo a reliquis ſpeciebus differt, quod duplex ſit; exterior nempe parvus eſt triphyllos, ſeu in tria anguſta ſegmenta ad baſim uſque diviſus; interior amplior, monophyllos, in quinque latiora ſegmenta ad ſui medium inciſus, quo licet & foliis cum Alcea conveniat, fructus tamen ratio potior, & pro Abutili ſpecie habenda videtur hæc planta. Capſulæ enim bifidæ ſunt, & a ſummitate ſe aperiunt, atque ad medium ſui dehiſcunt, inferiore vero & interiore parte, qua umbilicum vel columnam ſpectant, integræ manent, ſecus ac in Alceæ & Malvæ ſpeciebus fit, in quibus capſulæ interiore ſua parte hiſcunt, & ſemina oſtentant ſolitaria tantum.

Floruit æſtivis menſibus pluribus annis, orta e ſeminibus Carolinenſibus. Annua eſt planta, e ſeminibus deciduis facile renaſcens.

Ceterum caulibus procumbentibus, foliis profunde inciſis, florum colore a reliquis Abutili ſpeciebus nullo negotio diſtinguitur.

Folium figura prima eſt ex inferioribus, ſecunda e mediis; figura tertia capſulam & quarta ſemina ſiſtit.

Videtur *Petiverus Mus. Num.* 744. per Alceam Carolininianam, flore parvo ſaturate purpureo, noſtram plantam intelligere, nam flores in ſicca obſcuriores fiunt, & ipſa planta Alceam non male repreſentat. Ego mallem, ſi foret opus, vocare a Carolina Carolinum vel Carolinenſe; ſed quoniam, Abutilo Italico ex-

cepto, ſpecies reliquæ omnes ſunt exoticæ, brevitatis gratia nomen patriæ omitti poſſe cenſui.

Perpendant lectores an huc referri queat, Pentaphylloides Alceæ minori folio, flore purpureo *Feuill. Obſ. Phyſ. Tom.* II. *de Plant. Med. p.* 763. Figura non parum habet ſimilitudinis, verum quoniam auctor erectam facit plantam, noſtra autem ſemper reptat, & quoniam eam negligentius deſcripſit, ambigimus an eadem ſit.

ABUTILON VESICARIUM CRISPUM, FLORIBUS MELINIS PARVIS. T. V. F. 5.

NATA fuit hæc ſpecies e ſeminibus ex eadem, qua prima ſpecies, Inſula delatis, quæ primo ſtatim a ſatione anno fruticuli ſpecie ad cubitalem & longiorem altitudinem pervenit, caule tereti villoſo, coloris ex viridi in ſpadiceum vergentis, e quo mox ab ima parte, alternato & obliquo ad medium caulem ſitu, plures naſcebantur ramuli, e quorum alis ad ſummum uſque caulem in pediculis oblongis flores proveniebant parvi, pallide flavi, mane convoluti, ad meridiem vero & horis pomeridianis aperti, in quinque ſegmenta ſubrotunda, modice reflexa, ſecundum longitudinem teneriter ſtriata diviſi, Oxyos luteæ florum figura, ſed aliquanto majores & pallidiores. In florum ſinu ex piſtillo, e florum baſi orto, ſtamina oriuntur plurima, nutantia, apices croceos deflexos gerentia, ipſum autem piſtillum in plura abit cornicula, ſimili modo ac ſtamina reflexa; quæ partes, ob ſuam parvitatem, verbis melius, quam figura exprimi poſſunt.

Fructus floribus ſuccedit tumidus, minor & tenerior, quam in reliquis Abutili ſpeciebus, e veſiculis ſinuoſis & margine inæquali donatis conflatus, quarum ſingulis cavitatibus duo plerumque, ſubinde tria, continentur ſemina parva, rugoſa, reniformia, coloris nigricantis; ipſæ vero veſiculæ pallidæ ſunt, cum in aliis ſpeciebus ſiliculæ ſub maturitatem nigricent. Porro veſiculæ tum ab initio, tum per maturitatem cuſpides minus, quam in aliis, evidentes, immo vix ullas obſervatu dignas habent, nec fructus æque, ac in aliis, in ſummitate complanatus eſt.

Ceterum calyx aliorum inſtar ſimplex eſt, in quinque ſegmenta diviſus, pediculus autem, quo flos & fructus ſuſtinetur, illorum inſtar non ſurrigitur, ſed pendulus eſt ab initio, dein ad florum explicationem horizontalem ſitum affectat, poſtea ad vaſculorum augmentum inclinat rurſus, & ni a folii pediculo, cui ſæpe incumbit, ſuſtentetur, plane propendet. Ne vero hoc contingat, & ne teneri pediculi frangantur, geniculo quodam, quod pone fructum eſt, & quod floribus præteritis præcipue conſpicuum fit, firmatur, e quo fructus maturitate gravior libratus pendet. Atque his geniculis, locuſtarum crurum inſtar infractis, & veſiculis ſinuoſis ac criſpis, floribusque parvis, ab aliis facile diſtinguitur hæc ſpecies.

Folia mollia ſunt & incana, præcipue verſus ſummitatem, Abutilo Indico *Camer.* magis quam Italico ſimilia, tenerius in ambitu, quam utriuſque, crenata. Vulgaris quidem folia ſinu carent, at Indici & noſtri folia extremitatem verſus leviter angulata ſunt. Ulterius obſervare eſt, folia inferiora & ſuprema intermediis eſſe minora & magis rotunda, media vero ampliora & verſus extremum leniter ſinuata, quæ vero ex horum alis naſcuntur, ceteris ominibus minora eſſe.

Flos

B.6. F.5. T. V.



Abutilon vesicarium crispum, floribus melinis parvis.



Abutilon vesicarium, flore & fructu majore, non crispo.

Achyracantha repens, foliis Bliti pallidi.



P. 9. F. 8. T. VIII.



Alcea Thuringiaca grandiflora.

Flos figura prima, ſecunda fructus ſurſum verſus, tertia ſemina ſeorſum exhibita ſunt.

Floruit hæc planta Elthami anno 1726, ſole ex Virgine in Libram tranſeunte, & ſeminibus ad maturitatem perductis periit, quamvis fruticuli ſpeciem de ſe præberet, & perennis ideo videretur. Sequentibus annis ex ſuis ſeminibus renata fuit, maturiusque floruit, Julio nempe menſe.

Inter Delineationes Plantarum Americanarum nondum publici juris factarum *Car. Plumier*, quarum exemplar ſervatur in Bibliotheca Sherardina, eſt Abutili ſpecies, cujus nomen: Abutilon aliud veſicarium, flore luteo, minus, noſtro valde ſimilis, ſed quæ caret foliis illis minoribus e majoribus enaſcentibus, ſuntque folia, quam noſtro, minora, non anguloſa, fructus autem nonnihil majores, æquabiles, ſeu non criſpi; quas differentias vel accidentales exiſtimo, vel figuræ non ex omni parte exactæ tribuo, eandemque ideo Plumierianam ſpeciem cum noſtra habeo.

ABUTILON VESICARIUM, FLORE ET FRUCTU MAJORE, NON CRISPO, T. VI. F. 6.

CAULES plantæ in fictili enutritæ cubitales erant & altiores, verſus baſim digitum minorem craſſitie æquantes, teretes, herbacei, virentes, molli lanugine obſiti, minus, quam veſicarii criſpi, ramoſi, minusque expanſi, in quibus folia alterna ſerie naſcebantur ſatis ampla, & e foliorum pediculorum alis ſurculi ſeu rami minores cum ſimilibus, ſed minoribus, foliis prodibant. Sunt autem folia ſatis ampla & nonnihil angulata, molli hirſutie utrinque veſtita, ſuperne virentia, inferne pallidiora, in quibus verrucæ croceæ non raro, præſertim in inferioribus foliis, comparent. Foliorum pediculi oblongi ſunt, teretes & caulium inſtar villoſi.

Flores verſus caulis ſummitatem, & in ramis e foliorum alis in pediolis teretibus villoſis naſcuntur ſatis ampli, quorum petala, vel ſegmenta verius, latiuſcula ſunt, per margines tenuiter crenata, & in medio obiter ſinuata, in ſuperficie autem multis tenuibus venis ſtriata, coloris e flavo in croceum vergentis, odoris non injucundi, ſubgravis tamen; quem odorem & folia trita emittunt, non tantum in hac, ſed in veſicaria etiam criſpa ſpecie. Florum capitula ab initio erecta ſunt, dein pendent, mox ubi explicantur, denuo ſurriguntur; poſtquam autem flores, qui ultra nyctemeri ſpatium non durant, præterierunt, denuo pendent, & in hoc ſitu permanent ad vaſculi uſque maturitatem, ubi denuo eriguntur, ſecus ac in præcedenti ſpecie, in qua perpetuo pendent, contingit. Ceterum vaſculum in ſuperficie villoſum eſt, tumidum & grandius, quam præcedentis ſpeciei, e plurimis veſiculis compreſſis (vid. figura marginalis prima & ſecunda) pallide virentibus, per maturitatem obſolete cinereis, parum aut non ſinuatis ſeu rugoſis, minime vero criſpis, ſed æquabilibus, obtuſis, nec ullis cuſpidulis terminatis conflatum, in quibus ſingulis ſemen latet ſolitarium plerumque, nigrum, figura renali (vid. fig. 4.) præditum, calyptra cuſpidata criſtata (vid. fig. 3.) tectum, quod non obſervatur in præcedenti ſpecie. Calyces ſimplices in quinque latiuſcula ſegmenta, molli hirſutie pubeſcentia, dividuntur.

Florum

Florum pediculi craſſiores ſunt, quam veſicarii criſpi, & verſus vaſculum geniculum quidem habent, ſed æquale & non infractum, baſim autem verſus incurvati ſunt, ſecus ac in illo & Indico *Camerarii* Abutilo, in quo pediculi geniculum quidem habent, ſed erecti ſtant. Vaſcula etiam in Indico veſicaria non ſunt, & vaginas habent cuſpidatas, folia molliora ſunt, non tantum quam hujus, ſed quam reliquarum etiam Abutili ſpecierum. Veſicarii criſpi quidem folia mollitie ad Indicum *Camer.* proxime accedunt; hujus vero folia ad hirſutiam potius tendunt.

Beloere *Hort. Mal. Part. VI. Tab.* 41. quæ planta in Horto Elthamenſi etiam naſcitur, proxime ſimilis eſt huic ſpeciei, ſed non eadem: folia ejus molliora ſunt, pediculi vero ſubter fructum ad genicula reflexi, ſecus ac in hac ſpecie contingit.

Porro eſt inter Delineationes Plumieri Abutilon Indicum, flore luteo, majus. Hoc flores & vaſcula habet ejusdem cum noſtro hoc magnitudinis, ſed in eo diverſa, quod vaſcula e brevioribus pediculis pendeant, & quod flores ſuperiores in ramis veluti ſpicatim abſque foliis adnatis, demptis inferioribus floribus, diſpoſiti ſint. Folia etiam ex figura minora ſunt, anguſtiora & magis mucronata, non angulata.

Noſtra ſpecies nata fuit ex ſeminibus Havanenſibus: ſole Leonem peragrante altero, ſicut & præcedens ſpecies, a ſatione anno floruit & ſemina perfecit, inde denata fuit.

In *Catal. ad Fin. Par. Bat.* vocatur, Abutilon Indicum foliis rugoſis; alia, quantum novi, ſynonyma non habet.

ACHYRACANTHA REPENS, FOLIIS BLITI PALLIDI. T. VII. F. 7.

PEDALES & cubitales per humum ſpargit caules, piloſos, teretes, geniculatos, & ad genicula frequenter radices agentes, foliis cinctos adverſis, Blito minori pallido perquam ſimilibus, niſi quod in extremitate non ſinuata, ſed obtuſe mucronata ſint folia, quæ id peculiare habent, quod alterutrum folium ſit altero ſemper minus, dimidiam nempe ejus, quod ex adverſo ſitum eſt, magnitudinem vix ſuperans. E foliorum horum alis, modo utraque, modo alterutra tantum, per omnem caulis longitudinem, præcipue vero in extremis ramulis, capitula enaſcuntur paleacea, pungentia, e multis nempe ſquamis pallidis exſuccis compoſita, in quibus latent flores minutiſſimi & vix conſpicui, apetali, e quinque nempe ſtaminibus & apicibus exilibus conflati, intra ſquamas illas occultati, quibus ſemina ſuccedunt ſolitaria, nuda, rotunda, compreſſa, minus lævia & ſplendentia, quam Amaranthi, coloris ab initio pallide virentis, dein ad ſubfuſcum vergentis. Squamæ illæ paleaceæ, quotnam ad flores & ſemina ſingula pertineant, non facile determinari poteſt, cum ſibi tam arcte appoſitæ & intermixtæ ſint; quinque quidem, ſex & plures cum ſingulis ſeminibus ſolent extrahi, videnturque quinque ordinarie ſingulis calycibus annumerandæ eſſe. Hujusmodi calyces figura prima & ſecunda, tertia ſemina ſeorſum appicta ſunt.

Plantæ hujus ſpecimina *D. Gul. Sherardo p. m.* miſit *Dn. Mylam*, ex Tucumaniæ regionis Metropoli (*Buenos Ayres*) ubi pro Anglorum ſocietate auſtrali Medicum & Chirurgum agebat; e cujus ſeminibus inter chartas ſparſis orta eſt, & Octobri menſe

menſe floruit & ſemina perfecit, e quibus quotannis, annua enim planta, reſuſcitanda eſt

Nec ad Amaranthum, cui ſemina lucida in capſula membranacea tranſverſim abſcedente, nec ad Blitum, cui ſimilis Amaranthis capſula, ſed calyx triphyllos, & ſtamina tantum tria ſunt, referri poteſt: foliis adverſis & calycibus pungentibus convenit cum Cadelari ſpeciebus, capitulis brevibus ſeſſilibus differt; Cadelari enim ſpecies in ſpicas longas excurrunt. Præterea Cadelari florem tribuit perfectum pentapetalum, Vaillant in Comm. Ac. Reg. So. A. 1722. p. 204. ubi novum illi generi nomen imponit, Stachyarpagophoram vocans. Ego quam facillimum potui, huic generi nomen elegi, quod conflatum eſt ab ἄχυρον palea, & ἄκανθα ſpina, quaſi dicas plantam paleaceam ſpinoſam vel pungentem. Nec me moratur, ſignificationem illam & aliis plantis convenire poſſe, cum non ſit neceſſe, ut nomina diſtinguentes & ſoli generi convenientes differentias includant, quibus ſi ſtudemus, longa, dura & pronuntiatu difficilia nomina fingenda ſunt. Sufficit ſi nomina rei conveniant & verbis ea ab aliis diſtinguant.

ALCEA THURINGIACA GRANDIFLORA

T. VIII. F. 8.

ALCEÆ ſpecies mihi ſunt, quæ florum ſegmenta profundius ſinuata habent, ad ſinus inæqualia & fortuito diviſa velutique præmorſa, unde peculiaris floris figura exſurgit, qua obſervata ſperni poteſt dubia calycis diviſio, folia autem & eorum diviſura, unde cum Dioſcoride hujus generis notas ſumit Tournefortius, minime attendi merentur, & hac porro obſervata ſalvum manet receptum Alceæ genus, cujus ſpecies eſt, Althæa Thuringiaca *Camer.* quæ planta eſt perennis, altitudinis bicubitalis & amplioris, folia obtinens ampla ſatis, ima (figura marginali prima) rotundiora, media (figura marginali ſecunda) quinquangulata, ſuperiora (figura media & primaria) trifida, in mucronem oblongum producta, per margines crenis ſubrotundis inciſa, craſſiuscula, molli hirſutia pubeſcentia, locis ſylveſtribus ſubincana, in hortis ſuperne viridia, inferne pallidiora, caulibus teretibus villoſis.

Flores in ſuperioribus ramulis in oblongis pediculis naſcuntur plures ampli, dilute purpurei, venoſi, quorum columna apices albidos craſſiusculos, in thyrſum digeſtos emittit, tenuibus ſtaminibus albis appenſos, qui ab initio teſticulati ſunt & læves, dein farinoſi & vellerei fiunt, albidumque colorem retinent, nigri non fiunt, e quibus ſtyli non prominent, ſed perbreves in columnæ faſtigio hærent, donec apices defluxerint, ubi tanquam plurima cornicula purpurea ſub conſpectum veniunt. Semina ſubnaſcuntur reniformia, veſiculis membranaceis lævibus incluſa, per maturitatem nigricantia, in capitulum caſeiforme (vid. figuram tertiam) congeſta.

Eſt Althæa Pannonica ſecunda *Clus. Pann. p.* 502. Althæa Pannonica ſecunda & tertia *Eid. Hiſt. p.* xxiv. ubi breviter deſcribitur abſque icone, quæ proſtat in *Camer. Horto cum Thalii Sylva Harcyn. Tab. VI.* ſine deſcriptione; ſaltem in *Hort. p.* 12. dicitur, Althæa flore grandi Alceæ, foliis durioribus, quam in uſitata. Fi-

gura ſatis eſt laudabilis, & totam plantam repræſentat, ſed cum ad minorem molem reducta ſit, folia & crenas non bene exprimit, nec in petalo ſeorſum appicto ſinus & inciſuræ bene expreſſæ ſunt. Qua de cauſſa non ſupervacuum videbatur, figuram magnitudine naturali expreſſam dare, addita deſcriptione, quæ adhuc deſiderabatur.

Quæ in *Horto Eyſtett. Ord. VI. Fol* 5. *fig.* 1. pro Althæa Thuringiaca figuratur ea, me judice, pertinet ad Althæam folio profunde ſerrato, ſive dentato *J. B. Hiſt. Plant. Tom. II. L.* 23. *p.* 955. quæ planta eſt longe diverſa, cui flores multo minores & folia acutius angulata acutiusque ſerrata.

Cluſio in Pannonia & Moravia primum fuit obſervata. Camerario in quibusdam Thuringiæ locis ad fluvios frequentem naſci relatum fuit, & auctor *Floræ Jenenſis p.* 16. in montoſis ad ſepes verſus *Sultze* & *Eckardsberg*, quæ loca Thuringiæ ſunt, naſci teſtatur, & Malvam montanam mollem & incanam, flore majore vocat; refert enim & Althæam & Alceam ad Malvæ genus. Alceæ generi reſtituit *Boerh. Ind. Alt. p.* 270. *n.* 10. Alceam ſerratam flore incarnato vocans, cum antehac *Tournefortius Inſt. R. Herb. p.* 97. & *Rajus Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 602 *n.* 2. Althæam flore majore cum C. *Bauhino* fecerint.

Quoniam Thuringiacæ titulo hæc planta paſſim nota eſt, ideo id ephitheton retinui, quamvis & in aliis naſcatur regionibus. Julio Menſe floret.

ALKEKENGI BARBADENSE NANUM, ALLIARIÆ FOLIO T. IX. F. 9.

PEDALEM non facile ſuperat altitudinem, caule pro plantæ ratione ſatis robuſto & craſſo, digitali, inferius triquetro, ſuperius & in ramis quadrangulari, caule & ramis ſubhirſutis, ſtriatis, coloris e viridi & purpureo mixti. Statim vero ab imo caule brevibus intergeniculis in ramos dividitur & ſubdividitur, horſum vorſum verſos & invicem implexos, ramulis ſuperioribus deflexis, ut vertex plantæ apertus & veluti nudatus appareat, in quibus, quoniam genicula brevia ſunt & crebra, folia naſcuntur numeroſa, totam plantam & ramos operientia, ſuperius minora, inferius majora, ſubrotunda, in mucronem brevem deſinentia, per ambitum inæqualiter dentata & ſinuata, Heſperidis, quæ Alliaria dicitur, foliis perquam ſimilia, ſubhirſuta (hirſutia tactu magis, quam viſu perceptibili) parte ſupina viridia, prona nonnihil pallidiora, venis crebris obliquis & aliis minoribus tranſverſis exarata; quæ folia, ſed præcipue caules ramique attriti fœtidi ſentiuntur.

Flores e ramulorum divaricationibus tenuibus pediculis hærent parvi, nutantes & plerumque conniventes, luteoli, Alkekengi Virginico ſimiles, & ſimilibus maculis obſcure purpureis diſtincti, e quibus pendent quina ſtamina dilute purpuraſcentia, apicibus oblongis obſcure violaceis prædita. Tantillis floribus vaſcula vel veſicæ ſuccedunt grandes, ab initio anguſtiores, poſtea ampliores, magis, quam in aliis, anguloſæ, pentagonæ nempe (angulis extantibus, lateribus & vertice magis planis) & in mucronem longiorem productæ, venis varie diſcurrentibus exaratæ, virentes, etiam per maturitatem, aut ſi ſoli expoſitæ hæreant, obſcure purpureæ, in quibus acini latent grandiuſculi turbinati, non viſcoſi, virentes



Alkekengi Barbadenſe nanum, Alliariæ folio.



Alkekengi Bonariense repens, bacca turbinata viscosa.

rentes, quatuor lineis ſuperficialibus a ſummitate decurrentibus notati, qui diſſecti pulpam virentem exhibent veluti bipartitam, ſaporis ſubacidi & in receſſu Ari inſtar pungentis, in qua ſemina latent ſubrotunda compreſſa, pallida.

Alkekengi Virginianum fructu luteo *Inſt. Rei. Herb.* flores, ut ſupra demonſtratum, ſimiles habet noſtræ ſpeciei, nec faciem habet penitus diverſam; differt, quod elatius ſit & magis patulum, ramis longioribus & magis ſparſis, foliis ſuperioribus amplioribus, Stramonii quodammodo figura, fructu breviore & rotundiore (veſica ex quinquangulo ſubrotunda) bacca ſphærica (virente) totam pæne per maturitatem veſicam replente. Hujus vero veſicæ non tantum ab illius, ſed & reliquis omnibus ſpeciebus plane diverſæ ſunt. Alkekengi Indicum minimum, fructu vireſcente *Inſt. Rei. Herb.* planta eſt noſtra adhuc humilior & magis patula, ſed ramulis minus crebris prædita. Flores ſimiles, ſed nonnihil pallidiores. Fructus brevior, Virginico ſimilis, ſed pediculo nonnihil longiore hærens, pilis ad angulos oblongis, quibus carent Virginica & reliquæ ſpecies, obſitus.

Annua eſt planta & alſioſa ; pro ſationis tempore ocyus aut ſerius floret. Figura noſtra non totam plantam & ejus naſcendi morem, quod nimis foret operoſum, ſed partem ejus præcipuam & ejus ſingulas partes demonſtrat. Nempe ad marginem figura prima ſtamina & apices, ſecunda flos, tertia acinus integer, quarta per tranſverſum ſectus, quinta ſemina ſeorſum exhibentur.

ALKEKENGI BONARIENSE REPENS,
BACCA TURBINATA VISCOSA T. X. F. 10.

PEDALI, bipedali & majori, pro ſoli conditione, ſurgit altitudine, caulibus craſſis, ex tereti anguloſis, ſtriatis, ramis & foliis alterno ordine naſcentibus, e quorum alis in ſummis ramulis, qui bigeminam & tergeminam divaricationem obtinent, flores naſcuntur nutantes, aliquanto minores quam vulgaris, majores vero quam Virginicæ ſpeciei, aliorum hujus generis inſtar pentagoni, cum intermedia ad angulos plica, velut in Convolvulis, decurrente, coloris obſolete flaveſcentis, maculis in umbilico ſordide luteſcentibus notati, (vid. figura marginalis prima, ubi flos ſurſum verſus exhibetur) ſtaminibus & apicibus eodem cum reliquo flore colore præditis.

Calyces floribus exaridis paulatim ampliantur, donec ſub auctumnum veſicæ ſpeciem referant, ſubrotundæ, plicis anguloſis interruptæ, ab initio virides, per maturitatem luteſcentes, in quibus baccæ, quæ prioribus annis parvæ erant, mali cujusdam minoris figura, ex rotundo nempe elongatæ, cum impreſſa foveola in ſummitate earum, coloris aurantiaci, viſcoſo ſucco oblitæ (quarum forma figura marginali ſecunda & tertia expreſſa) ſequentibus vero, quibus ſolo & aëri aſſuetior facta lætius crevit, annis, veſicas tulit plures grandiores, & acinos majores, non jam maliformes, ſed turbinatos, cum foveola etiam in extrema parte, viſco reſplendente oblitos, coloris crocei languidioris, pallidiores ſane, quam vulgaris ſpeciei, & turbinata, ut dictum, ab illa, cujus acini rotundi ſunt, figura diſtinctos. Veſicæ porro minus, ac vulgaris, rubent, aliquanto breviores ſunt, & in decem æquales angulos diviſæ. Differt etiam floribus minus angulatis, nonnihil minoribus & obſolete flaveſcentibus, cum illius flores albeſcant.

Baccæ primis annis, cum minores eſſent, vix quartam veſicarum partem implebant, poſtea vero, cum grandiores naſcerentur, eas pæne replebant, & veſicæ tum ad margines piloſæ erant, cum antehac pili minus obſervabiles eſſent, cujusmodi veſicæ & baccæ figura marginali quarta, quinta & ſexta appictæ ſunt. Ceterum baccæ ſaporis ſunt ſubdulcis, vinoſi, nullo, ut in vulgari, ſubſequente amarore, in quarum pulpa ſemina latent compreſſa reniformia, ex luteolo albicantia, (vid. figuram ſeptimam).

Caules & folia lanugine vireſcente, ſed pertenui & vix viſibili, obducuntur. Folia autem inter Solani hortenſis & Stramonii folia mediam magnitudinem & figuram obtinent: breviora ſunt, obtuſiora & magis ſinuata, quam vulgaris ſpeciei, cui alioquin foliis, ſtatura & reptandi ſtudio ſimilis eſt hæc ſpecies. Ceterum folia attactu lenia ſunt, & moſchati quid ſpirare videntur. Radix albida, carnoſa, fibroſa, longe lateque repens, unde perennem eſſe plantam conſtat.

Julio & Auguſto menſibus floret; auctumno baccas & ſemina maturat. Nata nobis hæc planta e ſeminibus a ſpeciminibus ſiccis, quæ circa Bonum aërem, vel ſi mavis Bonarium *(Buenos Ayres)* Americæ auſtralis citerioris metropolin collecta fuerant.

ALKEKENGI INDICUM GLABRUM, CAPSICI FOLIO T. XI. F. II.

ALKEKENGI Indici maximi nomine ſemina hujus a Patrono Horti in Hollandia lecta, plantas dederunt cubitales & ſeſquicubitales tantum in fictili, Alkekengi, Indico majori *Tourn.* (de quo Capite ſequenti) naſcendi modo, floribus & veſicis ſimiles, niſi quod flores & veſicæ aliquantum minores, breviores & minus productæ viderentur; in foliis autem ea notabilis differentia eſt, quod in hac ſpecie ea ſemper integra ſint, quæ in ſequenti nunquam inciſuris carent.

Cubitales autem & altiores, ut modo dictum, hujus ſpeciei caules ſunt, ramoſi, ramis oblique ſurrectis, digitum minorem verſus baſim craſſi, e viridi purpuraſcentes, glabri, triquetri, rami autem ſuperiores quadrangulares fiunt, ad quorum alas folia naſcuntur Capſici foliorum ſimilia, tenuia glabra, non ſplendentia, nervo medio albicante, e quo venæ obliquæ & tranſverſæ minores decurrunt, diſtincta, parte ſupina ſimpliciter viridia, prona pallidiora, quæ, ſed præcipue caules contrectati, fœtent.

Flores Junio & Julio menſibus e foliorum alis naſcuntur parvi pentagoni, pallidiſſime flaveſcentes, maculis ad umbilicum prædiți obſolete luteſcentibus, totidem, quot ſunt floris anguli, quinque nempe. Stamina ſingulis floribus ſunt quinque, apicibus oblongis obſolete cæruleis, in umbonem coëuntibus terminati.

Calyces monophylli, in quinque lacinias diviſi, floribus præteritis veſicarum ſpecie excreſcunt, ab initio graciliores & longiores, dein bacca incluſa augmentum accipiente grandiores, ex quinquangulari ſubrotundi, angulis minus, ac in aliis ſpeciebus, extantibus, ſtriis vel lineis e nigro purpureis notatis, cetera autem parte veſicæ virides ſunt, & ad plenariam tandem maturitatem ex viridi flaveſcunt, lineis & ſtriis purpureis diſtinctæ. Acini in his veſicis latent ab initio virides, per

maturitatem



Alkekengi Indicum glabrum, Capsici folio.



maturitatem pallidiores, ex viridi nempe flaveſcentes, rotundi & glabri, vix viſcoſi, totam pæne veſicam replentes, quatuor tenuibus lineis in ſummitate notati, quibus diſſectis nulla tamen his reſpondent ſepimenta, ſed ſimplex pulpa, (ſubdulcis) in qua in orbem ſparſa latent ſemina compreſſa, reniformia, ſubfuſca, quibus ad maturitatem perductis planta interit.

Figura marginali prima & ſecunda baccæ integræ, tertia per tranſverſum ſecta, quarta ſemina ſeorſum appoſita ſunt.

Ob nominis, ex Indiis forte tranſmiſſi, ſuperius recitati ſimilitudinem, conjector huic idem eſſe, Nalalbathu: Solanum veſicarium Indicum maximum *Mus. Zeyl. p.* 2. (a *Nalal* fronte & *Bathu* ſonitu, quia veſiculas pueri jocantes fronte allidunt ad ſonitum excitandum) & Nalalbabathu: Solanum veſicarium Zeylanicum, baccis folliculisque herbaceis *Ibid. p.* 30. quod convenire dicitur cum Camaru *Marcgr.* & Solano veſicario *Camer.* & Halicacab *Bont.* At Camaru *Marcgr.* Halicacabum ſeu Solanum Indicum *Cam.* & Halicacabum *Bont.* tres diverſæ plantæ ſunt, quarum prior ex ſententia *Tournefortii*, *Plukenetii* & *Bobarti* eſt Virginicum Alkekengi, altera eſt Indicum majus *Tourn.* tertia vero, ex ſententia ipſius *Hermanni*, eſt Solanum veſicarium Indicum minimum, in *Hort. Lugd. Bat.* deſcriptum & depictum, de quo notandum, quod non ſit glabrum, ut ibi dicitur, ſed tam caule, quam foliis hirſutum. Porro facies, qua ad Indicum *Camerarii* & *J. B.* accedere dicitur, & ab illo, & hoc diverſa eſt: utroque eſt humilius, folia habet, quam illud, minus, quam hoc, plus inciſa, flos ſimilis Alkekengi Virginico & Barbadenſi.

ALKEKENGI INDICUM GLABRUM, CHENOPODII FOLIO. T. XII. F. 12.

Hoc nomine deſigno & a reliquis diſtinguo, Alkekengi Indicum majus *Inſt. Rei Herb. p.* 151. cujus figura, cum a nemine Botanicorum completa exhibeatur, locum hic inter ceteras, & ut differentia inter hanc & præcedentem ſpeciem eo clarius innoteſcat, mereatur. Equidem non illaudabilem ejus reperire licet Iconem in *Cam. Horto Tab.* 17. quam poſtea ſuam fecerunt *J. Bauhinus Hiſt. Plant. Tom* iii. *Part.* 2. *L.* 34, *p.* 609. *Faber* in *Strychn. fig.* 10. & inde *Barrel. Icon.* 151. in qua tamen id deſidero, quod folia non ſint ſatis profunde inciſa, & quod plantæ ſit juſta magnitudine non depicta. Et quamvis in *Horto Eyſt. Ord. Plant. Æſtiv.* xiii. *Fol.* ii. *f.* 3. ramus exhibeatur magnitudine naturali, (immo potius majori) tamen eam figuram talem non exiſtimo, ut alia nova proponi non debeat; nam de cetero nec flores, qui præter magnitudinem, nimis campanulati & veluti convolvulacei facti, nec caulis, qui rotundus factus, ipſi plantæ bene reſpondent. Nec vero vel Horti Eyſtettenſis, vel Camerarii figuræ anteferri meretur, quæ in *Hiſt. Oxon. Part* iii. *Sect.* xiii. *Tab.* 3. *Ser.* 2. *Num.* 22. Solani veſicarii annui, Indici erecti titulo extat; folia quidem non male, at nec caules nec flores & veſicæ bene deſignatæ ſunt, nec proportio inter plantæ partes exacte obſervata, cumque ſit ad minorem molem reducta, noſtram eo liberius propono, quo magis vellem omnium, quantum natura rei admittit, plantarum figuras magnitudine naturali proſtare.

Cubitales autem & bicubitales (Camerario tricubitales obſervati) huic ſpeciei ſunt caules, quin & in fictili pedales & ſeſquipedales ſubinde tantum ſunt caules recti, craſſiuſculi, digitum minorem craſſi, inferius triquetri, ſuperius & in ramis quadrangulares virentes, e quibus plures ab imo ad ſummum uſque rami obliqui, ad baſim craſſiores, alterna ſerie naſcuntur, in quibus folia pediculis oblongis hærent, in medio caule majora, in ramulis minora, inferius autem latiora & rotundiora, per ambitum Chenopodii vulgaris inſtar, vel potius Pedis anſerini primi *Taber.* more laciniata, tenuia glabra, non ſplendentia, *Pluk.* ſplendentia (vocat enim Solanum veſicarium Indicum, foliis ſplendentibus glabris *Alm. p.* 352.) ſimpliciter virentia (J. Bauhino atro-virentia) obliquis venis, ex medio nervo in lacinias procurrentibus, prædita, ad quæ e ramulorum divaricationibus flores naſcuntur parvi, pentagoni, pallidiſſime flaveſcentes, (non lutei, ut J. Bauhinus ſcribit, nec vulgari Alkekengi ſimiles, ut idem & Camerarius habent, ſed minores, nec tam albi) maculis obſolete luteolis verſus umbilicum notati, quem colorem in floribus conſtantem, nunquam vero maculas nigras vel purpuraſcentes cum Camerario obſervavi. E florum medio ſtamina pendent brevia purpuraſcentia, apicibus oblongis obſolete cæruleis prædita.

Floribus præteritis calyces in veſicas extumeſcunt, pendulas, oblongas ab initio, dein rotundiores, minus anguloſas (ex quinquangulo ſubrotundas) virentes, e-
" tiam, Camerario notante, per maturitatem, acinis in medio grandibus, (viridi-
" bus etiam) totam veſicæ, ubi maturi, capacitatem explentibus, aut etiam ob
" magnitudinem rumpentibus, qui in quatuor partes decuſſatim diviſi extrinſe-
" cus apparent, cum tamen intus non animadvertantur illa interſepimenta ſi
" diſſecentur, & inſipidi, ut tota planta (nobis ſubdulces, extus nonnihil viſcoſi
" totam veſicæ cavitatem non implentes) ſed ubi pediculo adhærent, ſucco gluti-
" noſo, Lycoperſici ſive Malorum aureorum odore, obliti ſunt, ut notat idem
" Camerarius. Obſervandum porro folia, ſed præcipue caules contrectatos fœtere: veſicas lineis ſubinde atro-purpureis ſtriatas eſſe, nempe ad angulos veſicarum, qui minus in hac ſpecie extant, ut ſubrotundæ videntur veſicæ.

Dubitat in *Hiſt. Plant. Tom.* I. *p.* 681. *Rajus*, an Solanum hoc Indicum differat a Virginico Alkekengi, & ſane ſunt in Indici deſcriptione quædam, maculæ nempe & apices atro-purpurei, (quas notas ex Camerario tranſcripſiſſe videntur J. Bauhinus, Parkinſonus & alii) quæ non tam huic, quam Virginicæ ſpeciei competunt, fuitque aliquando ſuſpicio, a Camerario non tam Indicum, quam Virginicum Alkekengi deſignari; verum cum figura ejus melius hoc, quam illud exprimere videatur, & caules trium cubitorum altitudine obſervati fuerint Camerario, Virginicum autem humilius ſit & patulum, in recepta ſententia, a Camerario Indicum denotari, manſi. Quod diverſæ plantæ ſint, neminem dubitare poſthac velim, nempe quoniam illud humilius eſt & patulum, ramis in latera diſtentis, folia habet ampliora, obtuſa, ſubhirſuta, minus acute laciniata, ſed craſſius ſinuata, flores minores non tam pallidos, maculis & ſtaminibus atro-purpureis diſtinctos. Cujus figuram, qui plantam non vidit, vel videre poteſt, reperiet in *Hiſt. Oxon. Part.* iii. *Sect.* xiii. *T.* 3. *f.* 24. *ſer.* 2. ſub Solano veſicario Virginiano procumbente annuo, folio lanuginoſo, & Solano annuo veſicario procumbente *Barr. Icon.* 152. item Alkekengi Virginiano fructu luteo, vulgo Capuli *Fevill. Obſ. Bot. Tom.* iii. *Tab.* 1. Obſervandum autem, minime procumbere, ſed humilius tantum & patulum eſſe.

Annua



Alkekengi Indicum glabrum, Chenopodii folio.



Annua eſt planta, quæ quibuſnam Indiarum locis ſponte naſcatur, nil memoriæ proditum invenio. Nobiſcum e terra, quicum aliæ plantæ e Carolina advectæ erant, forte fortuna nata eſt, eſtque figura noſtra ad plantam, quæ primo anno minor nata erat, facta, in qua flores parvi erant, ſequenti vero anno ex ejuſdem plantæ ſeminibus natæ ſunt plantæ grandiores, cum floribus nonnihil majoribus, cujuſmodi ſeorſum ſunt appoſiti figura marginali prima & ſecunda, tertia vero veſicam, quarta baccam integram, quinta diſſectam, ſexta ſemina ob oculos ponit.

ALOE AFRICANA ERECTA TRIANGULARIS ET TRIANGULARI FOLIO VISCOSO C. COMMEL. PRÆLUD. P. LXXXII. F. 31. *T. XIII. F.* 13.

INTER Seſſiles & Caudiceſcentes Aloës ſpecies mediæ ſunt hæc & ſequens; nam nec folia Seſſilium inſtar in terra jacent, nec caulem producunt inſtar Cauleſcentium ſpecierum, cauleſcentibus tamen magis accedunt, & totæ velut e caule foliato conſtant. Sui autem generis eſt & nulli comparanda hæc foliis & eorum naſcendi more. Folia enim tribus ſeriebus ita diſpoſita ſunt & extant, ut triquetram plantæ figuram concilient: baſi latiuſcula ſibi mutuo inſeruntur omnium ordinum folia, inde modice reclinantur & tenuiora facta in mucronem rigidum deſinunt. Tota etiam rigida ſunt, brevia, carinata, ſuperficie ſubaſpera, coloris obſcure virentis, ſuperioribus foliis colore obſoletiore viridi præditis, extremitatibus in his colore obſcure purpureo tinctis.

Juxta intima ſeu juniora foliola æſtivis menſibus pediculus pedalis prodit & longior, teres, glaber, ex fuſco obſolete purpuraſcens, ligulis aliquot longo intervallo præditus, tener, ſeipſum vix ſuſtentans, & modice hinc reclinatus, verſus cujus ſummitatem flores in ſpica rara naſcuntur parvi, oblongi, obſolete purpuraſcentes, pediculis brevibus, tenui ligula ad baſim cinctis, inſidentes, monopetali, in ſex ſegmenta ad medium fere tubulum diviſi. Quæ ſegmenta irregulari modo, ut flores velut bilabiati fiant, diſponuntur; tria enim, medium nempe interius, & duo exteriora, ſurſum reflectuntur, tria reliqua, duo nempe interiora & alterum exterius propendent. Ceteroquin ſegmenta hæc invicem æqualia ſunt, ea ſaltem differentia, quod duo inferiora lateralia, quæ de interiorum numero ſunt, quod margines eorum ad ſe accedant & ſemitubulata ea reddant, reliquis anguſtiora videantur. Porro duo hæc ſegmenta, quam cetera, magis candicant & argenteo nitore ad ſolem micant, reliquorum margines ſaltem albicant, per medium vero eorum ſecundum longitudinem linea latiuſcula purpuraſcens (ad baſim in ſuperiori media lacinia vireſcens) decurrit, quam lineam micantia illa quidem etiam habent, verum, ob margines conniventes, minus obſervabilem. Ceterum ſtriæ illæ exterius tranſparent & flores obſolete purpureos efficiunt.

Vaſcula ſubnaſcuntur oblonga ſubteretia, tricapſularia.

Tenera eſt planta, lente naſcitur, ab unciali & biunciali altitudine ad octo & decem unciarum longitudinem per vetuſtatem aſſurgit, & ſequentis inſtar, ſed minus libere, ſurculos aliquot circa ſe emittit.

Viſcoſitatem

Viſcoſitatem nec in pediculo, nec in foliorum ſuperficie obſervare potui, unde viſcoſam à ſucco C. Commelinum dixiſſe ſuſpicor, ad cujus figuræ, quæ folia minus bene exprimere videtur, illuſtrationem noſtram hanc ſuperaddere volui.

Ex Africa ſe laudatus Commelinus accepiſſe teſtatur: Campeſtria *Heicon* annotat H. Boerhaave Ind. Alt. Part. II. p. 131. n. 32.

ALOE AFRICANA ERECTA ROTUNDA, FOLIO PARVO ET IN ACUMEN RIGIDISSIMUM EXEUNTE

C. COMMEL. PRÆLUD. P. XXXIII. F. 32. *SINE FLORE. T. XIII. F.* 14

A Palmari ad pedalem nobiſcum naſcitur altitudinem, tota prioris inſtar foliis tecta, ſed longe crebrioribus, undique prodeuntibus & in rotundam caulis foliati figuram diſpoſitis. Ceterum folia rigida ſunt & craſſa, e latiuſcula baſi in ferocem mucronem extantem producta, parte inferiori rotundata, ſuperiori in inferioribus foliis pulvinata, in mediis plana, in ſupremis nonnihil excavata, glabra, ad margines ſubaſpera, coloris nunc viridis, nunc ex viridi obſcure purpurei, præſertim ſuperiora.

E caulibus mediis, nunc ex ipſo corde, nunc juxta intima foliola (quæ in figura lateralia fragmenta extant, prioris anni ſcapi ſunt, ex quibus annua plantæ incrementa intelliguntur) ſcapi naſcuntur pedales & ſeſquipedales, nunc ſimplices, nunc ramoſi, teretes, glabri, ab initio ſubfuſci, dein cum cærulea ſuperinducta nebula obſolete purpurei, verſus quorum ſuperiorem partem flores longa ſerie ſpicatim digeſti naſcuntur, ab initio obſolete ex ochreo colore purpuraſcentes, ſummo apice ſubcroceo, dein in candicantem colorem tranſeuntes, demptis florum ſegmentis, quæ ex herbaceo luteola ſunt. Monopetali autem ſunt flores, tubo integro ſtriato, rugoſo & criſpo, Plumbaginis calycis figura, præditi, apice in ſex brevia ſegmenta luteola diviſo, ſegmentis tribus exterioribus nonnihil amplioribus, parum expanſis, in extremitate tenuiter crenatis, interioribus nonnihil minoribus, conniventibus & non crenatis. Embryo in florum tubulo latet oblongus, obtuſe triquetrus, ſtylo ſimplici nonnihil incurvato terminatus, ad baſim vero inter embryonem & ipſum florem ſtamina oriuntur ſex, ſtylo nonnihil breviora & tubulum cum piſtillo non ſupergredientia, apicibus luteo-herbaceis capitata. In fundo liquor melleus, velut in reliquis Aloës ſpeciebus, hæret.

Fructus oblongus ſubteres eſt, glaucus, in tria loculamenta, ſemina parva, compreſſa, oblonga & velut triquetra, rugoſa, duplici ſerie oblique ſibi impoſita, per maturitatem nigricantia, continentia, diviſus.

Figura marginali prima ſtamen cum apice, ſecunda embryo, tertia & quarta fructus integer, quinta idem per tranſverſum ſectus, ſexta ſemina appoſita ſunt.

Locus natalis idem cum præcedenti huic ſpeciei adſcribitur in Hort. Lugd. Bat. Ind. Alt. Part. II. p. 131. n. 33. Altera hujus ſpecies fertur eſſe in Hollandia, differentia vero non ſatis mihi liquet.

P.16. F.13. F.14. T.XIII.



Aloë Afr. erecta triangularis, &c. Comm. | *Aloë Afr. erecta rotunda &c.* Comm.

Aloë Africana maculata

F. 15.

Spinosa major.



ALOE AFRICANA MACULATA, SPINOSA, MAJOR T. XIV. F. 15.

Est hæc Aloë Africana cauleſcens, foliis ſpinoſis, maculis ab utraque parte albicantibus notatis *Hort. Amſtel. Part.* II. *p.* 9. quo loco figura ejus laudabilis exhibetur, verum abſque flore, & cum deſcriptio ſit nimis ſuccincta, eam hic ſupplere & figuram cum flore, pace Auctoris, de novo exhibere volui. Et quamvis in Horto Piſano flores fuerint additi, tamen quoniam noſtram jam a pluribus annis paratam habebamus figuram, in qua tota planta & flores ſimul exprimuntur, eam ſuperaddere non ſupervacaneum fuit viſum, eo magis, quod figura illa Horti Piſani mutila ſit, cum uno tantum folio male expreſſo, & quod flores juſto pauciores exhibeantur, laciniæ autem eorum, quam par eſt, plures pingantur.

" Radices, obſervante Clariſs. Caſp. Commelino, habet plurimas, calami ſcrip-
" torii craſſitudinem æquantes, quæ nonnihil ad rubedinem vergentes in fibras
" exeunt tenuiores, unde caudex oritur brevis, ad brachii uſque craſſitiem excreſ-
" cens, multis circulis tranſverſis, a foliis emarcidis efformatis cinctus. Tota planta, caudex nempe & folia, pedalem, ſeſquipedalem, bipedalem & longiorem, pro ætatis ratione, altitudinem habet, ipſa autem folia, quæ juſtam magnitudinem adepta ſunt, pedalem longitudinem obtinent, latitudine fere palmari, parte interiori, qua ſe mutuo reſpiciunt, leviter concava, exteriori modice convexa, multis utrinque oblongis maculis albicantibus inſcripta, in ambitu vero plurimis ſpinis nunc rufeſcentibus, nunc albicantibus, regulari ab invicem diſtantia poſitis & baſim folii ſpectantibus, armata, reliqua autem parte, tam prona, quam ſupina folia ſunt lævia, craſſa & ſucculenta, aliarum ſpecierum Aloës inſtar nullis venis prædita, quæ ſucco, obſervante laudato Comemelino, ſcatent viſcoſo, non amaro. Ceterum folia hæc confertim denſeque ponuntur, & pleraque ſitum affectant horizontalem, (inferiora deorſum flectuntur) nam ea tantum, quæ in medio naſcuntur, juniora nempe ſurrecta obſervantur, ſuntque hæc folia reliquis magis intus concava, extus vero magis convexa.

Caulis vel pes flores gerens, non ex ipſo corde plantæ enaſcitur, ſed proxime cor prodit, juxta folia illa juniora, centrum occupantia. Ad cubitalem is & longiorem altitudinem excreſcit, parte inferiore obtuſe triquetrus, ſuperiore ſubteres, coloris ex fuſco purpuraſcentis, cui ſubglauca nebula ſuperinducta eſt, e cujus medio ad ſummitatem uſque plures ligulæ tenues membranaceæ alterna ſerie oriuntur, faſtigium autem caulis occupat florum ex oblongis gracilibus pediculis pendulorum corona, coloris extus eleganter rubentis, corallini, intus e luteolo pallentis. Monopetali ſunt flores, ventrioſi, tubuloſi, duas circiter uncias longi, (quam ſequentis nonnihil longiores) pediculis ejuſdem longitudinis hærentes, in ſex lacinias, quarum tres exteriores tres interiores ambiunt, & his nonnihil anguſtiores ſunt, per extremitates diviſi, (interiori medietate ſubvireſcente, marginibus ex flavo albicantibus) quorum ſinu continentur ſtamina ſex, ejusdem cum flore longitudinis, non e tubo floris, ſed ad baſim embryonis egredientia, apices gerentia pallide flavos. Stylus ſimplex (in tria exilia & vix viſibilia filamenta diviſus) embryoni

inſidet oblongo, (ſex ſulculis ſtriato) in tuba floris ſedenti & ex ea egredienti, qui dein in vaſculum augetur oblongum, craſſum, obtuſe triquetrum, glandis majoris magnitudine, quod licet grave ſit, ſurrectum tamen tenetur in pediculis, qui antehac flores vix ſuſtinere poterant.

Proportio plantæ ex caule florido, qui magnitudine naturali depictus eſt, dijudicari poteſt; nempe dimidiam folia & caulis inferior pars ad caulem floridum habent magnitudinis rationem. Figura marginalis prima ſtamen & apicem, ſecunda ſtylum & embryonem denotat: reliqui flores in margine poſiti, quam ſcapo adhærentes, paulo accuratius deſignati ſunt.

Pluribus annis nobiſcum floruit, & prima rudimenta caulis & florum verno tempore monſtravit, qui dein ſub æſtatis initium ad maturitatem pervenerunt. Africæ indigena dicitur, ſed ex quanam ejus plaga primum advecta fuerit, non conſtat, procul dubio autem Promontorium Bonæ Spei ipſi natale ſolum eſt, & in campis naſci dicitur in Ind. Alt. Hort. Lugd. Bat. Part. II. p. 130. n. 19. Vulgo in Anglia Carolinenſis *(The Carolina Aloë)* dicitur, ſed perperam.

ALOE AFRICANA MACULATA, SPINOSA MINOR T. XV. F. 16.

SPECIES hæc præcedenti tantopere ſimilis eſt, ut, ni curatius obſervetur, non facile diſtinguatur. Minus autem, ac illa, cauleſcit, caudicem nempe, ſi ullum habet, breviorem obtinet, (palmarem & dodrantalem altitudinem ſuperare non memini obſervaſſe) ſed nonnihil craſſiorem, folia æque quidem longa ſunt, ſed minus craſſa & minus robuſta, verſus baſim aliquanto latiora, verſus extremitatem anguſtiora & longius mucronata, magis concava, maculis minoribus & minus albicantibus notata, in dorſo verſus apicem magis, ac illius, ſpinoſa, licet ceteræ ſpinæ, quam illius, nonnihil minores videantur. Eſt porro in floribus & pede differentia, ceu qui nonnihil humilior & totus viridis, flores autem aliquanto breviores, craſſiores & profundius diviſi, colore rubente pallidiore, vivido tamen prædiți, elegantius in thyrſum digeruntur, ad quorum pediculorum baſim ligulæ, quam in illa, tenuiores appoſitæ ſunt.

Ceterum pes flores ferens prioris inſtar egreditur, ad plenam excretionem bipedalis, teres, verſus baſim compreſſus & nonnihil anguloſus, ex glauco læte virens, quo colore & folia, demptis maculis albicantibus, gaudent. Folia autem in orbem diſpoſita ſunt, interius minora, oblique ſurrecta & magis, quam reliqua concava, media magis plana & minus ſurrecta, verſus extremitatem tantum concava, inferiora horizontali ſitu plana jacent, mediis breviora, verſus extremitatem tantum nonnihil concava, infima, ſi caudicem habeat, (nam abſque hoc ſæpe obſervatur) deflexa ſunt, quamvis minus, ac præcedentis ſpeciei.

Florum laciniæ tres exteriores ad medium ab initio, dein ad fundum fere dividuntur, tres interiores etiam ab initio ad baſim usque diviſæ ſunt, ita tamen ut in dorſo ſuo petalis exterioribus connaſcantur & florem monopetalum efficiant. Porro petala tria interiora aliquanto latiora, quam exteriora, ſunt & pallidiora: utraque verſus extremitatem lineam in medio virentem habent. Stamina ſex ſunt, oblonga,

Aloë Africana maculata, Spinosa minor.





oblonga, juxta embryonem e floris fundo enaſcentia, quæ alternatim, terna & terna egrediuntur, in quibus apices oblongi crocei hærent, floris tubum non multum ſuperantes.

Serius, quam præcedens ſpecies, nempe Septembri & Octobri menſibus nobiſcum floruit.

Figura noſtra dimidiam circiter ipſius plantæ magnitudinis portionem habet, flores autem in margine utrinque appicti juſtam & naturalem magnitudinem repræſentant.

Forte Aloë Africana cauleſcens, foliis ſpinoſis, maculis ab utraque parte albicantibus obſcurioribus, magis glaucis, quam præcedens *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 130. *n.* 20. ubi etiam, illius inſtar, camporum incola dicitur.

ALOE AFRICANA MARGARITIFERA, MINOR C. COMM. HORT. AMSTEL. PART. II. CAP. XI. P. XXI. F. XI. *T. XVI. F.* 17.

Ex Seſſilibus, quibus folia in omnem partem vergunt, tres ſunt Aloës ſpecies, foliis & naſcendi modo ſibi plane ſimiles, quarum prior dicta fuit, Aloë Africana, folio in ſummitate triangulari, margaritifera, flore ſubviridi *Hort. Amſt. Part. II. p.* 19. *fig.* 10. In qua figura omnia ſatis bene, præter florum ſegmenta, quæ nimis acuta, nec ſitu naturali expreſſa ſunt, exhibentur. Altera eſt, Aloë Africana margaritifera, minor *Ejuſd. Hort. p.* 21. cujus figura *Tab.* 11. ſed ſine floribus exhibetur. Tertia audit, Aloë Africana margaritifera, minima *C. Comm. Præl. p.* 43. cujus figura, ni nimis atra, non illaudabilis exhibita fuit inter *Plant. Succul. Dec. III. p.* 1 *T.* 21. nomine Aloës Africanæ margaritiferæ, folio undique verrucis numeroſiſſimis ornato, flore ſubviridi *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 131. *n.* 30. De quarum differentia, ut eo clarius conſtet, utriuſque figuram & deſcriptionem exhibere placet.

Minor ſpecies foliis quidem tum a majori, i. e. Aloë Africana folio in ſummitate triangulari, margaritifera, flore ſubviridi *Hort. Amſt.* tum a ſequenti minima facile diſtinguitur, cum ea verſus extremitatem anguſtiora & longius, quam utriuſque, mucronata ſint. Dein folia ejus ſunt viridiora & magis glauca, tuberculis, quam ſequentis, nonnihil majoribus, non æque frequentibus & magis regulariter diſpoſitis obſita. Flores & ſcapus ſimiles ſunt, niſi quod ſcapus non æque ramoſus, ac majoris, ſit, quam ſequentis vero magis teres & nonnihil tenuior, minus ad baſim compreſſus, nec eminentiis illis verrucoſis obſitus, colore præditus obſcuriore.

Ceterum flores, antequam explicantur, e viridi & ſubglauco obſolete purpuraſcunt, ubi vero explicati ſunt, tubulus e cinereo magis vireſcit, laciniis ad margines candidis, in medio virentibus, verſus extremas oras ſubfuſcis, ſegmentis tribus exterioribus magis planis, interioribus magis concavis, de quorum figura & ſitu plura apud ſequentem ſpeciem, utriuſque enim iidem ſunt flores. In florum fundo liquor hæret dulcis, velut in aliis Aloës floribus.

Stylus brevis tribus tenuiſſimis corniculis terminatur, inſtar ſequentis, embryoni inſidens oblongo, obtuſe trigono, ad cujus baſim ſtamina oriuntur ſex apicibus croceis

croceis capitata. Embryo dein in fructum abit oblongum acute triquetrum, e glauco virentem, in terna loculamenta, ſemina plana ſubrotunda fuſca, margine foliaceo cincta & imbricatim ſibi impoſita, continentia diviſum. Hæc figura minori quinta, quarta vaſculum tranſverſim ſectum, tertia idem integrum, ſecunda ſtamina, prima embryo & ſtylus repræſentantur.

Auguſto menſe floret. In Africa, circa Promontorium, ſuſpicor, Bonæ Spei, ſponte naſci refertur in Horto Amſtelodamenſi, & ſpeciatim Camporum proles dicitur in Indice Alt. Hort. Lugd. Bat. Part. II. p. 130. n. 26.

ALOE AFRICANA MARGARITIFERA, MINIMA COMM. PRÆLUD. P. XLIII. *T. XVI. F.* 18.

PRÆCEDENTIS inſtar folia habet plurima, ima in orbem ſparſa, media & interiora ſurrecta, figura margaritiferæ majoris, ſed longe minora, tuberculis duris glabris, quæ margaritis comparantur ab Auctoribus, minoribus candidis, cum illius obſcuriora, obſita, coloris cetera parte obſolete virentis, extremitate foliorum purpureo colore obſcuriore aſperſa.

Juxta media ſeu intima folia, non ex ipſo corde, ſcapus naſcitur, prioris inſtar, dodrantem & pedem longus, rigidus & pro plantæ parvitate ſatis craſſus, ad baſim compreſſus & eminentiis quibuſdam verrucoſis oblongis notatus, in media parte ſubteres, in ſuperiori ex tereti anguloſus, ſubtriquetrus nempe, glaber, coloris cum inducta ſubcærulea nebula obſolete purpurei, modo ſimplex, modo brachiatus, in ſpicam deſinens florum obſolete ex vireſcente & purpureo colore cinereorum. Qui flores ad baſim ventrioſi ſunt, reliqua parte anguſtiores, tubuloſi, in ſex ſegmenta nonnihil reflexa diviſi, veluti bilabiati & irregulares; tria enim interiora ſegmenta inæqualia apparent, ſuperiori ſurrecto latiore, lateralibus, alarum inſtar poſitis, anguſtioribus, (quod ita fit, quod hæc magis concava, illud magis planum ſit) tria vero exteriora invicem quidem æqualia ſunt, ſed ſitu inæquali diſpoſita, duobus ſuperiorem partem occupantibus, inferiori inter lateralia propendente. Itaque ſitu potiſſimum irregularitatem affectant hujus & reliquarum margaritiferarum flores. Quæ irregularitas licet in hac, præcedenti & Aloë Africana erecta triangulari conſpicua ſit, neminem tamen fore confido, quineas veras Aloës ſpecies eſſe concedat.

Flores quamvis profundius diviſi videantur, laciniæ tamen ſponte ab invicem non abſcedunt & fundus integer eſt, hinc pro monopetalis aliorum hujus generis inſtar habendi ſunt. Ceterum floris laciniæ in medio ſubvireſcunt, oræ ex candido purpuraſcunt, demptis lateralibus alis, quæ reliquis magis candidæ, ſubcriſpæ & micantes apparent. Stamina ſex brevia in florum tubulo latent, juxta embryonem orientia, apicibus croceis terminata.

Stylus brevis, in tria exilia fila diviſus, embryoni oblongo obtuſe triquetro inſidet, qui dein magnitudine auctus acute triquetrus fit, quam præcedentis ſpeciei brevior & rugoſior, pediculo breviori, vel nulli potius inſidens, colore tinctus e cinereo fuliginoſo, ſemina continens nigricantia, margine membranaceo longiore & albicante cincta, gemello ordine in ſingulis loculamentis diſpoſita, quæ ſeorſum figura quinta, quarta vaſculum tranſverſus ſectum, tertia idem integrum, ſecunda

ſtamina

F. 17.

F. 18.

Aloë Afric. marga- ritifera minor Comm.

Aloë Afric. margari- tifera mi- nima Comm.





Aloë Africana, mitræformis, Spinosa.

ſtamina, prima embryonem & ſtylum appicta vide. Patria ipſi cum præcedenti eadem & idem florendi tempus.

Scapi laterales in figura reſidui præcedentium ſunt annorum, qui quo exterioribus foliis magis appropinquant, eo vetuſtiores ſunt, quod & de aliis valet.

ALOE AFRICANA MITRÆFORMIS, SPINOSA

T. XVII. F. 19.

INTER numeroſas, quas Hortus Elthamenſis alit, Aloës ſpecies, lætiſſime viget elegans hæc ſpecies, & ſingulis fere annis copioſa florum corona ſuperbit.

Ubi junior eſt planta, caudice pæne caret, annoſior vero facta, pedalem longioremque ſtipitem acquirit, carpi craſſitie, e cinereo ſubfuſcum, circulis tranſverſis, qui foliorum emarcidorum reliquiæ, notatum, inde ad cubitalem uſque altitudinem foliis undique veſtita ſurgit; quæ folia ex adverſo cruciato ſitu crebra ſurriguntur, longitudine dodrantali, latitudine palmari, verſus extremitatem anguſtata & in mucronem aculeatum, nunc ſimplicem, nunc geminatum terminata, uno alterove hac parte aculeo ad margines armata, hinc ad uncialem & biuncialem diſtantiam aculei marginales deſunt, horum vero loco in dorſo aculei aliquot breviores locantur, cetera dorſi parte aculei rurſus deſunt, ad margines autem denuo adſunt ſatis frequentes, breves, rigidi, plerumque albicantes, in extremitate foliorum e fuſco purpuraſcentes. Folia dorſum habent convexum, ventrem concavum, mitræ figuram & ſitum æmulantia, craſſa lævia, ſimpliciter & obſcurius viridia, (abſque, vel parciſſima ſaltem, nebula cærulea inducta) ſubinde, præſertim hyeme, e viridi purpuraſcentia, aut in ſubfuſcum vergentia.

Scapus juxta media folia prodit ſeſqui & bipedalis, digitum craſſus, verſus baſim obtuſe triquetrus, cetera parte ſubteres, purpuraſcens, nebula cærulea obductus, in plures (quatuor & quinque) ramos dodrantales, pedales & procedente tempore longiores brachiatus, quorum faſtigiis innumeri hærent flores in ſpicam latam pyramidatam digeſti, ab initio minores & ſurrecti, ſubglauci, dein longiores, horizontalem ſitum aſſumentes, & ex glauco in corallinum rubrum colorem abeuntes, tandem ſub perfectionis ſtatu ex oblongis pediculis penduli, colore amœne rubro præditi, in ſex lacinias profundius, quam in aliis, nempe ad fundum fere diviſi, ſegmentis tribus exterioribus dicto ubique colore corallino tinctis, verſus extremitatem anguſtioribus, tribus interioribus e luteolo albicantibus, ſtria corallina in dorſo diſtinctis, extremis oris latioribus & obtuſioribus, e luteo virentibus. Flores autem licet profundius, quam alii, dividantur, & per vetuſtatem in ſex petala ad medium uſque fatiſcant, ſponte tamen ab invicem non ſecedunt, ſed fundum imum integrum habent, & pro monopetalis ideo habendi ſunt, quamvis ſtamina non ex tubo floris, quod in plerisque monopetalis tubuloſis fit, ſed inter florem & embryonem egrediantur. Stamina vero ſex ſunt, latiuſcula, plana, ejuſdem cum flore longitudinis, apicibus croceis terminata. Stylus ſimplex in extremitate tenuiter cirroſus embryoni inſidet oblongo, obtuſe trigono, qui, licet toties floruerit planta, ad maturitatem nobiſcum nondum pervenit. Singulos florum pediculos ligula membranacea e fuſco luteola ambit, quæ ligulæ porro per ramulorum partem ſu-

 periorem

Aloë Barbadensis mitior; læte virens & Splendens.



Æſtate pluribus annis flores ſuos ſpecioſos nobiſcum tulit, e tenuibus rubentibus pediculis, quibus tenera ligula e rubro albicans ſubſternitur, pendulos & in alterutram plerumque ſcapi partem verſos. Quorum florum ut interiora & ſegmenta clarius appareant, figura marginali tertia flos ſurſum ſpectans, ſecunda ſtamina apices & ſtylus, prima embryo & ſtylus ſeorſum appoſita ſunt.

Originis Africanæ eſſe ex modo naſcendi videtur. Cum Aloë Africana flore rubro, folio triangulari & verrucis ab utraque parte albicantibus notato *Hort. Amſt. Part. II. P.* 17. *T.* 9. non eſt eadem, ſed diverſa: Illius folia magis plana ſunt & in eodem plano ſita, verſus extremitatem vero plerumque anguſtata.

An Aloë Africana foliis planis, conjugatis, carinatis, verrucoſis, caule & flore corallii colore *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 131. *n.* 36? At noſtræ folia plana non ſunt, nec in eodem plano jacent, ſed ex adverſo cruciato ſitu ſibi reſpondent.

ALOE BARBADENSIS MITIOR, LÆTE VIRENS ET SPLENDENS T. XIX. F. 21.

VULGARI Aloë Americanæ muricatæ, vel & Aloë ex Vera Cruce naſcendi modo & foliorum figura ſimilis eſt, ſed non æque robuſta, ac illa & folia habet non glauca, ſed læte virentia & ſplendentia. Folia autem in plantis, ut judico, decennalibus aut duodecenalibus bipedalia & tripedalia erant, tertiam pedis partem lata: interiora modice cava, oblique ſurrecta, exteriora magis plana & magis reclinata, quædam etiam verſus extremitatem reflexa, baſi latiuſcula prædita, & craſſiora verſus baſim, quam reliqua parte, hinc nonnihil contracta, inde pedetentim ampliata, & tandem lente in mucronem rigidum pungentem deſinentia, paulo ante, quam mucro incipit, convoluta, veluti in vulgari Aloë, aculeo e fuſco nigricante ſplendente, per margines ſpinis vel aculeis brevibus rigidis ſat crebris, (præcipue verſus baſim, ſed minoribus hac parte) e fuſco item nigricantibus obſita. Folia intima convoluta ſunt, & impreſſiones marginales foliorum, quæ antehac ea complectebantur, retinent. Equidem folia interiora verſus baſim nonnihil glauceſcunt, & nebulam parvam cæruleam inductam habent, at reliqua parte & cetera omnia folia dicta nebula carent, unde merito læte virentis & ſplendentis appellationem meretur & hinc diſtinguitur hæc ſpecies. Ceterum figura noſtra quartam plantæ, ad quam picta, naturalis magnitudinis partem habet.

Flores nondum dedit; ſuſpicor autem hanc & Veracrucenſes ſpecies eandem cum Aloë Americana vulgari, florendi rationem obtinere, quæ non parum a ceteris Aloës ſpeciebus differt, & proin ſuum ſibi genus poſtulare videntur.

Plantam debet Hortus Elthamenſis Dn. Newport, Mercatori Londinenſi, ad quem ex Barbadenſi Inſula advecta fuit. Tenera eſt & a frigore hyemali probe cuſtodienda hæc ſpecies.

Forte hujus loci eſt, Aloë Americana Surinamenſis, foliis latioribus lucidis ſerratis *Hort. Beaum. Cat. p.* 5.

ANA-

AMARANTHOIDES PERENNE, FLORIBUS STRAMINEIS, RADIATIS T. XX. F. 22.

PLANTA hæc multos ex eadem radice ſpargit ramos, pedales, bipedales, & longiores, infirmos & reclinatos, ad genicula leniter intumeſcentes ſeu nodoſos, & foliis conjugatis, leni lanugine incanis cinctos, e quorum alis alii naſcuntur ramuli in latera diſtenti & oblique ſurrecti, ita ut rami majores & ad inferiora genicula brachiati fiant, ſeu ramos in latera multum ſpargant. Folia omnia, magnitudine excepta, ſibi invicem ſimilia ſunt, quam vulgaris Amaranthoidis, cui proxime accedunt, longiora & magis acuminata, in plantis junioribus unde noſtra ſigura deſumpta, latiora, in annoſioribus anguſtiora.

Flores ſummis ramis innaſcuntur coloris pallide flavicantis, qualis in ſtramine ſolet adverti, quoquoverſum diſpoſiti & veluti verticillatim ſummos caules & ramulos terminantes, quorum floſculi oblongi ſunt & tubuloſi, teneri, in quinque anguſta bifida ſegmenta, ita ut decem appareant laciniæ, (vid. figura marginalis ſexta & ſeptima) diviſi, quibus ſtella inſidet quinquangularis coccinea, tubam floſculi occupans, quæ mox diſparet & laciniæ floſculi ita revolvuntur, ut tubulus floſculorum brevior fiat, & bifidæ illæ laciniæ plane in ſe volutæ diſpareant, ut floſculi non niſi quinquefidi (vid. figura prima, ſecunda tertia & quarta) videantur. Ceterum ſtellæ iſtæ coccineæ non niſi apices ſunt, floſculorum laciniis incumbentes, qui quinque numero ſunt, & ſeorſum e floſculorum tubulo oriuntur. Porro ſinguli floſculi multis, tanquam calyce, cinguntur ſquamis exſuccis candidis, per margines lanuginoſis, arcte, figura prima, ſecunda, quarta & ſexta, appreſſis, quæ figura tertia & ſeptima ab invicem ſeparatæ & divulſæ exhibentur, figura autem ſexta, loco anteriore, floſculus abſque ſquamis ſeu calyce appictus eſt: Embryo in floſculorum fundo latet brevis compreſſus, ſtylo bifido, (figura quinta) terminatus. Duo plerumque iſtiusmodi florum verticilli ſummos ramulos terminant.

A reliquis Amaranthoidis ſpeciebus differt, capitulis laxioribus, folioſis ſquamis carentibus, floſculis radiatim diſpoſitis, foliis & caulibus anguſtioribus & tenerioribus, quodque caules minus erecti ſint, ſed ſublignoſi & perennes.

Hujus nec figuram, nec deſcriptionem, immo ne nomen quidem a quoquam traditum exiſtimo. Ortum ex ſeminibus Bonarienſibus a Dn. Mylamallatis. Julio & Auguſto menſibus floret.

Amaranthoidis genus & nomen pridem a celeberrimis Rei Herbariæ Auctoribus, Hermanno, Plumiero, Tournefortio & Rajo receptum fuit, nomina autem uſu recepta, ni gravis urgeat ratio, mutanda non ſunt; quapropter novo Caraxeri nomine ſuperſedere potuiſſet Vaillant Comm. Acad. Reg. Scient. A. 1722. p. 193. Ratio autem Vaillantii, quod ſpecies hujus generis nullam habeant cum Amarantho ſimilitudinem aut affinitatem, nulla eſt, licet enim charactere differant, facie tamen & comæ ſimilitudine ſatis conveniunt.



Amaranthoides floribus, stramine is radiatis,
perenne

P. 25. F. 23. T. XXI.



Ananas lucide virens, folio vix serrato.

ANANAS LUCIDE VIRENS, FOLIO VIX SERRATO T. XXI. F. 23. T. XXII. F. 24. ET ANANAS VULGARIS FOLIO, OMNINO NON SERRATO.

VULGATIORES Ananas ſpecies folia habent per omnem longitudinem crebris dentibus acutis, quos lucio piſci non male comparat Marcgravius, inciſa, colore prædita interius ſaturanter virente & ad ſubcæruleum vergente, exterius vero incana ſunt, veluti ſi farina reſperſa eſſent. Hæc vero ſpecies nullam iſtiusmodi canitiem foliis inductam habet, ſed utrinque ſimpliciter & læte viret, ac præterea ſplendet, denticulationes autem tam exiguæ & raræ ſunt, præſertim in inferioribus foliis, ut non facile obſerventur, & hinc eſt, quod primo obtutu ab aliis facile diſtingui queat hæc ſpecies.

Ceteroquin folia illarum inſtar e baſi plantæ imbricatim progrediuntur, oblique ſurrecta, cubitalia & ſeſquicubitalia, unciam & duas uncias, ſi interiora excipias, lata, tenuibus venis ſecundum longitudinem exarata, e quorum centro caulis prodit dodrantalis, cum floreret, altitudinis, poſtea nonnihil altior, digitum minorem craſſus, e ſubfuſco virens, teres, glaber, foliis aliquot minoribus, inferiori parte eleganter rubentibus, ſuperiori læte virentibus, cinctus, cui capitulum innaſcitur tuberculoſum & folioſum, nempe ex embryonibus, floribus & ſquamis foliofis, embryonum baſi adnaſcentibus, compactum, corona folioſa in faſtigio, ceu ceteræ ſpecies, terminatum.

Calyces trifoliati non decidui embryonibus connaſcuntur, & tubercula e triquetro ſubrotunda efficiunt, e quibus flos emicat parvus monopetalus, in mucronem rigidum convolutus, qui, ſole & calore urgente, in tres lacinias hiat, colore, ut in reliquis, ſubcæruleo præditus, ſquamæ autem, calyces & tubercula capitulum componentia, ſanguineo colore conſpicua erant, quo colore & faſciculus foliorum coronam formans gaudebat, demptis ſuperioribus, quæ inferius virebant. Floribus præteritis, quin & calore deficiente (planta nempe e Caldario exempta) vividus ille color tranſibat & in xerampelinum mutabatur, dein fructu increſcente in læte virentem tranſibat, ipſe autem fructus grandior factus ſaturatius & obſcurius virebat, donec is ſub auctumnum ad maturitatem pervenit & aureo colore tinctus erat, magis quam vulgaris, tuberoſus, e tuberculis nempe magis protuberantibus (e triquetro rotundis) & ſquamis craſſioribus & carnoſioribus (tam his, quam illis, hinc inde rimoſis) compactus, durior, minor & obtuſior, quod an perpetuo ita ſe habeat, experientia compertum nondum habemus, cum unicus ſaltem fructus ad maturitatem pervenerit, & vulgaris ſpecies ſæpe fructus & minores, & majores nobiſcum proferat.

Equidem Marcgravius Hiſt. Plant. Braſil. L. 1. C. 16. & alii quidam Scriptores Indici ſimilem rubedinem adſcribunt vulgari ſpeciei, & procul dubio regio natalis exaltationi coloris favet, nobiſcum vero vulgatiores ſpecies eodem tempore in eodem Caldario rubore in capitulo omni carebant, colore præditæ cum foliis eodem ſubglauco.

Alia vero nobis eſt ſpecies, cujus capitula aliquantum ex glauco rubent, foliis tam ab hac noſtra lucida, quam a vulgari, differens, ceu quæ nullas omnino denticulationes habent, colore donata interius magis, quam vulgaris, virente & minus glauco, quam hujus vero obſcuriore & minus læte viridi, minime ſplendentia,

exterius vero ea, vulgaris inſtar, ſubincana ſunt & a lucida longe diverſa. Floribus poſterioris hujus ſpeciei color ſaturatius cæruleus erat, quibus præteritis fructus loco non niſi germina folioſa crebra enata ſunt, cujusmodi germina aliquot Ananas non aculeata, Pitta dicta *Plum. Cat.* & *Delin.* habet fructui adnaſcentia, ut eadem huic ſpeciei videatur, licet nullos omnino fructus nobis dederit. Quæ ſpecies non confundenda cum Aloë Americana viridi rigidiſſimo & fœtido folio, Piet dicta *Hort. Beaum. & Amſt. P. II. p.* 35. Figuram, cum folia, præterquam quod denticulationibus careant, vulgari plane ſimilia ſint, omitto, illius autem duplicem, alteram cum flore, alteram cum fructu dedi, de qua notandum, quod non tantum in hac, ſed & vulgari ſpecie apud nos corona folioſa latius, quam in Indiis excreſcat, quoniam nempe plantæ nobiſcum pleraque anni parte clauſæ ſervantur, & calore artificiali urgentur. Ceterum folia coronæ hujus plane lævia ſunt, & ſpinulis omnino carent.

Utraque ſpecies Americam agnoſcit patriam, cui & vulgaris primum ortum debet, prout ex Hiſtoriæ naturalis Indicæ ſcriptoribus conſtat, præſertim Chr. Acoſta. Edit. Hiſp. Cap. 58. Lat. Clus. Cap. 44. qui ex Provincia S. Crucis in Braſilia primum in Indiam Occidentalem, deinde etiam in Orientalem Indiam delatam teſtatur, & cum primum in Indiam illatus eſſet hic fructus, ſingulos decem ducatis aut paulo amplius æſtimatos refert, poſtea vero ſuo tempore propter abundantiam vix duobus regalibus Caſtellanis veniiſſe.

ANANTHOCYCLUS CHAMÆMELI FOLIO

VAILL. COMM. ACAD. R. SCIENT. A. 1719. p. 289. n. 2. *T. XXIII. F.* 25.

HERBULA eſt plerumque palmaris, cauliculis nonnihil reclinatis, tenuibus pilis aſperſis, tactu tamen glabris, teretibus, teneris & dilute virentibus, in ramulos breves abeuntibus, quibus folia adnaſcuntur tenera glabra, utrinque virentia, Chamæmeli latifolii Luſitanici, ſive foliis Coronopi *Breyn.* quodammodo ſimilia, ab aliorum vero Chamæmelorum plerorumque foliis non parum abludentia.

Flores ſeu capitula in ſuperiori ramulorum parte in ſingulis pediculis naſcuntur ſingula, plerumque nutantia, e plurimis floſculis exilibus, in quatuor tantum lacinias diviſis conflati, quos floſculos ſeries aliquot embryonum, ſtylo tantum exili bifido terminatorum cingunt, qui mox intumeſcunt & totum capitulum implent, inque ſemina abeunt latiuſcula, leniter compreſſa, breviora & minus, ac ſequentis ſpeciei, marginata. Calyx e duplici triplicique ſquamarum invicem æqualium, ſibi impoſitarum, ſerie conſtat.

Radix tenuis fibroſa. Annua eſt planta, ex ſemine deciduo facile renaſcens. Julio & Auguſto floret.

Figura marginali prima embryones, qui floſculis carent, & ſtylum tantum bifidum habent, ſecunda floſculi naturali, tertia aucta magnitudine, quarta ſemina matura appicta ſunt.

Quærit Vaillant, an ſit Chryſanthemum exoticum perpuſillum nudum, foliis Coronopi *Pluk. Alm. p.* 101. *Tab.* 274. *fig.* 6. Ego vero minime dubito, quin illud idem ſit, cum foliorum diviſura bene reſpondeat. Figura autem eſt nimis, conciſa,



Ananas lucide virens, folio vix serrato.



Ananthocyclus Chamæmeli folio Vaill.
Ananthocyclus Coronopi folio Vaill.

conciſa, nempe particula ſaltem plantulæ, & ideo novam mereri viſa fuit. Ceterum Plukenetius Mant. p. 48. nos docet, ex inſula St. Helena primum ejus ſemina delata fuiſſe.

ANANTHOCYCLUS CORONOPI FOLIO VAILL.

COMM. ACAD. R. SCIENT, A. 179. p. 289. n. I. *T. XXIII. F.* 26.

HUJUS etiam, titulo Chryſanthemi exotici minoris, capitulo aphyllo, Chamæmeli nudi facie, figura nimis conciſa, nempe particulæ aliquot ramulorum exhibentur a *Jac. Breynio Cent. Plant. Rar. Tab.* 76. & quamvis melior data fuerit in *Hiſt. Oxon. Part. III. Sect. VI. Tab.* 6. loco ultimo, titulo Chryſanthemi Africani minimi, floſculo nudo cernuo, & Bellidis annuæ, capitulo aphyllo luteo, tamen nec noſtra figura, quam Tabula admittit, nocebit, & vel illuſtrationis & differentiæ monſtrandæ uſum præſtabit.

Palmaris & dodrantalis eſt plantula, cauliculis partim leniter ſurrectis, mediis nempe, partim, exterioribus videlicet, leniter reclinatis, teneris, glabris, (non piloſis) dilute virentibus, teretibus & veluti junceis, ramulos ad genicula emittentibus ſimiliter formatos, quos folia aliquouſque vaginæ membranaceæ inſtar baſi ſua cingunt, per margines plus minuſve, Coronopi inſtar, ſed minus profunde dentata, glabra & ſplendentia, plana & avenia, nervo ſaltem medio latiuſculo plano & vix conſpicuo prædita. Porro folia quædam integra ſunt, nempe minora e foliorum alis naſcentia & quæ ſuperius florum pediculos cingunt.

Florum autem pediculi tenues ſunt, in quibus capitula hærent, ab initio minora & rotundiora, (diſco licet plano) erecta, dein majora & magis protuberante diſco gaudentia, pendula, quibus floſculi continentur præcedenti ſpeciei ſimiles, minuti nempe, quadrifidi, lutei, ſtylum non exerentes. Calyx etiam priori ſimilis, verum ordo embryonum, floſculis maſculis deſtitutorum videbatur ſimplex, qui in ſemina abeunt nonnihil majora, nempe latiuſcula & oblonga, leniter compreſſa & marginata. Stylus exiguus bifidus. Flores triti tenuem Chamæmeli ſpirant odorem. Æſtate floret. Radix tenuis fibroſa annuam plantam indicat.

Figura marginali prima floſculos naturali, ſecunda aucta magnitudine, tertia embryones, quarta ſemina matura ſeparatim more noſtro appinximus. Ab hac ſpecie generis characteriſticam figuram formavit Vaillant, floſculorum vero diviſuram, quæ conſtans, non advertit.

Sponte naſcitur, Hermanno teſte, circa Promontorium Bonæ Spei, &, ſi Auctoribus fides, aliis Africæ locis provenit.

Præter Synonymon *Breynii* figuræ ipſius adſcriptum & ſuperius recitatum, huc referri debent: Bellis lutea, ſive Chryſanthemum Capitis Bonæ Spei repens, flore aphyllo D. Syen *Breyn. Ibid. ad deſcriptionem p.* 156. Chryſanthemum Africanum procumbens, flore cernuo nudo, luteo *Suth. Hort. Edinb. p.* 83. Bellis Africana capitulo aphyllo luteo, Coronopi folio, cauliculis procumbentibus *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 86. *Bob. Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 30. *n.* 24. Chryſanthemum Tingitanum minimum procumbens, foliis verſus imum dentatis, floſculo nudo cernuo *Moris. Ibid.* Bellis Africana Coronopi folio, flore nudo *Ciaſſi Ibid.*

Chryſanthemum

Chrysanthemum Cap. Bonæ Spei pusillum, flore aphyllo luteo, cernuo *Hoffm. App. Rar.* Santolina Africana Coronopi folio, cauliculis procumbentibus *Boerh. Ind. Alt. p.* 124. *n.* 9.

Bellis Africana capitulo aphyllo luteo, Coronopi folio, cauliculis junceis erectis *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 86. hujus varietas videtur, nam in eadem planta cauliculi & surrecti & procumbentes observantur.

ANONIS ALOPECUROIDES MITIS ANNUA, PURPURASCENS T. XXIV. F. 27.

ERECTAS inter & procumbentes Anonides ambigit hæc species, caulis enim primarius & medius rectus plerumque est, pedali & bipedali altitudine, circa quem alii caules & rami humi procumbentes sparguntur, teretes, pilosi, quorum surculi in crebras spicas semunciales & unciales desinunt, e squamis & foliolis partim trifoliatis, partim unifoliatis, squamæ excavatæ insidentibus, calycibusque grandiusculis compositas, e quibus flores parvi dilute purpurascentes exeunt, quibus fatiscentibus calyces & siliculæ intumescunt, latiusculæ, planæ, semina aliquot reniformia subrotunda continentes. Spicæ dein, floribus dilapsis, longius aliquanto excrescunt.

Folia glabra sunt, venosa, nervo in aversa parte leniter piloso distincta. Variant vero folia hæc, & nunc rotundiora, nunc longiora sunt. Porro antequam floret planta, folia majora & longiora, quam ubi floret, observantur, cujusmodi folium ad latus figuræ seorsum appingitur num. 6. Ex altera vero parte foliola & squamæ, e quibus spicæ constant, num. 5. & 4. calyces item num. 3. siliculæ num. 2. & semina num. 1: separatim apponuntur. Spinis caret. Nec viscosa, nec olens est.

Julio & Augusto mensibus floruit, orta ex humo Barbadensi, cum aliis plantis advecta.

Anonis non spinosa purpurea, supina, minima *Raj. Syll. Ext. p.* 64. ab hac differt, quod minor sit & procumbens planta, minus ramosa, foliis crebrius & propius juxta se orientibus.

Anonis Sicula Alopecuroides *Inst. Rei. Herb. p.* 408. planta est nostra multo grandior, longa dotata spica, foliis majoribus simplicibus, lata appendice ad basim alatis.

Anonis purpurea hirsuta, floribus in Thymi capitula nutantia arrectis *Hort. Cath.* nostræ similior est, sed diversa spicis & foliis longioribus, caulibus robustioribus lignosis, perennantibus, ut videtur.

Ononis purpurea, non spinosa, minor *Barrel.* quoniam *icon num.* 775. imperfecta, descriptio autem *Observ.* 837. jejuna est, qua in re a nostra differat, docere nequimus.

Ononis non spinosa, flore rubro spicato, minor annua *Virid. Lusit.* nostræ quoad nomen, non patriam, apte respondet; sed cum in Phytophylacio Sherardino servetur eadem cum nostra planta, quæ in Balearicis insulis lecta & a Salvadore, ni fallor, missa est, nomine Anonidis Balearicæ non spinosæ supinæ, viscosæ & villosæ



Anonis alopecuroides mitis annua, purpurascens.



Anonis maritima procumbens, foliis hirsutie pubescentibus Pluk.

loſæ, ſpicato flore purpureo *Hort. Ipſ. Sicc.* fit ut credam, eandem plantam in utroque orbe naſci, vel errorem commiſſum ab Hortulano. Ceterum folia Balearici ſpeciminis villoſa non ſunt, ſed tantum caules & rami, viſcoſam vero non obſervavimus.

Hujus porro ſpeciei ſynonyma facio, Anonidem ſpicatam, ſive alopecuroidem Luſitanicam, non ſpinoſam *Herm. Del. Hort.* quod nomen repetitur in *Cat. ad fin. Par. Bat.* & figura titulo Anonidis ſpicatæ ſeu alopecuroidis in Volumine delineationum Plantarum pro Tomo ſecundo deſtinatarum, quæ ſervantur in Bibliotheca Sherardina, exhibetur, noſtræ ſatis apte, niſi quod calyces non uſque adeo accurate exprimentur, reſpondens: Item Anonidem alopecuroidem annuam purpuream Bobart. *Pluk. Alm. Emend.* 398. ubi Moriſoni ſynonyma vide, quibus addi poteſt, Anonis non ſpinoſa procumbens Luſitanica, flore purpureo ſpicato *Heuch. Nov. Prov.* 1711. *p.* 65. Ceterum cum figura *Hiſt. Ox. Part. II. Sect.* 2. *Tab.* 17. *f.* 4. *Ser.* 1. non ſatisfaciat, Hermanniana autem non ſit publicata, noſtra ſuperflua non fuit viſa.

ANONIS MARITIMA PROCUMBENS, FOLIIS HIRSUTIE PUBESCENTIBUS. PLUK. ALM. P. XXXIII. SYN. RAI. EDIT. PRIM. APP. P. CCXL. EDIT. SEC. P. CLXIX. ED. TERT. P. CCCXXXII. NUM. III. *T. XXV. F.* 28.

In arenoſis maris littoribus variis Angliæ locis naſcitur nova hæc & diſtincta ab aliis Anonidis ſpeciebus ſpecies, ramis pedalibus, ſeſqui & bipedalibus, pluribus ex eadem radice naſcentibus, & quaquaverſus humi ſparſis, unde plures alii ramuli per genicula naſcuntur ſurrecti, palmares & dodrantales, e quorum foliorum alis flores prodeunt, quam in vulgari non ſpinoſa ſpecie, nonnihil minores, ſed pulchriores, vexillo ſatis amplo ſtriato, ſaturatiore purpureo colore tincto, alis latiusculis obtuſis, candicantibus, aut dilutiſſime purpuraſcentibus, carina mucronata & verſus apicem ſaturatiore purpura tincta, baſim verſus albicante.

Siliquæ floribus ſuccedunt breves, ſubrotundæ, in quibus duo triave continentur ſemina reniformia, quæ ſubter plantam figura tertia, ſecunda vero ſilicula extra calycem, prima cum calyce ſeorſum deſignantur.

Folia in ramulis ſurrectis naſcentia parva ſunt, ſimplicia, vix venoſa, duabus auriculis verſus baſim prædita, at quæ in ramis procumbentibus naſcuntur majora ſunt, trifoliata, venis aliquot & auriculis latioribus prædita. Ceterum omnia folia craſſa ſunt, rotundiora & minora, quam vulgaris ſpeciei, molli hirſutie undique, præſertim inferiore parte, obducta. Caules item & ramuli, itemque ſiliculæ & calyces crebris pilis veſtiti obſervantur. Non ſpinoſa parumque graveolens eſt planta, & quamvis viſcoſa non ſentiatur, pinguis tamen tactu apparet, arenamque ſat tenaciter retinere ſolet.

Ad Anonidem vulgarem non ſpinoſam proxime accedit, ſed planta eſt humilior, humifuſa, foliis rotundioribus & craſſioribus, minuſque graveolentibus, minus venoſis & obtuſius, quam illius, crenatis prædita. Quibus notis adde loci diverſitatem.

Ad maritimas, inquit Plukenetius, arenoſas Cornubiæ oras reperta & ad nos delata eſt, unde colligitur, ipſum plantam naſcentem non vidiſſe, quamvis a ſicco ſpecimine accurate ab aliis ſpeciebus diſtinxerit. In locis a Doodyo in tertia Synopſis Rajanæ editione memoratis mihi nondum obſervata, nec ſoli natura ei convenire videtur, ut dubitem an noſtram, & non potius Anonidem vulgarem non ſpinoſam, quæ ſubinde procumbit, viderit. Cetera loca in dicta Synopſis editione memorata ei congruunt. Mihi in arenoſis maritimis prope Noviburgum in Mona inſula copioſe naſcens obſervata, unde ſemina pro Horto Elthamenſi detuli, in quo Junio menſe flores dat, viget & etiamnum perennat hæc ſpecies.

ANONIS PHASEOLODES SCANDENS,
FLORIBUS FLAVIS SESSILIBUS T. XXVI. F. 29.

Si Phaſeolus Africanus hirſutus bituminoſus, ſiliquis bullatis, flore flavo *Herm. in Hort. Lugd. Bat. p.* 492. deſcriptus & depictus, recte a *Breynio* & *Tournefortio* ad Anonidem, illi quidem *Prodr. Sec. p.* 78. ubi Ononis Natrix dicta ſcandens, ſive Phaſeoloides bituminoſa, flore luteo Capitis Bonæ Spei, huic in *Inſt. Rei Herb. p.* 409. ubi Anonis phaſeolodes bituminoſa ſcandens dicitur, refertur, & hæc planta Anonidis ſpecies cenſenda eſt, quæ foliis & naſcendi modo Phaſeolis quidem ſimilis eſt, floris autem & ſiliquæ figura Anonidi propius accedit, tam foliis autem & naſcendi modo, quam flore, calyce & ſiliquis Africanæ modo memoratæ ſpeciei reſpondet.

Ceterum perennis eſt noſtra hæc ſpecies, ſarmenta proferens cubitalia & longiora, triquetra, piloſa, ad quorum genicula folia pediculis piloſis innaſcuntur ſubrotunda, rugoſa & ſubhirſuta, tenuibus pilis obſita, parte ſupina viridia, prona pallidiora, terna in ſingulis pediculis communibus, medio ſeu extremo lateralibus nonnihil ampliore, e quorum alis tres quatuorve pediculis privatis brevibus innaſcuntur flores, pallide flavi, e vexillo latiuſculo, alis anguſtis & carina compreſſa (breviori & non intorta, ceu in Phaſeolis) compoſiti, calyce excepti monophyllo, in quatuor lacinias ad baſim fere diviſo, ſegmento ſuperiori carinæ appoſito, reliquis latiore & bifido. Calyx autem, licet reliqua planta hirſuta ſit, glaber eſt.

Siliquæ, floribus præteritis, ſubnaſcuntur Lentis figura & magnitudine, per maturitatem fuſcæ, ſubhirſutæ, in quibus ſingulis bina plerumque latent ſemina lentibus minora & tumidiora, ſubfuſca, maculis pallidioribus diſtincta, quæ ſeorſum expreſſa ſunt figura marginali prima, ſecunda vero cum ſiliqua dehiſcente, tertia vero ſiliqua integra exhibetur.

E Virginia *Mountain Pea*, i. e. Piſi montani nomine miſſa fuit. Auguſto & Septembri floret.

Ab Africana ſuperius memorata ſpecie foliis majoribus, floribus vero minoribus & ſeſſilibus, cum illius pediculis oblongis inſideant, differt. Siliquæ porro minus tumidæ ſunt, & pauciora ſemina continere videntur.

An Anonis Mariana lutea, foliis latioribus Hort. Sicc. Pet. n. 83. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 241 ?

APOCYN

P.30. *F.29.* T.XXVI.



Anonis phaseolodes Scandens, floribus flavis Sessilibus.

F. 30.



Apocynum floribus amoene purpureis, corniculis surrectis.

APOCYNUM FLORIBUS AMOENE PURPUREIS, CORNICULIS SURRECTIS T. XXVII. F. 30.

A Cubitali ad bicubitalem in olla naſcebatur altitudinem, in ſolo libero elatius procul dubio futurum, caulibus rectis, teretibus, glabris, calami olorini craſſitie, pluribus ex eadem radice naſcentibus, ad quorum genicula folia erant duas tresve uncias lata, tres & quatuor uncias longa, in mucronem obtuſiorem deſinentia, craſſiuscula & rigida, parte ſupina glabra & nonnihil ſplendentia, coloris nunc ſaturatioris viridis, nunc e luteo virentis, prona parte albicantia & tenui lanugine undique obſita, nervo medio purpureo diſtincta, a quo multæ venæ obliquæ, nunc purpureæ, nunc virides, & hinc aliæ minores tranſverſæ & vagæ prodeunt, ita tamen ut folia rugoſa non fiant, ſed æquabilia ſint. Inferiora folia minora ſunt & rotundiora, cujuſmodi utrinque ad figuram majorem appicta ſunt.

Flores in ſummis caulibus & ſubinde e foliorum una alterave ala naſcuntur plurimi, umbellatim digeſti, inodori, coloris amœne purpurei, ſequentium in modum conſtructi: nempe calyx parvus quinque anguſtas lacinias ad baſim usque diviſas habet; (vid. figura marginalis prima) hinc flos ſequitur monopetalus, in fundo perforatus, in quinque latiuſcula mucronata ſegmenta ad baſim fere diviſus; (vid. figura ſecunda & quarta) inde e medio floris quinque corpuſcula corniformia rigida ſurriguntur, quam in aliis ſpeciebus magis ſibi approximantia, rectiora, longiora, rigidiora, acutiora & minus excavata, extus tumida, intus baſim verſus ſulcata & ligulam cuſpidatam exerentia; (vid. figura tertia) in corniculorum vero centro columna ſtat brevis, quinque coſtis nonnihil prominentibus angulata, (vid. figura quarta & quinta) qua embryo protegitur bilocularis, qui una cum calyce figura prima exhibitus eſt. Corpuſcula illa corniformia vacua ſunt & nullo polline ſpermatico reſperſa, nec ſtamina, nec apices alibi potui reperire, nec in hac, nec in pluribus aliis, ſimiliter formatos flores obtinentibus Apocyni ſpeciebus, ni, ut in Apocyno Perſicariæ mitis folio demonſtratum eſt, pro ſtaminibus habenda ſint fila incurva, (ſeu ligulæ cuſpidatæ) e corniculis tubulatis prodeuntia, apices vero ſint bracteæ anguſtæ & pertenues, quæ columnæ illi duplicato ad petala numero incluſæ ſunt, quæ figura ſexta & ſeptima appictæ ſunt. Quæ bracteæ per lentem vitream illius inſtar rugoſæ apparent & colore flavo præditæ ſunt; vid. figura octava. Sperabam quidem fore, ut in inſigni illa Indiæ Orientalis Apocyni ſpecie, quæ Ericu nomine in *Horto Malabarico*, *Part. II. Tab.* 31. exhibetur, vel ſtamina vel apices in floribus ejus amplis invenirem, ſed ſpes decollavit, nec præter ligulas bracteatas, easque puſillas, aliud quid deprehendere potui. In qua ſpecie obſervatione dignum eſt, quod loco corniculorum laminæ quædam ſolidæ, arcuatæ florem ornent, ut flores, ac ſi architectonico opere exſculpti ſint, appareant.

Ceterum noſtræ ſpeciei florum ſegmenta ſimul ac explicantur, deorſum flectuntur, dein vero rurſus explicantur & ſtellatim expanduntur, per vetuſtatem denique rurſus pendent. Colore ſunt toti flores, nempe & petala, & cornicula amœne purpureo. Julio autem menſe flores profert. Siliquas a pluribus annis, quibus culta fuit, adhuc denegavit.

Apocynum

Apocynum erectum non ramoſum, folio ſubrotundo, umbellis florum rubris Baniſteri *Raj. Hiſt. Tom. II. App. p.* 1928. ad noſtrum refero; cui forte idem eſt, Apocynum rectum Marianum; longioribus ſubrotundis foliis intervallatis, floribus purpureis *Pluk. Mant. p.* 16. & Apocynum Virginianum erectum, folio magno glabro, nervo rubro, inſtar Apocyni tertii *Boerh. Ind. Alt. p.* 314. *num.* 21. Quod ſi idem ſit, ab eo recido ſynonymon, quod ibi recenſetur.

Apocynum Americanum erectum, tuberoſa radice, non incanum, foliis rigidioribus, latis ſubrotundis, floribus albis, intus purpureis, ſummo caule corymbum magnum efformantibus, *Pluk. Alm. p.* 34. *T.* 77. *fig.* 1. huic proxime accedit, ſed folia habet ſubtus non incana, flores majores, cornicula magis hiantia, minus ſurrecta, & florum colorem diverſum.

Apocynum vetus Americanum, *Wiſank* Gerardo dictum, ſeu Apocynum Virginianum *Munt. Phyt. Tab.* 105. folia, quam noſtrum, habet latiora & rotundiora, magis excavata, minus rigida, non ſplendentia, venis obliquis profundioribus, ſulcatis nempe, inſcripta, flores pallidos, obſolete incarnatos, odoratos, quorum cornicula magis extant & magis hiant. Præterea caules ejus breviores ſunt & maculis obſcure purpureis plerumque diſtincti.

APOCYNUM FLORIBUS OBSOLETE PURPUREIS, CORNICULIS RESUPINIS T. XXVIII. F. 31.

CAULES ex eadem radice plures profert, erectos, cubitum & ſequicubitum in fictili æquantes, in ſolo libero altiores, digitum minorem craſſos, inferius ex tereti quadrangulares, angulis nempe valde obtuſis præditos, e fuſco virentes, ſuperius teretes & virentes, ſubhirſutos, in quibus folia brevibus pediculis naſcuntur palmaria & ſeſquipalmaria, duas treſve uncias lata, nervo medio lato purpuraſcente diſtincta, e quo venæ obliquæ parallelo ordine in margines procurrunt virentes & aliæ tranſverſæ minores inde irregulari ordine ductæ, ſuperne virentia, nec hirſuta, nec glabra proprie, ſed medio modo ſe habentia, inferne albicantia & tenui tomento obſita.

Flores Julio & Auguſto menſibus in ſummis caulibus plures umbellatim digeſti naſcuntur, quorum petala obſolete herbacea, ad baſim ſtriis purpureis diſtincta ſunt, cornicula vero & cuſpides ex his prominentes dilute purpuraſcunt; capitulum in medio, quod embryonem protegit & apices bracteatos continet, ex herbaceo nigricat. Calyces, in quinque anguſtas lacinias diviſi, dilute vireſcunt. Pediculi flores ſuſtinentes, tenues & teretes, obſcure purpuraſcunt. Siliquas nobiſcum nondum perfecit.

A præcedenti ſpecie differt foliis longioribus, petalis obſolete herbaceis, corniculorum colore pallidiore, & quod ea magis hient & non ſurrecta ſint, ſed horizontali ſitu diſpoſita.

Apocynum Virginianum, *Wiſank* dictum, humilius eſt, cubitalem, etiam in ſolo libero, altitudinem non facile ſuperans, folia, quam noſtrum, latiora, & rotundiora umbellas plures e foliorum alis prodeuntes habet, flores ſuaveolentes: cornicula ſimilia ſunt, ſed petala magis purpurea.



Apocynum floribus obsolete purpureis, comiculis. resupinis.



Apocynum Syriacum planta eſt noſtra longe altior & robuſtior, folia multo ampliora & umbellas plures habet e foliorum alis prodeuntes. Flores ceteroquin huic ſimiles ſunt, ſed magis pallidi & numeroſi in ſingulis umbellis. Id Apocyno *Wiſank* dicto proxime accedit, a quo tamen differt altitudine, foliis minus rotundatis, floribus obſoletioribus, & quod umbellæ pediculis communibus oblongis innaſcantur: *Wiſank* vero vel nullos pediculos communes habet, vel in inferioribus umbellis adeo breves, ut non facile obſerventur.

Apocynum minus rectum Canadenſe *Corn. C* 38. *p.* 92. folia habet, quam omnia hæc, anguſtiora, ſubhirſuta, non incana, flores minores, caules tenuiores.

Ceterum omnia hæc Apocyna radicibus repunt, & perennia ſunt. Apocynum vero Americanum, foliis Amygdali longioribus *Plum.* annuum eſt, vel bienne ſaltem.

Plures creſcunt in Horto Elthamenſi, & plurimæ in America adhuc indeſcriptæ ſpecies naſcuntur, quarum plus quam decem ſervantur in Phytophylacio Sherardino, quæ ſimili gaudent florum, e corniculis & petalo roſaceo quinquefido conflatorum, ſtructura, a Tournefortio etiam in Inſt. R. Herb. p. 91. animadverſa & icone Tab. 21. expreſſa, de quibus Methodi herbariæ gnari conſiderent, an non diſtinctum mereantur genus. Videtur ſane tantum rationis hic militare, quantum ab Aſclepiadis & Periplocæ partibus ſtat. Vereor autem, ne Veterum Apocynum inter Periplocas Tournefortii quærendum ſit.

Conſiderandum an ad hanc ſpeciem, Apocynum Carolin. latifolium cum pediculis Pet. Hort. Sicc. n. 93. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 242. ad præcedentem vero, Apocynum Carolinenſe latifolium ſine pediculis *Pet. & Raj. Ibid. n.* 94. pertineat. Noſtra quidem tam hæc, quam illa ſpecies ex ſeminibus e Carolina delatis nata fuit, quamvis & in aliis Americæ ſeptentrionalis provinciis naſcantur, & minime dubium videatur, quin huic ſpeciei idem ſit, Apocynum erectum Noveboracenſe, foliis minus incanis, flore ex obſoleto dilute purpuraſcente *Herm. Par. Bat. p.* 33.

APOCYNUM PERSICARIÆ MITIS FOLIO, CORNICULIS LACTEIS T. XXIX. F. 32.

HABETUR hoc Apocynum pro Apocyno Americano, foliis Amygdali longioribus *Plum. Cat. p.* 2. *Inſt. Rei. Herb. p.* 92. nec negarim, quin potius dixerim idem eſſe, cum ejus figura inter Delineationes Plumierianas, quarum exemplar ſervatur in Bibliotheca Sherardina, apte reſpondeat; quoniam autem Amygdalus folia ſerrata, eaque minus in mucronem producta habet, nomen mutandum, & a Perſicaria miti, cujus folia longe ſimiliora, denominationem & differentiam deſumendam cenſui.

Seſqui & bipedali vero in fictili plerumque naſcitur altitudine, caulibus rectis teretibus, calamum olorinum craſſitie æquantibus & ſuperantibus, obſcure virentibus, ad quorum genicula folia naſcuntur Perſicariæ miti non maculatæ ſimilia, ſuperne ſaturanter viridia, inferne pallidiora, glabra, ſubrigida, e quorum alis a media & per ſuperiorem caulium partem flores in pediculis communibus teretibus

oblongis naſcuntur plures, neque tamen ſinguli valde numeroſi, in pediculis privatis brevioribus umbellatim diſpoſiti, quorum capitula antequam aperiuntur ex viridi flaveſcunt, ſummitatibus levi rubedine tinctis, floribus autem explicatis, ſegmenta floris monopetali ex luteolo herbaceum pallidiorem colorem obtinent, cornicula autem tubuloſa, quæ e medio flore eriguntur, lacteo plane candore prædita ſunt, quo colore etiam gaudent tenuia illa non tubuloſa cuſpidata cornicula, fili inſtar ex illis prominentia, in columnam inflexa, & ſuper hac coëuntia. Nempe in centro florum columna ſtat craſſiuſcula, embryonem protegens & in ſinu ſuo abſcondens, coloris in ſummitate lactei, latera autem ſquamis paleaceis fuſcis (quinque, ni fallor) tecta ſunt, ſub quibus ſquamis bracteæ apiciformes pertenues flavicantes latent, quinque geminatæ, in baſi latiuſculæ, in ſummitate cohærentes & in fili tenuitatem contractæ, quæ mihi videntur apicum munia in hujus generis floribus obtinere, quamvis farinam nullam in iis diſcernere potuerim, ſtamina vero videntur filamenta illa rigidiuſcula, e corniculis tubuloſis exerta & in columnam mediam flexa, ita ut ſtamina & apices in hujusmodi floribus ab invicem ſejungantur. Quæ cornicula tubuloſa pro alteris videntur petalis habenda, ut flos ex monopetalo & pentapetalo conſtructus videatur. Monopetalus autem flos eſt, qui in quinque ſegmenta, radiatim in hac ſpecie expanſa, dividitur; nam licet ſatis profunde ad baſim uſque dividatur, in fundo tamen, ſi ab embryone extrahatur, cohæret, annuli inſtar ab embryone perforatus.

Flores inodori ſunt. Calyces parvi monophylli in quinque tenues lacinias ad medium uſque inciſi ſunt. Caules & florum pediculi pertenui & vix conſpicienda villoſitate ſunt obducti.

Æſtate & Auctumno floret, & elegantem præ ſe, ob cornicula lactea, ſpeciem fert. Siliquas deinde producit ſatis libere, glabras fuſiformes, in quarum lanugine latent ſemina oblonga compreſſa, per maturitatem fuſca. Sponte naſcitur in Inſulis Americanis calidioribus.

Figura prima flos ſeparatim, ſecunda cornicula tubuloſa, tertia columna, quarta ſquamæ paleaceæ fuſcæ, quinta bracteæ apiciformes, (quæ per lentem vitream rugoſæ, figura ſexta, apparent) ſeptima embryo ſeu ſiliquæ rudimentum, octava ſemina, nona folium inferius ſeorſum inciſa ſunt.

Synonyma, præter ſuperius recitatum, nulla, quantum novi, extant.

Plurimum habet ſimilitudinis cum ſequenti ſpecie, ita ut, antequam floreat, non facile ſit, utrumque diſtinguere; in floribus autem maximum diſcrimen, nec ſiliquæ ſunt eædem.

APOCYNUM RADICE FIBROSA, PETALIS COCCINEIS, CORNICULIS CROCEIS T. XXX. F. 33.

BIPEDALI & tripedali naſcitur altitudine, caulibus teretibus, virentibus, tenui & vix perceptibili villo obſitis, glabris. Folia etiam glabra ſunt, virentia, ſubtus nonnihil pallidiora, præcedentis ſpeciei ſimillima, niſi quod nonnihil breviora & obtuſiora videantur. Flores monopetali reflexi e croceo coccineo colore tincti ſunt, cornicula tubuloſa & filamenta columnæ incumbentia omnia crocea. Radix (figura prima) albicans fibroſa eſt, fibris æqualibus, non nodoſis,

culmum



Apocynum Perficariæ mitis folio, corniculis lacteis.

F. 34.

F. 33.



Apocynum radice fibrosa, petalis coccineis, cornicutis croceis.

Apocynum N. *Angliæ subhirsutum, tuberosa radice* Herm.

culmum avenaceum craſſitie vix æquantibus, brevibus, in innumeras capillaceas fibras repente ſparſis, ut totam ollam cæſpitis inſtar repleat. Auguſto & Septembri floret, & ſiliquas mox libere profert & maturat, quæ (figura ſecunda) fuſiformes ſunt, & denticulis hinc inde prominentibus aſperatæ & veluti ſpinoſæ.

Horti Elthamenſis a pluribus annis alumna fuit, præcedenti vero anno 1730. e Batavia eadem planta tranſmiſſa fuit, nomine Apocyni Americani, Canadenſis Cornutiani ſimili folio glabriori, flore umbellato aurantio *Boerh. Ind. Alt. p.* 314. *n.* 17. ubi quæritur, an ſit Apocynum Curaſſavicum ſeu Americanum, fibroſa radice, floribus aurantiis, Chamænerii foliis latioribus *Herm. Par. Bat. p.* 36. de quo dubito, quoniam ſiliquæ illius læves ſunt, & prominentiis ſpinoſis deſtitutæ in planta ſicca Phytophylacii Sherardini : folia etiam ſubtus magis caneſcentia videntur. Dubito etiam an huc referri queat, Apocynum erectum, folio oblongo, flore umbellato, petalis coccineis reflexis *Sloan. Cat. Jam. p.* 89. *Hiſt. Jam. Vol. I. p.* 206. *Tab.* 129 *fig.* 4. 5. quoniam illius caules quadrangulares, radices vero firmiores & longiores dicuntur.

APOCYNUM NOVÆ ANGLIÆ SUBHIRSUTUM, TUBEROSA RADICE, FLORIBUS AURANTIIS HERM. HORT. LUGD. BAT: APP. P. 646. *T. XXX. F.* 34.

ELEGANTISSIMI hujus Apocyni figuram, cum ipſi Hermanno, quam dedit in Horto Lugd. Bat. diſplicuerit, & aliam meliorem ideo Paradiſi Bat. Vol. ſecundo, prout ex Catalogo ei annexo conſtare poterit, inſerendam fieri curaverit, ad vivum deſignatam hic exhibere volui.

Caules dodrantales & pedales hirſuti ſunt, teretes, obſcure rufi : folia, quod peculiare, alterno ordine diſponuntur, præterquam in ſuperiore caulium parte ; etenim ſubter divaricationem bina, ad ipſam vero divaricationem quaterna plerumque naſcuntur, & non raro bina illa deficiunt.

Caules autem in ſuperiori parte in ramulos abeunt repandos, quibus folia denuo alterna ſerie adnaſcuntur, & e foliorum alis ſub æſtatis finem pediculi ſurgunt plures, flores in privatis pediculis umbellatim diſpoſitos gerentes, coloris amœne crocei, nempe tam petalis, quam corniculis, eodem colore tinctis. Ceterum capitula antequam aperiuntur, immo ipſi flores & cornicula tubuloſa, quam præcedentis ſpeciei, longiora ſunt, ligulæ autem ſeu ſtamina magis acuta columnæ ſuperſtant, nec tam arcte incumbunt. Hæc ſeorſum in margine, nempe figura prima flos, ſecunda & tertia cornicula, quarta columna appicta ſunt.

Plura qui deſiderat, adeat Hortum Lugd. Bat. ubi Hermannus teſtatur, ſiliquas ſibi nondum obſervatas, quas & mihi videre nondum contigit, nec in planta vivente, nec in mortua, nempe exemplaribus ſiccatis, quæ plura habemus. Meretur autem res obſervationem, cum ob foliorum naſcendi morem, vel in ſiliquis vel ſeminibus, differentiæ quid ſubeſſe videatur.

Apocynum minus non lacteſcens, caule & foliis hirſutis, floribus ſaturate luteis Baniſt. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1926. ſimilem habet naſcendi morem, folia autem, quam noſtri, longiora & multo latiora ſunt, ut idem noſtro cenſeri nequeat,

queat, & porro alia eſt ſpecies in Phytophylacio Sherardino e Carolina delata, cum floribus croceis & foliis alternatim naſcentibus, peranguſtis, Roſmarino non latioribus, ab utroque diverſa, quæ eadem videtur, Apocyno erecto minimo anguſtifolio Americano, flore umbellato aurantio, petalis reflexis *Breyn. Prodr. Sec. p.* 15.

Ceterum hujus ſpeciei ſynonyma facit Herm. in Hort. Lugd. Bat. Apocynum Canadenſe anguſtifolium, flore aurantio *Moris. Hort. R. Bles. & Præl. Bot. p.* 232. & in Par. Bat. p. 35. huc refert, Apocynum erectum minus latifolium Americanum, flore umbellato aurantio, petalis reflexis, radice tuberoſa *Breyn. Prodr. Sec. p.* 15. ſequutus ipſum Breynium, cujus nomen alias melius Baniſteriano quadraret. In *Pein. Hort. Bos. A.* 1705. & ſeqq. dicitur, Apocynum Americanum flore aurantio.

ARBUSCULA AFRA, FOLIO ACULEATO ILICIS, CAULEM AMPLEXO, RIGIDO BOERH. IND. ALT. PART. II. P. CCLXIII. *T. XXXI. F.* 35.

BIPEDALES & tripedales hujus in Horto Elthamenſi ſunt arbuſculæ, caudice digitali lignoſo, inæquali & naturaliter tortuoſo, cortice lævi ſpadiceo, rimoſo, & per lamellas lacinioſas abſcedente, veſtito, e quo alterno ordine plures naſcuntur rami, inferiori parte lignoſi & ſpadicei, ſuperiori virentes & herbacei, ſimiliter incurvi ſeu tortuoſi, quibus brevibus intervallis folia adnaſcuntur glauca, (præſertim inferiori parte) per margines dentata & aculeata, pediculis carentia, rigida, glabra, venis longitudinalibus tenuibus pallidis exarata, e quorum alis Julio menſe capitula naſcuntur ſubrotunda, ſeſſilia, ſeu pediculis deſtituta, ab initio virentia, dein, ubi explicantur, ex herbaceo flavicantia, in tria ſubrotunda, plana, rigida foliola, quæ calyx, ad baſim uſque dehiſcentia. Stamina e centro horum foliolorum naſcuntur plurima, candida, tenuia, apicibus craſſiuſculis, farinam multam flavam fundentibus, terminata:

Stylus & embryo plane deſunt, & in alia procul dubio naſcuntur planta, quæ nobis nondum conſpecta, unde, cum fructus non viſus ſit, genus, quod ab aliis uſu receptis diſtinctum videtur, determinare non poſſumus. Ceterum flores cum calyce figura prima & ſecunda ſeorſum inciſi ſunt.

ARBUSCULA AFRICANA REPENS, FOLIO AD LATERA CRISPO, AD POLYGONA RELATA; ALIIS BISTORTA BOERH. IND. ALT. PART. II. P. CCLXIII. *T. XXXII. F.* 36.

QUAMVIS læte vigeat & flores quotannis proferat hæc planta, ſemina tamen ad maturitatem nondum perduxit, ut de ejus genere aſſerendo dubius adhuc ſim. Fruticulus eſt, ni pedamento alligetur, procumbens, caulibus lignoſis, lentis, culmum & amplius craſſis, ad cubitalem & bicubitalem longitudinem creſcentibus, cortice veſtitis nonnihil rimoſo, e ſpadiceo cinereo, rami autem



Arbuscula Afra folio aculeato Ilias, caulem amplexo rigido Boerh.



Arbuſcula repens, folio criſpo. ad Afr. repentia ad latera Polygona relata &c Boerh.

tem, qui alternatim enaſcuntur, ſuperiora verſus virent, in quibus folia alterna ſerie naſcuntur Polygono ſimilia, ad margines undata & criſpa, nullis venis conſpicuis, præter nervum medium, qui & ſuperficialis eſt, donata, quorum baſi, ex contraria parte, ligula membranacea caulem cingens, modo ſimplex, modo bifida, adnaſcitur, ut in Perſicaria & Polygono ſolet fieri.

Flos eſt apetalos, e calyce herbaceo monophyllo, non deciduo, in quatuor ſegmenta ad baſim uſque diviſo, & ſtaminibus ſex, parte inferiore latioribus, ſuperiore anguſtioribus, totidem apices gerentibus, conſtructus. Flores tres quatuorve e communi theca membranacea ſquamoſa ad foliorum alas naſcuntur, in ſpicam digeſti, qui licet tota hyeme (quamvis aridi) perſtiterint, nulla tamen in iis ſemina, ſed embryones tantum abortivos compreſſos, & ſtylum brevem bifidum animadvertere potui.

Accedit foliis, geniculis & naſcendi modo, magis ad Polygonum, quam vel Biſtortam, vel Perſicariam, nec ſi ſemen reſpondeat, eo referre dubitarim, quamvis calyx in quatuor tantum partes dividatur.

Media æſtate florere ſolet. Patriam nomen indicat; Promontorium autem Bonæ Spei ſpeciatim indigitari autumo.

ARTEMISIA PROCERIOR, FOLIIS ET CAPITULIS TENUIBUS T. XXXIII. F. 37.

INTRICATUS & incertus hactenus fuit character Abſinthii, Abrotani & Artemiſiæ. De iis ita ſtatuit Vaillant Comm. Ac. R. Sc. A. 1719. p. 282. nempe quod Abſinthium obtineat capitula rotundiora, hemiſphærica, calycem ſquamoſum, flores ſpicatim digeſtos, e pediculo brevi pendulos: Artemiſiam ab hoc diſtinguit, calyce ſquamoſo longiore, capitulis modo ellypticis, vel ovalibus in quibusdam ſpeciebus, modo conicis vel pyriformibus, modo cylindraceis in aliis ſpeciebus: Hac ratione Abrotani genus, cum notæ intermediæ claræ non occurrant, delet, & ſpecies ejus vel Abſinthii, vel Artemiſiæ generibus annumerat, idque ex florum & calycis figura recte. Quibus notis addi poteſt, Abſinthio diſcum magis planum, æqualem & veluti reſectum eſſe, calycisve ſquamas invicem prope æquales eſſe.

Pontedera Diſſert. Bot. IX. p. 222. Abſinthio thalamum villoſum, Abrotanis vero nudum adſcribit, quam differentiam in Abſinthio Pontico ſeu Romano Offic. ſeu Dioſcoridis C. B. & in Abſinthio Pontico & Romano quibusdam, aliis Seriphio *T. B.* deprehendit. Enimvero pleræque reliquæ ſpecies Abſinthii thalamum obtinent non villoſum, quas tamen Abſinthiorum familiæ nemo, opinor, eripiet, cum Abſinthium omnibus exacte partibus referant. Nec porro radiatis floribus Abſinthium, Abrotanum & Artemiſiam cum Pontedera annumerarim, cum floſculi potius ſint ſpermatici, ſtyliformes, quibus ſemina fœcunda ſubnaſcuntur, quam veri ſemifloſculi, & figura ab illis multum recedant, qui non tantum in his, ſed aliis etiam generibus, nempe in Filagine, Tanaceto, Baccharide, Petaſite aliisque ſubinde obſervantur. Quæ quidem ſunt ejusmodi, ut obſervari mereantur, ſed neutiquam inde differentiæ generum characteriſticæ deſumendæ.

Ex dictis notis Artemisiæ annumeranda est nostra hæc species, quæ si facies externa valuisset, Abrotani fuisset species. Nata ea fuit ex seminibus Indicis (Orientalibus an Occidentalibus incertum, Orientalia tamen suspicor) proceritate insigni, ita ut caules altero a satione anno ad duodecim usque pedum longitudinem excreverint, crassi & lignosi, virides ab initio, dein vero rufescentes, ramis multis surrectis & in pyramidalem formam digestis. Caules & folia inferiora, juniora præcipue, multis tenuissimis pilis hirta & villosa fiunt, superiora vero glabra sunt & viridia. Porro folia inferiora, quale seorsum appictum est, multifariam dissecta sunt, superiora trifida tantum observantur, suprema vero integra esse solent, & terna plerumque, sive integra, sive divisa sint, ex eodem principio nascuntur, tenuia valde & satis longa, donec ad spicarum ortum ventum fuerit, ubi sensim breviora fiunt.

Per supremos ramulos alterna serie spicæ hinc inde enascuntur breves, nec valde crebræ, e quarum foliolorum alis capitula surriguntur rariora, sessilia, exilia, oblonga, acuminata, tribus quatuorve unius & ejusdem structuræ flosculis minutis donata, qui singuli singulis seminibus nudis, ut in aliis speciebus, insident. Tum flosculi, tum semina, immo capitula, adeo parva sunt, ut vix, & non nisi armato oculo, conspici queant, hoc vero modo inspecta, aliarum specierum instar formata esse observantur. Seminibus perfectis caules exarescunt, novis mox e radice enascentibus & plantæ perennitati inservientibus. Floruit primum Decembri mense, dein vero aliis annis maturius sub auctumnum.

Accedit proxime ad Artemisiam Italicam elatiorem, Delphinii folio viridi, inodoram *Comm. Ac. R. Sc. A.* 1719. *p.* 287. *n.* 24. Differt autem foliis angustioribus, capitulis minoribus & angustioribus, multo minus crebris, caulibus vero plures ramulos emittentibus.

An Abrotanum Sinense tenuissimis longioribus foliis, corymbis perexiguis *Pluk. Amalth. p.* 2 ? vel Abrotanum mas Sinensium, foliis & corymbis minutissimis *Ejusd. Ibid* ?

ASTER CHENOPODII FOLIO ANNUUS, FLORE INGENTI SPECIOSO T. XXXIV. F. 38.

TRES sunt proprietates, quæ hanc Plantam ab aliis Asteris speciebus distinguunt & singularem reddunt. Primo nascendi modus, secundo foliorum insolita in hoc genere figura, tertio florum magnitudo & color.

Sesqui & bicubitali vero nascitur altitudine, caule erecto rigido, digitum minorem inferius crasso, profundis striis vel sulcis potius exarato, plures ab imo ad summum usque ramos longos repandos undique spargente, cujusmodi nascendi morem non memini me in alia hujus generis specie adhuc observasse.

Folia caulis basi circum nascentia longa lataque sunt, super terram strata, Chenopodio, Pes anserinus primus *Tabern.* dicto, similia, longis pediculis carinatis hærentia, glabra, (licet per margines pilosa & veluti spinosa sint) superne virentia, inferne pallidiora, & similia folia ramorum alis, sed nonnihil minora, adhærent, quæ vero ramis ipsis adnascuntur, longe minora fiunt, & lætius virent, Chenopodii illius foliorum superiorum



Artemisia procerior, foliis & capitulis tenuibus.



Aster Chenopodii folio, annuus, flore ingenti speciosa. Ex Sept. China delatus.

periorum, vel & vulgaris inſtar, inciſa, reliqua ramorum extremitatibus adhærentia anguſtiora & integra ſunt.

Flores ſummo cauli & ramorum extremitatibus innaſcuntur, omnium, quotquot adhuc innotuerunt, Aſteris ſpecierum maximi & ſpecioſiſſimi, e plurimis ſemifloſculis latis & longis, parum & vix conſpicue in extremitate crenatis, & innumeris floſculis quinquefidis, in diſcum latum & ab initio planum, dein ad floſculorum interiorum explicationem nonnihil protuberantem congeſtis, compoſiti, colore in his flavo, in illis amœniſſime purpureo, nempe ab initio dilutiore, qualis in Perſicæ floribus obſervatur, poſtea vero ſaturatiore & vivaci purpureo-rubente colore tinctis.

Calyx folioſus eſt, e plurimis nempe foliolis concavis virentibus conſtructus, quæ folia proxime ſubter ſemifloſculos tenuiora fiunt, & ſquamarum purpuraſcentium inſtar adhærent. Oræ foliolorum calycis hiſpidæ ſunt, folia etiam tenuiter, ſed vix, niſi in majoribus foliis conſpicue, piloſa ſunt, foliorum autem pediculi evidentius piloſi obſervantur, ut & caules ramique, qui teretes & tenuiter ſtriati ſunt, colore rufeſcente imbuti, caulis autem e rufeſcente vireſcit. Ceterum caulis ſolitarius e radice fibroſa naſcebatur, ramis abundans, quorum extremitatibus flores innaſcebantur, floribus ſuperioribus primum, dein mediis, tandem inferioribus ſeu in imis ramis locatis, ſe aperientibus, qui flores poſteriores ſuperioribus minores erant, præſertim qui poſtremo omnium ex alis ramorum in ramulis junioribus naſcebantur.

Semina ſubfuſca ſunt, tenui lanugine obſita, ſubteretia, in extremitate latiora, tenui pappo albicante terminata. Hæc cum floſculis figura marginali prima, ſecunda ſine floſculo ſemen maturum, tertia folium inferius, a quo ima, niſi quod nonnihil breviora ſint, non differunt, appinguntur.

Specioſæ hujus plantæ ſemina benevole communicavit Adr. van Royen, Botanices in Acad. Lugd. Bat. Profeſſor.

ASTER ERICOIDES, MELILOTI AGRARIÆ UMBONE T. XXXV. F. 39.

QUOS Aſteres florum pediculis polyphyllis nuncupavit *Rajus in Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 165. eos, ob foliorum in ſummis caulibus & ramulis cum Ericæ quibuſdam ſpeciebus ſimilitudinem, ericoides dico cum *Jac. Breynio*, qui exempli loco unam recenſet ſpeciem in *Prodromo ſecundo p.* 21: nempe Aſterem Virginianum fruteſcentem minorem ericoidem, Linariæ folio, flore albo parvo quem eundem cenſeo cum Aſtere Novæ Angliæ Linariæ folio, Chamæmeli flore *Herm. Par. Bat. p.* 95. cui ſpecies hæc valde ſimilis eſt, ſed flores habet cæruleſcentes, calyce longiore incluſos, & multo ſerius, non tantum longe poſt illam, ſed ceteras omnes ſpecies, nempe ipſa hyeme, Decembri menſe, ni frigus gravius ingruat, floret.

Caules ei ex eadem radice perenni enaſcuntur plures, recti, teretes, rigidi, altitudine duum cubitorum, glabri, virentes, ſubinde e fuſco purpuraſcentes, culmi in fictili craſſitie, in ſolo libero nonnihil craſſiores, robuſtiores & altiores, non ſtriati, foliis mox ab imo veſtiti oblongis, anguſtis, cuſpidatis, pendulis, glabris, ad margines ſubaſperis, ſaturatim viridibus, oblongis venis, in ſe rhomboidali modo ductis, exaratis, quæ, quando planta floret, plerumque exareſcere ſolent. Qui

caules

caules circa ſui medium in ramos plures alternatim orientes dividuntur, ramis imis brevioribus, ceteris pedetentim longioribus, oblique ſurſum porrectis, teretibus, virentibus, ſtriatis, quorum alis folia adnaſcuntur breviora & anguſtiora, minus conſpicue venoſa, ex ipſis vero alis alii ramuli tenuiores naſcuntur, foliis adhuc tenuioribus, brevioribus, crebrioribus, Ericæformibus veſtiti, glabris, ſaturanter viridibus.

Flores in ſummis ramulis pediculis oblongis folioſis innaſcuntur, quam in ſequenti ſpecie, nonnihil majores, e radio dilute violaceo, diſco vero flavo conſtructi, ſemiflosculis ab initio concavis, dein planis, radiatim expanſis, mox, ubi fatiſcunt, pendulis, floſculis, quod adeo ſero apud nos floreat, raro explicatis, ſed conniventibus, in capitulum Meliloti agrariæ inſtar protuberans collectis, calyce clauſis, quam in ſequenti, longiore, ſquamis, ut in illo, non reflexis, ſed appreſſis, a qua ſpecie foliis porro inferioribus minus obtuſis & magis glabris differt.

Nata fuit hæc ſpecies e ſeminibus ex Nova Anglia delatis. Perennis eſt cum ſequentibus, ut ſunt pleræque omnes Aſteris ſpecies.

ASTER ERICOIDES, DUMOSUS

T. XXXVI. F. 40.

Ab Aſtere Novæ Angliæ Linariæ folio, Chamæmeli floribus, quem *Hermannus Par. Bat. p.* 95. accurate deſcriptum & depictum dedit, differt floribus minoribus & crebrioribus, Virgæ aureæ inſtar ſpicatim diſpoſitis, foliis, quæ in imo caule locantur, longioribus, obtuſioribus & magis aſperis, & quod multo magis ramoſus ſit, ita ut ſi illius flores ſylvam, ut Hermannus loquitur, conſtituant, hujus rami & flores dumetum efficere videantur. In reliquis vero partibus illi adeo ſimilis eſt, ut, ni hæ differentiæ obſerventur, diſtingui non facile queat.

Ab Aſtere vero Virgineo anguſtifolio ſerotino, parvo albente flore a *Park. Theatr. Bot. p.* 132. deſcripto non depicto, tum dictis notis, tum quod folia inferiora nonnihil longiora, in medio quidem anguſtiora, in extremitate vero obtuſiora ſint, folia autem ſuperiora multo, quam in Parkinſoniano breviora & anguſtiora obſerventur, differt. Sunt nempe folia, quæ ramulos intercedunt, Hermanniani illius inſtar formata. Præterea Parkinſoniani folia inferiora & ramulorum baſi appoſita, ſecus ac ille dicit, nonnihil denticulata ſunt, & minus, ac hujus, aſpera. Licet autem hæc ſpecies aſpera habeat folia, ea tamen multo minus, quam ſequentis, aſpera ſunt.

Ceterum bicubitali plerumque altitudine eſt hæc ſpecies, caulibus ex eadem radice perenni enaſcentibus pluribus, in innumeros diviſis ramulos, qui floribus tantopere abundant, ut, ni ſuſtententur, licet flores & ramuli tenues ſint, ob eorum copiam ſæpe deprimatur planta.

Folia, præcipue inferiora, (utrinque appicta) tangenti aſpera, ut dictum, ſentiuntur, minus tamen quam ſequentis, nec ſpinulis, illius inſtar, per margines obſita ſunt. Ceterum ea, prioris inſtar, venis rhomboidalibus exarata ſunt.

Florum radius albicat, diſcus luteolus eſt. Calyx e minutis foliolis reflexis conſtat, quibus etiam ramuli & florum pediculi veſtiuntur, unde hoc genus Aſte-

res



Aster ericoides, Meliloti agrariæ umbone.

F. 41.



Aster grandiflorus asper, squamis reflexis.

Aster ericoides dumosus.

res, ut ſuperius demonſtratum fuit, Aſteres florum pediculis polyphyllis inſcripſit Rajus.

Sponte naſcitur in Virginia & Carolina. Sole ex Libra in Scorpionem tranſeunte quotannis floret. Floſculi ſeorſum in margine figura prima, & ſemifloſculi figura ſecunda appoſiti ſunt.

ASTER GRANDIFLORUS ASPER, SQUAMIS REFLEXIS T. XXXVI. F. 41.

INTER alias Aſteris ſpecies, quas Americæ ſeptentrionalis provinciæ larga manu ſuppeditaverunt, non poſtremæ venuſtatis eſt hæc ſpecies, quæ caules ex eadem radice perennante ſurrigit plurimos, (quindecim & viginti) culmi craſſitie, altitudinis in olla ſeſqui & bicubitalis, in ſolo libero altiores, coloris inferiori parte rubiginoſi, ſuperiori rufi, foliis crebris alternis, anguſtis & oblongis, deflexis veſtitos, e quorum alis ſummitatem verſus crebri enaſcuntur ramuli, quibus ſingulis ſinguli, non congeſti, ſed remoti ab invicem inſident flores ampli, violacei; radius nempe e ſemifloſculis oblongis, cuſpidatis, violaceis, per quos ſtriæ duæ ſaturatiores decurrunt, componitur, diſcus autem conſtat e floſculis ab initio flavis, dein rubeſcentem colorem contrahentibus, quibus calyx ſubeſt folioſus, e ſquamis, quam in aliis ſpeciebus, latioribus & viridioribus conſtructus, ſquamis quidem flori proximis anguſtioribus, ſurrectis & appreſſis, reliquis vero latioribus, extantibus & retroflexis.

Folia florum pediculos & ſummos ramulos cingentia ſitum ſquamarum calycis imitantur, retroflexa nempe ſunt, brevia, anguſta, inferiora, ut ſupra dictum, reflexa etiam ſunt, longiora autem fiunt & latiora, quorum magnitudo & figura ex appictis in Tabula foliis patet, quæ ſi utrinque anguſtata eſſent, Hyſſopi foliis comparari poſſent, verum obtuſiora in apice, latiora ad baſim ſunt, ceteroquin hirſuta & crebris ſpinulis, præſertim per margines, obſita, quibus & capitula ipſique caules ſcatent, ut aſpera inde dici & diſtingui mereatur hæc ſpecies.

Figura marginali prima & ſecunda ſemifloſculi, tertia floſculus inapertus, quarta aperti exhibentur: inferius folia aliquot inferiora cauli utrinque appicta ſunt.

M. Catesby elegantioris Floræ cultores debent hanc ſpeciem, qui e Virginia ad experientiſſimum, quum in vivis eſſet, Hortulanum Thom. Fairchild primum tranſmiſit, unde in alios hortos tranſdita fuit, & quoniam ſero, Octobri nempe & Novembri menſibus floret, quo tempore flores hortos deficere ſolent, eo magis æſtimatur a florum cultoribus.

After Novæ Angliæ altiſſimus hirſutus, floribus ampliſſimis purpuro-violaceis *Par. Bat. p.* 98. foliis majoribus, magis acuminatis, non aſperis, caulibus altioribus, floribus pluribus congeſtis, iisque minoribus diſtinguitur a noſtra ſpecie.

After Americanus fruteſcens, Saturejæ foliis ſcabris, floribus amplis ſaturate violaceis *Pluk. Alm. p.* 56. *Tab.* 14. *Fig.* 7. floribus minoribus, calycis ſquamis anguſtioribus & minus reflexis, foliis anguſtioribus, rigidioribus, ſurrectis, ſuperficie ſplendente, nulla autem hirſutie præditis, licet valde ſcabra ſint, a noſtra porro ſpecie differt.

ASTERISCUS CORONÆ SOLIS FLORE ET FACIE T. XXXVII. F. 42.

ASTERISCI genus deſcriptum habemus a Tournefortio in Inſtit. Rei Herb. p. 497. quod poſtea in Comment. Acad. R. Scient. A. 1720. p. 331. interpolavit & auxit Vaillant. Obſervandum autem nec illum, nec hunc ſatis accurate hujus generis obſervationem inſtituiſſe. Tournefortius quidem ſemina duplicis figuræ agnoſcit & utraque Tabula 283. depicta dedit, alia nempe floſculis ſubjecta oblonga ſunt & gracilia, ad literam D. in dicta Tabula expreſſa, alia, ſubter ſemifloſculos naſcentia, plana & marginata, figura G. R. Q. deſignata, quæ præcipue advertit Tournefort. & de his intelligendus, dum embryones in ſemina plana & plerumque marginata abire ſcribit. Namque interiora ſeu floſculis ſubjecta ſemina in Aſteriſco vulgari, cujus flores & ſemina depinxit Tournefort. plana & marginata non fiunt, ſed gracilia & per maturitatem ex tereti quadrangularia ſunt, corona denticulata, a Tournefortio non obſervata, terminata, qua carent exteriora foliacea ſemina. Præcipuam autem generis notam in calyce ſtellato & florem ſuperante repoſuiſſe videtur Tournefort. Contra Vaillant calycem parvi facit & ſpecies quaſdam addit calyce ſtellato carentes: nempe Aſteriſcum Afrum, imo calyce non folioſo *Comm. p.* 332. *n.* 8. Aſteriſcum perennem Salicis glabro folio, imo calyce non folioſo *Ibid. n.* 9. & Aſteriſcum perennem villoſum ſerratum, imo calyce non folioſo *Ibid. n.* 10. quoniam nempe reliquas requiſitas notas, thalami videlicet & ſeminum ſimilitudinem ipſi obtinere videntur. Placenta quidem ſeu thalamus, ipſo in dictis Comm. p. 331. obſervante, ſquamulis concavis refertus eſt, quibus ſemina continentur rotunda, vel anguloſa, (melius teretia vel potius ex tereti anguloſa dixiſſet) corona denticulata vel circulo piloſo brevi terminata. Quibus notis addit folia integra vel leviter tantum dentata, & quod ramuli & ſummitates plures uno in faſtigio flores non ferant. Alias quasdam levidenſes ab ipſo memoratas notas omitto. Ex quibus conſtat, Vaillantium ex ſquamulis præcipue illis, ſemina diſtinguentibus, & horum ſummitate denticulata hujus generis characterem ſumere. Merito autem reprehendi meretur Vaillant, quod ſemina illa majora exteriora foliacea, a Tournefortio olim annotata, quæ corona denticulata carent, & vere ſeminalia ſeu fœcunda videntur, præterierit, cum ſemina duplicis figuræ ad generis characterem pertineant; Tournefortius vero in eo culpam incurrit, quod ſemina interiora & thalami ſquamas non examinaverit.

Talismodi ſemina, ſquamulæ & calyx, ſive is longior ſit & florem ſuperet, ſive brevior, modo ſquamoſus & foliaceus ſit, hujus generis notas characteriſticas conſtituere mihi videntur, & ex his hujus generis ſpeciem facio plantam, cujus nomen ſupra recitatum eſt.

Caulem ea emittit digiti minoris craſſitudine, cubitalem aut paulo altiorem, firmum, ſolidum, hiſpidum, purpureis maculis reſperſum, foliis cinctum inordinatis; inferiora enim alterna ſunt & brevioribus diſtantiis ab invicem remota, unciali modo, modo vix ſemunciali intercapedine intercedente, ubi vero caulis in ramos dividitur, quod paullo ſupra ejus medium fieri ſolet, ibi folia propius & fere ex adverſo ponuntur, ſpatia autem intermedia longiora obſervantur. Folia omnia venis



Asteriscus Coronæ Solis flore & facie.



nis obliquis & inordinatis abundant & aſpera ſunt, ſuperficie rigidis pilis undique obſita. Inferiora abſque ordine aliquantum per margines ſinuata ſunt, (vid. figura marginalis prima & ſecunda) media (num. 3.) lenius ſinuata, ſuperiora vero (num. 4. & 5.) integra obſervantur in planta in horto enutrita, in ſpontanea profundius & acutius fere ad ſummitatem uſque inciſa ſunt, cujuſmodi folia figura 6. & 7. appicta ſunt.

Caulis in quatuor, quinque aut ſex dividitur ramos, in quorum extremitatibus flores naſcuntur non pappoſi, e ſimplici ſemifloſculorum ſerie conſtantes, Coronæ Solis figura & colore, marginibus tamen extremis non ita cuſpidatis, nec integris, ſed trifidis: diſcus autem e plurimis conſtruitur floſculis quinquefidis, e quibus ſtylus ſimplex croceus prominet, cujus tubula non erigitur, ſed intra floſculos ſemper latet, coloris violacei, floſculi autem flavi ſunt, ſemifloſculorum inſtar. Calyx e multiplici foliolorum ſquamatim ſibi impoſitorum ordine conſtat, quorum exteriora anguſtiora, media latiora, interiora minora & breviora ſunt. Floſculos numeroſæ ambiunt ſquamæ foliaceæ, in orbem poſitæ, diſcum efficientes prominulum, quæ, & calycis folia, margines habent piloſos. Semina duplicis generis obtinet; exteriora enim floſculis ſubjecta plana lataque ſunt & cordata, interiora ſub floſculis ſita, anguſta & gracilia ſunt, corona denticulata terminata. Figura 8. calycis, figura 9. thalami foliolum, figura 10. floſculi & ſemina interiora, figura 11. ſemifloſculus & ſemen exterius ſeparatim exhibentur.

Sole in Leone exiſtente quotannis nobiſcum floret, orta ex ſeminibus Carolinenſibus; perennis planta.

A Corona Solis differt ſeminibus, ſemifloſculis rarioribus & laciniatis, calyce compoſito, thalamo prominente & ſquamis planis favi figuram non repræſentantibus.

ASTERISCUS FRUTESCENS, LEUCOJI FOLIIS VIRIDIBUS & SPLENDENTIBUS T. XXXVIII. F. 43.

QUONIAM calyx ſtellatus in Aſteriſci genere, ut ad præcedentem ſpeciem eſt demonſtratum, non neceſſarius fuit viſus, hæc & ſequens planta, Chryſanthemo a pleriſque, a Plumiero vero & Tournefortio Coronæ Solis annumeratæ, quoniam ſeminibus & thalamo, quin & ſemifloſculis, qui in pleriſque Aſteriſci ſpeciebus tenuiter & multoties crenati ſunt, convenit, in ejus familiam recipi debent. Equidem Vaillant in Comment. Acad. R. Scient. A. 1720. p. 335. eas annotat a Coronæ Solis genere recidendas eſſe, cuinam vero generi annumerandæ ſint, non docet. Nimirum differunt ſeminum præcipue ſtructura a Corona Solis, cujus ſemina, ipſo etiam Tournefortio obſervante, duobus tantum foliolis, auricularum inſtar ſurrectis, terminantur, cum hujus generis ſemina pluribus denticulis in ſummitate inciſa ſint. Nec obſtant folia, quæ reliquis Aſteriſci ſpeciebus alternata, his vero duabus conjugata ſunt, cum & in Coronæ Solis genere, quædam ſpecies alterna, aliæ vero non paucæ conjugata folia obtineant.

Cubitales & bicubitales huic ſpeciei ſunt caules, qui ſtolones emittunt pedales & bipedales, cortice ſubfuſco glabro veſtitos, in quibus folia naſcuntur conjugata, decuſſatim ſibi reſpondentia, craſſa, rigida, venoſa, (præſertim ſuperne) ſemperv-

rentia

rentia, ſaturanter virentia & ſplendentia, mucrone brevi terminata, quam ſequentis ſpeciei rigidiora & nulla ſericea lanugine obducta.

Flores in ſummis caulibus & ramulis, nullo certo anni tempore obſervato, nunc hyeme, nunc vere, nunc æſtate naſcuntur lutei, inodori, e corona ſemifloſculorum brevium, latiuſculorum, ſtriatorum, reflexorum & diſco ſatis amplo floſculorum majuſculorum, quibus ſubinde ſemifloſculi quidam minores ſparſim intermixti ſunt, conflati, calyce excepti breviori & non ſtellato, e ſquamis latis ſubrotundis, virentibus, rigidis & nonnihil hiantibus compoſito. Qui ſemifloſculi in extremitate in tres quatuorve breves lacinias diviſi ſunt, ad baſim vero ſtylum habent brevem bicornem, quibus ſemina ſubjiciuntur latiuſcula, ex quadrangulo compreſſa, in ſummitate denticulata; floſculi autem in quinque lacinias breves dividuntur, verſus baſim nonnihil ventriloſi, lutei, (e quibus vagina ſurgit ſubfuſca, farina fuſa minutim denticulata, ſtylum emittens bicornem) ſeminibus inſidentes, quam ſemifloſculi, tenuioribus, quadrangularibus, in ſummitate etiam denticulatis, ſquamulis exceptis concavis teneris tum & mollibus, ex herbaceo flaveſcentibus, obiter per margines ſuperiores denticulatis. Hi ſemifloſculi figura marginali prima, (ubi ſemifloſculus anterior & poſterior geminati exhibentur, nam fieri ſubinde ſolet, ut ſemifloſculus alius junior, ligulæ inſtar, e majori juxta ſtylum enaſcatur) ſecunda vero floſculi cum ſeminibus, & tertia ſquamæ ſeorſum appictæ ſunt.

A *Plukenetio Alm. p.* 102. dicta fuit hæc ſpecies, Chryſanthemum Bermudenſe, Leucoji foliis virentibus craſſis: *Hermanno in Catal. ad Fin. Par. Bat. p.* 6. Chryſanthemi flore planta Americana fruteſcens, foliis viridibus craſſis: *Bobarto in Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 25. loco ultimo audit, Chryſanthemum Bermudenſe, rigido folio viridi: *Plumiero in Catal. p.* 10. *& in Delin.* Corona Solis Americana fruteſcens, Laureolæ folio, flore luteo: ſimiliter *Tournefortio Inſt. R. Herb. p.* 490. Chryſanthemum Virginianum arboreſcens, folio ſplendente craſſo dixit *Schwerin in Catal. Hamb.* Verum, quantum mihi conſtat, in Virginia ſponte non naſcitur.

ASTERISCUS FRUTESCENS, LEUCOJI FOLIIS SERICEIS ET INCANIS T. XXXVIII. F. 44.

CAULES hæc ſpecies, quam illa, apud nos profert longiores, tenuiores, rigidiores & magis lignoſos, crebris tuberculis exaſperatos in annoſioribus plantis, (in junioribus fuſco-cinerei & æquabiles ſunt caules, ſeu nullis tuberculis præditi) & frequentioribus, ac illius, geniculis diſtinctos, cortice cinereo veſtitos. Florum pediculi longiores, ſemifloſculi pallidiores ſunt, ſtylis magis intortis & phœniceo colore tinctis præditi, diſcus magis prominens & ſquamis pungentibus exaſperatus. Folia quidem craſſa ſunt, ſed non æque rigida, non ſplendentia & minus venoſa, ex glauco caneſcentia & tenui ſericea tela utrinque velut obducta, verſus pediculum una alterave lacinia prominente plerumque donata: nervus utrinque parum protuberat, e quo venæ aliquot obliquæ decurrunt.

Flores nunc hyeme, nunc vere, nunc æſtate, frequentius autem ineunte hyeme in Hybernaculo profert & diu retinet; lentiſſime enim naſcuntur. Ceterum flores ſemifloſculos habent latiuſculos, ſubrigidos, ab initio cuſpidatos & integros, de-

in



Asteriscus frutescens, Leucoji foliis viridibus & splendentibus *Asteriscus frutescens, Leucoji foliis sericeis & incanis*



in in lacinias aliquot fiſſos, duabus ſtriis profundis & aliis minus profundis exararatos, ad quorum baſim ſtyli naſcuntur bicornes, intorti, longiores quam floſculorum, & ſaturatiore phœniceo colore tincti. Floſculi ſemifloſculorum inſtar pallide flavi ſunt, in quinque exiguas lacinias diviſi. Calyces rigidi e triplici foliolorum ſerie conſtant.

Ramulus ſuperior capitulum ſeminale demonſtrat, quod ex ſquamis rigidis echinatis, ad baſim foliolis oblongis pendulis & marcidis (calycis ſquamis) cinctis conſtabat, ſquamis illis echinatis fuſcis tum, (ab initio vireſcunt) inter quas ſemina latebant exterius nonnihil majora, oblonga, ex quadrangulo compreſſa, coronula in ſummo cava, denticulis pluribus inciſa, terminata, interius nonnihil minora & breviora, coronula quatuor denticulis diviſa prædita. Medius ramulus florem plane expanſum, inferior nondum plene explicatum demonſtrat.

Figura minori prima floſculi, ſecunda ſquamulæ, quæ per margines obiter denticulatæ ſunt, tertia ſemina exteriora, quarta interiora exhibentur.

Plukenetio in *Alm. p.* 102. dicitur, Chryſanthemum ex Inſulis Caribæis, Leucoji incanis & ſericeis foliis, argenteis, craſſis, quo nomine & in *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 25. loco penultimo deſcribitur. Particula ejus figuratur *Phytogr. Tab.* 115. *fig.* 4. quæ præcedentem ſpeciem magis, quam hanc, referre videtur. In figura ſemifloſculi integri exhibentur, vel quod figura a flore non plene explicato deſumpta, vel quod ad ſiccam facta ſit. Deſcribitur etiam in *Hiſt. Jamaic. Vol. I. p.* 260. *n.* 22. *ubi & in Catal. Jam. p.* 125. dicitur, Chryſanthemum fruticoſum maritimum, foliis glaucis oblongis, flore luteo. A *Tournefortio Inſt. R. Herb. p.* 490. & *Plumiero in Cat. Plant. Amer. p.* 10. *& in Delin.* ut ſupra dictum, ad Coronam Solis refertur, & Corona Solis Americana fruteſcens, Lychnidis folio, flore luteo vocatur. Lychnidi coronariæ forte comparantur folia, cujus tamen folia longe ampliora ſunt & magis craſſa.

Alia datur ſpecies inter hanc & illam media, foliis minus ſplendentibus, nec tamen, hujus inſtar, incanis, per ambitum dentibus latiuſculis & raris inciſis, quam *Plukenetius Alm. p.* 102. nomine Chryſanthemi Bermudenſis, folio longiore, anguſto dentato, annotavit, quam folia præcedentibus æque lata in Horto Elthamenſi obtinere obſervavi; junior autem erat planta, nec ætatem tulit, quarum folia ab annoſioribus non parum variare notum eſt.

ASTRAGALUS PROCERIOR NON REPENS, FLORE E VIRIDI FLAVESCENTE T. XXXIX. F. 45.

BICUBITALI & tricubitali naſcitur altitudine, caulibus ex eadem radice prodeuntibus pluribus erectis, ad genicula ſaltem leniter hinc inde inclinantibus, calamum olorinum craſſis, ex tereti nonnihil anguloſis, lævibus, tenuiter ſtriatis, coloris e fuſco purpurei. Qui caules ſimplices ſunt, ſeu ramis deſtituti, dempta ſuperiori parte, qua ſubinde ſurculi aliquot folioſi & floridi prodeunt, foliis ab imo ad ſummum uſque amicti alternato ordine naſcentibus, Galegæ ſimilibus, e pluribus pinnarum (a ſeptem & octo ad viginti uſque) conjugationibus, cum impari in extremo pinna, compoſitis, venis levidenſibus obliquis præditis, parte ſupina

viridibus glabris, prona pallidioribus & ſubincana tenui lanugine obſitis, interdiu ſe explicantibus, noctu ſe contrahentibus & demittentibus, velut in aliis permultis Leguminoſis contingere ſolet, qui motus ab egregio Botanico, Valerio Cordo, primum in deſcriptione Glycyrrhizæ Hiſt. Libr. II. C. 156 accurate annotatus fuit.

Flores plures verſus ſuperiorem caulium partem e foliorum alis naſcuntur ſpicatim digeſti, antequam explicantur ſurrecti, dein horizontali, & tandem nutante ſitu digeſti, unicolores, ex pallidiore herbaceo colore flavicantes, e vexillo latiuſculo ſurrecto & modice ad margines reflexo, (vid. figuram marginalem primam) alis anguſtis concavis, in medio, qua carinam attingunt, hamatis, (vid. figuram ſecundam) & carina minore compreſſa (vid. figuram tertiam) compoſiti, pediculis breviſſimis, tenui ligula ad baſim præditis, hærentes, & calyce tubuloſo concolore, in quinque breves lacinias diviſo, excepti; quibus præteritis ſiliquæ ſubnaſcuntur breves, oblongo-rotundæ, ſtylo uncinato terminatæ, in duo loculamenta, aliarum hujus generis ſpecierum inſtar, diviſæ, ſemina continentes plura reniformia.

Aſtragalus Canadenſis, flore e viridi flaveſcente *Acad. Reg. Scient. p.* 65. huic perſimilis, ſed non eadem eſt planta. Differt autem, quod humilior ſit, bipedalem altitudinem non facile excedens, caulibus minus rectis, infirmioribus, magis ramoſis & magis anguloſis, foliis e paucioribus, (ſeptem, octo, novem & decem tantum) pinnarum, nonnihil breviorum & obtuſiorum, conjugationibus compoſitis, colore ſaturatiore viridi, ad glaucum vergente, præditis, ſuperficie inferiori non lanuginoſa, ſed ſimpliciter ex glauco caneſcente : porro flores Canadenſis mox ex viridante & flavente in obſolete fuliginoſum tranſeunt colorem, ſecus ac in hoc ſolet fieri. Sed, quod præcipuum eſt, noſter radicibus non repit, ille vero inſigniter. Ceterum uterque perennis eſt & Julio menſe floret. Noſter e ſeminibus Carolinenſibus natus fuit.

ATRIPLEX MARITIMA HISPANICA, FRUTESCENS ET PROCUMBENS TOURN. INST. R. HERB. P. DV: *T. XL. F.* 46.

Quo loco quærit Tournefortius, an ſit Halimus Dalechampii *J. B. Hiſt. Plant. Tom. I. Part. II. L.* 8. *p.* 227 ? Quæ vero de hoc recenſet J. Bauhinus, ea cum ipſa figura ex Hiſtoria Lugdunenſi deſumpta ſunt, & licet figura rudior ſit & quoad flores vitioſa, tamen ea foliorum figuram & naſcendi morem non male exprimit, deſcriptio vero noſtræ plantæ ſatis bene reſpondet, ut eandem cum noſtra ibi plantam deſignari credam. " Halimus verus *Dalech.* Tholoſatibus " *l'Herbe du maſclou*, i. e. Herba colicis doloribus utilis, (ita Hiſt. Lugd.) frutex " parvus, radicem habet altam, inflexam, longius evagantem, craſſam, duram : " caules multos, latius in orbem terram opacantes, cubito altiores, anguloſos, ra- " moſos : folia multa in ſurculis, per caules cauliumque ramulos imparibus inter- " vallis diſpoſitis, acervatim cumulata, craſſa candida, Oleæ ſimilia, breviora, " etiam hyeme virentia, ſaporis primum quidem ſalſi ac ſubadſtringentis, qualis " in permultis maritimis plantis percipitur, deinde ſubdulcis. Semen producit " latum, candicans (intelligendæ ſunt valvulæ ſemen protegentes) in ſummis ra-

mulis



Astragalus procerior non repens, flore e viridi flavescente.

F.46.



Atriplex fruteſcens & *maritima Hiſpan. procumbens* Tourn.

F. 47. T.XL.



Atriplex Or. frutex aculeatus, flore pulchro Ejusd.

" mulis copioſum: Tholoſæ in hortis coli & ſponte naſci ad vicum tribus milliari-
" bus ab urbe diſtantem, quem *Saint Hourens* vocant, loco macro ſqualido:
" Tholoſates foliorum manipulum terere & ex vino albo propinare, maximo do-
" loris colici torminumque levamento."

Porro minime eſt dubium, quin hæc planta ſit, Polygonum incanum rotundifolium halimoides, fruticans Hiſpanicum *Barrel.* quod *Obſ.* 1145. in maritimis agri Toletani provenire dicit, & cujus figuram *num.* 733. habet ſatis laudabilem, ſed abſque floribus & fructu, quos in deſcriptione, quæ ceteroquin brevior & illa minus bona eſt, ſibi non obſervatos dicit, & hinc ex habitu plantæ Polygonum vocaviſſe videtur. Quas figuras & deſcriptiones ut emendem & ſuppleam, ramum cum floribus & ſeminibus hic exhibere volui.

Caulem nobiſcum digitalem profert, rimoſum, cortice cinereo veſtitum, in ramos longos, bicubitales & tricubitales, qui, ni pedamento fulciantur, procumbunt, deſinentem, e quorum alis alii breviores virentes naſcuntur, foliis inferioribus ad alas poſitis obiter dentatis, ceteris integris, brevibus, abſque pediculis adnaſcentibus, craſſiuſculis, ex argenteo colore glauceſcentibus. E ramulorum horum ſuperiorum alis flores & embryones æſtate naſcuntur conglomerati; ad ſingulas nempe foliorum alas tres quatuorve flores, e calyce monophyllo herbaceo, in quinque lacinias diviſo, & quinque ſtaminibus, apicibus didymis, ex herbaceo flavicantibus, terminatis, conflati, quibus interponuntur embryones, e duabus valvulis herbaceis & ſtylo bicorni conſtructi, qui dein in ſemina abeunt ſubrotunda, compreſſa, veluti reniformia, e ſpadiceo luteſcentia, lævia, tenui membranula candicante obvoluta, & calyce bifolio ſeu duabus valvis ad marginum baſim & in dorſo laciniatis & veluti criſtatis recondita; in calyce vero illo quinquefido nulla in hac ſpecie obſervare potui ſemina. Quæ ſemina & valvæ matureſcentia in ramulo minore, in majore vero flores & embryones exprimuntur, figuris autem intermediis omnia ſeorſum appicta ſunt; nempe figura prima embryo cum calyce bifolio, ſecunda flos cum calyce quinquefido, tertia valvæ maturæ, quarta ſemina cum membranula & ſtylo exarido, quinta ſemina matura, dempta membrana ea involvente.

ATRIPLEX ORIENTALIS, FRUTEX ACULEATUS, FLORE PULCHRO TOURN. INST. R. HERB. COROLL. P. XXXVIII. *T. XL. F.* 47.

IN fruticem cubitalis & bicubitalis naſcitur altitudinis, caudice & ramis ligneſis, cortice cinereo, aut e cinereo ſubfuſco, veſtitis, cujus ramis folia adnaſcuntur lanceolata, cæſia, glabra, nullis præter nervum tenuem medium venis donata in virente planta, in ſicca autem admodum venoſa ea fiunt.

Flores per extremos ramulos copioſi naſcuntur, Circææ flores referentes, e pluribus ſtaminibus & calyce ſpecioſo conflati; nempe duo foliola lateralia brevia & anguſta ſunt, ex herbaceo albicantia, media vero ſeu inferius & ſuperius longe ampliora & teneriora, candida, aut tenui purpura tincta, per margines ſinuata & criſpa, dipetalos flores ſimulantia, verum non decidua, ſed ad ſeminum maturitatem perſtantia & ea complectentia, in quorum centro embryo ſedet compreſſus, virens

rens, capitulo gemello ſeu ſtylo ſeſſili teſticulato purpureo terminatus. Stamina ſex ſunt, calyx vero, ut modo demonſtratum, tetraphyllus, alii vero calyces monophylli quinquefidi, quales in pleriſque reliquis Atriplicis ſpeciebus obſervantur, in hac planta deſunt, atque hac ratione quodammodo ab iis recedit hac planta, novum tamen genus non meretur, cum reliquis notis, præcipue ſemine compreſſo, valvis tecto, conveniat.

Sub auctumnum nobiſcum floret elegans hic frutex. *Buxbaum Plant. Min. Cognit. Cent. I. p.* 19. locis natalibus Julio florere refert, & ſibi obſervatum dicit locis glareoſis circa fluvios & rivulos in Media, prope urbem *Jenſchi* ſeu *Hanſem.* Figura ejus cum ad ſiccam facta videatur & minus ſit laudabilis, aliam meliorem dare volui, cui ad marginem flores aliquot figura prima & ſecunda ſeorſum parte antica & poſtica, tertia embryones cum ſtylis appinxi.

Ramulorum extremitates in ſpinam rectam cineream definunt: Buxbaum aculeos uncos dicit & calyces amœne purpureos ſtriatos; nobiſcum dilute purpuraſcunt calycis ſegmenta petaliformia & ſtriis carent, cetera duo minora calycis foliola in medio virent, ad margines vero candida ſunt.

BERMUDIANA IRIDIS FOLIO, RADICE FIBROSA TOURN. INST. R. HERB. P. CCCLXXXVIII. *T. XLI. F.* 48.

BERMUDIANÆ ſpecies hæc vulgaris eſt, quæ pedali & ſeſquipedali plerumque eſt altitudine, foliis Iridi ſimilibus, ſed minoribus, ad baſim vaginatim prodeuntibus & Iridis inſtar ſe complexantibus, mox ubi a ſe abſcedunt, folliculi illi ſeu vaginæ foliorum marginales obliterantur, & folia plane integra fiunt, parte tam antica, quam poſtica ſibi ſimilia, ſecundum longitudinem ſtriata & Iridis inſtar compreſſa, glauca, juniora nempe & virentia, vetuſtiora luteſcunt, & arida tandem fuſca fiunt.

Caulis inter media folia erigitur a foliis figura non differens, compreſſus nempe eſt & foliorum inſtar ſtriatus, ea ſaltem differentia, quod foliis firmior ſit & in medio aliquanto craſſior, nervo velut latiuſculo prominente donatus. Hi caules in ramulos aliquot abeunt, in quorum faſtigio e theca foliacea, nunc ſimplici, nunc duplici, flores naſcuntur quatuor, quinque & plures, ſucceſſive prodeuntes, pediculis brevibus hærentes & embryoni trigono inſidentes, nudi, hexapetali, petalis tribus interioribus, quam exteriora, aliquanto anguſtioribus, coloris intus e violaceo purpurei, maculis ad baſim crenatis luteolis diſtincti, per ſuperficiem vero ſtriis ſaturatioribus purpureis notati, extus e violaceo albicantis, unguibus luteovirentibus ad baſim diſtincti. Ceterum petala obtuſa ſunt, in medio vero in cuſpidem ſubito definunt, quam in ſequenti ſpecie, breviorem.

Stylus e medio flore erigitur ſimplex, e cujus ſummitate apices abſque ſtaminibus luteoli pendent, farinam croceam fundentes. Vaſcula ſubnaſcuntur grandiuſcula, trigona, minus, quam ſequentis, obtuſa & rotundata; porro flores majores ſunt & colore diverſo præditi, caulis item & folia, i. e. tota planta major eſt.

Æſtate

F.49.



Bermudiana graminea, flore minore cæruleo.

Bermudiana Iridis folio, radice fibrosa Tourn.



Æſtate floret, Bermudianis Inſulis, ut fertur, originem debens, unde nomen impoſuit *Tournefortius*, qui hujus ſpeciei flores & vaſcula ſatis bene, niſi quod maculæ exteriori parte conſpicuæ calycis figuram nimis imitentur, expreſſit in *Inſt. Rei. Herb. Tab.* 208. figura autem *Plukenetii Phyt. Tab.* 61. *n.* 2. tam quoad flores, quam quoad reliqua parum ipſi plantæ reſpondet, quare operæ viſum fuit pretium & figuram novam, & deſcriptionem, quæ adhuc defuit, exhibere. Ceterum *Plukenetio* dicta fuit:

Iris phalangoides Bermudiana, flore parvo, ex cæruleo & aureo verſicolore *Alm. p.* 198. & Siſyrinchium Bermudenſe floribus parvis, ex cæruleo & aureo mixtis *Alm. p.* 348. ſed non admodum parvi ſunt flores, nec cærulei dici merentur. Quod nomen poſterius & figura Plukenetii tranſcribuntur in *Campo Elys. Rudb. L.* 2. *p.* 12.

BERMUDIANA GRAMINEA, FLORE MINORE CÆRULEO T. XLI. F. 49.

PLANTA eſt palmaris, dodrantalis & pedalis, foliis verſus radicem complicatis & vaginatim velut in præcedenti ſpecie exeuntibus, qua parte vero a ſe invicem abſcedunt, vaginata fiſſura obliteratur, ſuntque folia compreſſa ſtriata, utrinque ſibi ſimilia, ſaturanter viridia, conſiſtentia graminea prædita.

Caulis folii naturam ſervat, nec ab eo differt, niſi quod nonnihil firmior ſit & nervum ſecundum longitudinem procurrentem obtineat, & quod in ſummitate bifariam dividatur, e cujus fiſſura flores aliquot ſucceſſive prodeunt, pediculis tenuibus teretibus hærentes, nudi, hexapetali, roſacei, coloris cæruleſcentis, præterquam in baſi, ubi laciniatis lituris ex herbaceo flavicantibus picti ſunt. Ceterum flores, licet teneri ſint, ephemeri tamen non ſunt, ſed ſinguli bis terve explicantur, ſimiliter ac prioris, & petala tria interiora tribus exterioribus nonnihil anguſtiora habent, utraque vero non tam repente, ſed lentius in cuſpidem longiuſculam deſinunt, ſtriis paucioribus, ſingula nempe ſingula ſtria, eaque verſus baſim tantum notata, colore parte exteriori eodem cum interiori.

Floribus evaneſcentibus vaſcula ſubnaſcuntur ſubrotunda, obtuſe trigona, in tria loculamenta, ſemina ſubrotunda continentia, diviſa, quæ ſub Auctumnum matureſcunt, flores autem Junio & Julio menſe comparent.

Hujus figura non minus, quam præcedentis, vitioſa exhibita fuit a *Plukenetio Phyt. Tab.* 61. *n.* 1. *ubi & in Alm. p.* 348. Siſyrinchium cæruleum parvum, gladiato caule Virginianum dicitur, cujus figuram & nomen retinuit *Rudb. Camp. Elys. L.* 2. *p.* 12. Gladiolum cæruleum hexapetalum, caule etiam gladiato vocavit *Baniſt. in Cat. Stirp. Virgin.* recitante *Plukenetio & Rajo Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1928. *& Tom. III. p.* 560. *n.* 6. ubi breviter deſcribitur.

Ne autem nomina multiplicentur, retinendum eſt Bermudianæ nomen *Tournefortii*, licet hæc ſpecies in Virginia, ea vero, quæ Palmæ folio, radice bulboſa dicitur, in Inſulis Americæ calidioribus naſcatur, & plures ſint nondum deſcriptæ ſpecies, quæ ad Promontorium Bonæ Spei, & in aliis regionibus naſcuntur, v. gr. quæ a Feuillée, regni Chili indigenæ, enumerantur, nempe Bermudiana cærulea, Phalangii ramoſi facie *Obſ. Tom. II. p.* 715. *Tab.* 8. Bermudiana bulboſa, flore re-

flexo cæruleo *Obſ. Tom. III. p.* 8. *Tab.* 3. & Bermudiana Narciſſo-Leucoji flore *Ejuſd. Ibid. p.* 9. *T.* 4. ut non memorem hujus generis ſpeciem, nomine Siſyrinchii ramoſi Æthiopici, foliis plicatis nervoſis & incanis, radice tuberoſa phœnicea a *Breyn. in Cent. Exot. Plant. p.* 85. 86. *Tab.* 37. deſcriptam & depictam, & quasdam a *Plumiero* pictas, non ſcriptas, in Inſulis Americanis Gallicis naſcentes ſpecies, nempe Bermudianam junceo caule altiſſimo & Bermudianam ampliſſimo folio.

BETONICA MARITIMA, FLORE EX LUTEO PALLESCENTE TOURN. INST. R. HERB. P. CCIII. *T. XLII. F.* 50.

QUONIAM nec deſcriptio, nec figura hujus plantæ bona proſtat, operæ me facturum pretium ſperavi, ſi eam paullo curatius deſcriberem & depingerem. Perennis eſt planta & caules profert ex radice oblonga, craſſiuſcula plures aliquouſque reclinatos, ſuperiora verſus in ramos aliquot laterales abeuntes, in quibus florum verticilli, ut in aliis hujus generis, & folia his ſubjecta decuſſatim per intervalla ſibi reſpondent, ſuperius minora, inferiora verſus ſenſim majora, viridia, hirſuta & rugoſa, inter Salviæ & Betonicæ folia ambigentia, ad radicem obtuſa & fere ſubrotunda.

Ex floris figura recte Betonicæ generi Tournefortius annumeravit hanc plantam, nam labium ſuperius elatum & plerumque bifidum eſt, nonnihil fornicatum, inferius autem in tres partes ſectum, ſegmento medio latiore & bifido, ut in Betonica plerumque contingit. Ceterum lateralia ſegmenta anguſta ſunt, levi inciſura diviſa. Floribus color ex luteo pallidus eſt, ſegmento ſuperiore ſeu galea magis albida, quam labio inferiore, quod magis luteſcit & verſus gulam exiguis quibuſdam ſtriis & punctis purpurantibus variegatum eſt; labium etiam ſuperius prope gulam juxta ſtamina utrinque maculam habet oblongam, purpuraſcentem. Sole Geminos tenente floruit.

Miſſa fuit hæc planta ſub dicto Tournefortii nomine, nec dubitamus, quin ſit vera planta. Tournefortius autem hujus ſynonymam facit, Sideritidem Heracleam latifoliam Dioſcoridis, ſive Sideritidem marinam ſalvifoliam *Donat. de Simpl. Mar. p.* 84. Si Donatus, quod videtur, eandem nobiſcum intelligat plantam, fateri oportet figuram ipſius eſſe valde vitioſam; ſane verticilli floresque peſſime ſunt expreſſi, referuntque potius Leucoji cujusdam, quam Sideritidis flores. Deſcriptio ipſius utcunque bona eſt & noſtræ plantæ reſpondet. *Parkinſonus* Herbariorum ante ſe diligens compilator, una cum nomine, retinuit & figuram & deſcriptionem Donati, quam latinam fecit *Rajus Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 556. *n.* 17. ſicuti ille illam ex Italico fecerat Anglicam. Hanc deſcriptionem verbis Rajanis recitavit *Bobartus Hiſt. Ox. Part. III. p.* 388. *n.* 7. Obſervandum autem Bobartum huic eandem facere, Sideritidem Salviæ folio *Anguill.* quæ prima *Ejuſd. p.* 256. & Sideritidem Heracleam *Col. Ecphr. P. I. p.* 131. *ic.* Sideritidem primam Dioſcoridis *Ejuſd. Ibid. p.* 128. *deſcr.* Ego, ut Anguillaræ, qui breviter deſcribit, plantam eandem conceſſerim, ſic nego Columnæ ſpeciem eandem eſſe; longe nimis & figura, & deſcriptio a noſtra recedit. Dicit enim Columnæ folia ſuæ eſſe incana, & flores purpuraſcentes



Betonica maritima, flore ex luteo pallescente Tourn.



Bidens latifolia hirsutior. Semine angustiore, radiato.

puraſcentes. Folia in icone quidem reſpondere videntur, at flores longe minores ſunt, ſegmento medio inferiore integro, ſuperiore magis falcato & in dorſo ſeu parte ſuperiore piloſo. Quis vero tam accuratum obſervatorem, quam fuit Columna, exiſtimet vel alienum flori colorem adſcripſiſſe, vel maculas floris non advertiſſe, vel demum alienam flori figuram affinxiſſe. Figuram Bobarti quod attinet, ea nullius omnino momenti eſt. Particula eſt Sideritidis quartæ *Clus. Hiſt. XL.* & habetur *Sect. XI. T.* 4. *f.* 7. *ſer.* 3. pro Sideritide Salviæ folio *Anguill.* Porro Sideritidem Salviæ folio Donati breviter deſcribit *Bocc. Mus. Part. II. p.* 164. & figuram ejus, natali loco lectæ plantæ, quam ab ipſo Boccone habuit D. Guil. Sherardus, reſpondentem exhibuit *Tab.* 127. Verum cum ſpecimen fuerit ſtrigoſius loco ſteriliore natum, in quo verticilli in unum congeſti, nec flores rite expreſſi ſint, has partes noſtra figura clarius exprimere voluimus. Atque hi ſunt Auctores, qui vel figuram vel deſcriptionem hujus plantæ dederunt; nominetenus ea memoratur ab *Hoffmanno in Del. Hort.* Sideritidis marinæ ſeu Venetæ titulo, & a *Magnolo Char. Plant. p.* 86. Lamii vel Sideritidis marinæ Salvifoliæ Donati nomine.

BIDENS LATIFOLIA HIRSUTIOR, SEMINE ANGUSTIORE, RADIATO T. XLIII. F 51.

BICUBITALI & tricubitali naſcitur altitudine, caule digitum inferius craſſo, quadrangulari, ſtriato, plures ab imo ramos conjugatos in latera ſpargente, quadrangulares, virentes, aut leviter, exterius nempe, qua Solis radiis illuſtrantur, e nigro rubentes, pilis obſitos, quibus ad genicula folia adnaſcuntur lobata, Bidenti Canadenſi latifoliæ, flore luteo *Tourn.* ſimilia, ſed dentibus minoribus & obtuſioribus inciſa, magis etiam hirſuta, pilis non tam in marginibus, quam per ſuperficiem, præſertim inferiorem, locatis, ſuperne ſaturanter viridia, inferne nonnihil pallidiora.

Flores in caulis & ramorum parte ſuperiori naſcuntur parvi, lutei, non radiati, e floſculis tantum exiguis quinquefidis conſtructi, quos ſemina ſequuntur longa gracilia, compreſſa, ſtriata, nunc bi-nunc tri-nunc quadridentata, denticulis aſperis, ſeu ſpinulis reflexis obſitis, per maturitatem nigricantia, & radiatim quaquaverſus expanſa, inſtar Bidentis Americanæ, Apii folio *Tourn.* cui & ſeminum figura ſimilis, at foliis longe ab illa diverſa. Calyces ſimplices e pluribus foliolis virentibus appreſſis, per margines piloſis, conſtant, hinc circulus ſequitur ſquamarum oblongarum, e viridi obſolete flaveſcentium, ſemina continens in capitulum oblongum ſtrigoſum digeſta, quibus ſingulis ſingula ſquama apponitur ſenſim anguſtior, donec ea ad maturitatem perveniant, ubi dilabuntur, ipſa vero ſemina radiatim undique verſum porriguntur: in vulgari autem Canadenſi ſpecie ſemina talem in modum non explicantur, ſed parum hiantia decidunt, ſquamæ vero aliquamdiu remanent, & ſunt præterea ſemina latiora & breviora, non nigra, ſed ſubfuſca, ſubhirſuta, duabus tantum ariſtis, minus conſpicue (per vitream lentem tenuiter) ſpinoſis terminata. Porro illius caules undique atro-rubente colore ſemper tincti ſunt, capitula craſſiora ſunt & obtuſiora, calyx autem longior ſeu magis folioſus eſt & radiatim expanſus, prout figura marginali quinta & ſexta demonſtratur,

ſep-

ſeptima vero floſculi, qui nunc quinquefidi, nunc & plerumque quadrifidi in hac ſpecie ſunt, octava ſquamæ exteriores, nona interiores, decima ſemina repræſentantur. Prima autem marginali figura hujus ſpeciei floſculi, ſecunda ſquamæ exteriores, tertia interiores, quarta ſemina ſeorſum deſignantur.

Annua eſt planta, pro ſationis ratione ocyus ſeriuſve florens.

BIDENS NODIFLORA, BRUNELLÆ FOLIO

T. XLIV. F. 52.

Ex ſeminibus Bengalenſibus, a P. Collinſon communicatis, inter alias rariores, plantæ aliquot palmares & dodrantales natæ ſunt, coliculis tenuibus, ex tereti anguloſis, glabris, ex adverſo brachiatis, ad quorum genicula folia erant conjugata parva, glabra, Brunellæ ſimilia, per margines ſubinde obiter & raro ſinuata, nunc viridia, nunc obſcure purpurea, in medio ſulcata, per margines utrinque reflexa, venis obliquis ſuperficialibus exarata. Hæ cito complementum adeptæ ſunt, nam Majo, vix duorum a ſatione menſium intervallo, non tantum flores, ſed & ſemina perfecerunt, & his ad maturitatem perductis mox denatæ ſunt plantæ.

Flores autem & ſemina ad genicula & in divaricationum angulis, in capitulis parvis oblongis ſeſſilibus, e ſquamis oblongis cuſpidatis conflatis, naſcuntur: & flores quidem parvi flavi ſunt, e floſculis puſillis, nunc quatuor, nunc quinque exiguis laciniis diviſis & ſtylo exili bifido donatis compoſiti, ſemina autem, pro plantæ ratione ſatis magna ſunt, compreſſa, verſus baſim anguſtiora, in ſummitate latiora, duabus ad margines, (utrinque videlicet una) ariſtis longioribus, in medio vero, ubi floſculus hæret, duabus porro (utrinque nempe una) ariſtis brevioribus, terminata. Ceterum ſemina ad margines & ariſtæ pilis rigidis, ceu aculeis, reflexis aſperatæ ſunt, id quod præcipue in majoribus ariſtis obſervabile eſt. Figura prima & tertia floſculi quadrifidi, ſecunda & quarta quinquefidi, quinta & ſexta ſemina repræſentantur.

Ante vero quam ad aliarum ſpecierum deſcriptionem progrediar, de nomine & diviſione hujus generis quædam annotare non alienum erit. Varia enim ſortitum eſt nomina, & primum quidem Geſnerus Bononiæ vulgo Forbeſinam (procul dubio a forficibus hiantibus, qui Italis *forbici* & hinc Forbicinam ab Italis colonis hodieque vocari teſtatur Pontedera Diſſert. Botan. X. p. 247.) refert dictam de Hort. Germ. fol. 259. in Append. vero Ejuſd. Horti fol. 296. Verbeſinam incerto auctore nominat, a foliorum, ut putat, aliqua cum Verbena ſimilitudine, quod nomen cum Geſnero retinuit J. Bauhinus & nonnulli alii.

Dein Bidentis nomen introduxit Cæſalpinus: " quædam, inquit, de Plantis Lib. " XII. C. 17. locis humectis & fere in aquis naſcitur, foliis tripartito diviſis: " capitula in cacuminibus fert pauca, ſtellata flore luteo; ſemina includuntur val- " de compreſſa & oblonga, in duos aculeos deſinentia, unde Bidens vocetur. Philoſopho dicto audiens fuit Tournefortius, nam & nomen & genus plantæ in ſuas Rei herbariæ Inſtitutiones retulit, quæ cauſſa eſt, quod appellatio iſta apud pleroſque invaluerit. Enimvero licet Bidentis ſpecies pleræque ſemina gerant pluribus duabus, ſi accuratius examinentur, ariſtis armata, tamen cum duo

præcipue



Bidens nodiflora, Brunellæ folio.



Bidens nodiflora, folio Tetrahit.

præcipue laterales & longiores aculei conſpicui ſint, ſi minus uſitatum Forbeſinæ, eadem derivationis difficultate preſſum, vel Verbeſinæ, minus apte comparatum nomen diſpliceat, hoc, Bidentis nempe, retineri, id vero, quod præter plura alia ſupervacanea confinxit Vaillant Comm. Acad. R. Scient. A. 1720. p. 525. Ceratocephali nempe nomen, quoniam nec melius, immo nec æque bonum, minime autem neceſſarium eſt, explodi meretur.

Porro cum genera plantarum præter neceſſitatem multiplicanda non ſint, minime aſſentiendum Pontederæ Diſſert. Bot. X. p. 247. Bidentes facienti, quibus flores nudi ſunt, Forbicinas vero, quarum flores radio cinguntur, quod & ante eum eadem de cauſſa fecit Knauth Meth. Plant. p. 128. 129. illas Cannabinas, has Bidentes appellans. Quid enim in herbis flore compoſito præditis magis eſt vulgare, quam flores in eodem genere infimo nunc radiatos, nunc nudos obſervare v. gr. in Camomilla, in Matricaria, in Bellide, Jacobæa, Senecione & aliis ?

BIDENS NODIFLORA, FOLIO TETRAHIT

T. XLV. F. 53.

PRIMO, quo nobiſcum planta hæc nata fuit, anno dodrantali tantum erat & pedali altitudine, caulibus teneris teretibus, virentibus, foliis minoribus veſtitis, ſequentibus vero annis ad ſeſqui & bicubitalem altitudinem crevit, caules ſubfuſcos craſſiores, folia majora & magis rugoſa (cujusmodi folium ſeorſum figura marginali prima appictum eſt) acquiſivit & florum capitula plura juxta ſe naſcentia protulit.

Tetrahit comparo hujus ſpeciei folia, intelligo autem plantam, quæ Urtica aculeata foliis ſerratis dicta olim fuit *C. Bauhino*, quam a Galeopſidis genere, quo refert Tournefortius, non una de cauſſa recido. Huic foliis proxime accedere videtur, niſi quod in Tetrahit venæ obliquæ crebriores ſint. Nempe folia oblonga ſunt, integra, per margines crenata, ſubhirſuta & pilis brevibus, qua lux incidit, præſertim conſpicuis, obſita, nervo medio diſtincta, a quo prope baſim duæ venæ præcipuæ, velut in Corona Solis fieri ſolet, & aliæ inde minores minusque conſpicuæ progrediuntur, colore prædita ſimpliciter viridi ſuperne, inferne vero nonnihil pallidiore.

Flores in caulis & ramorum ſummitatibus naſcuntur plures ſeſſiles, ſeu abſque pediculis hærentes, quibus evaneſcentibus ramuli elongantur & alios flores in extremitatibus proferunt, capitula vero priora ad foliorum alas ſeu nodos glomeratim hærent, oblonga, ob ſeminum aculeos exſtantes pungentia, e pluribus ſquamis ſibi impoſitis conſtructa, quæ per maturitatem a ſe invicem abſcedunt & paleacea capitula efficiunt. Talismodi capitula ramulus figura ſecunda exprimit.

Ceterum flores parvi lutei radiati ſunt, & ſeptem octove ſemifloſculis, extremo margine leniter diviſis, conſtant, floſculos minutos paucos, in quatuor & quinque laciniolas ſectos, circumſtantibus, quos calyx ambit, e quinque, ſex & ſeptem foliolis virentibus (ad ſeminum maturitatem obſolete e fuſco flaventibus) ſquamatim ſibi impoſitis conſtructus, & ab his ſimilia foliola exſucca candida anguſtiora exeunt,

floſculis interſperſa. Semina tum ſemifloſculis, tum floſculis ſubjiciuntur, ſed duplici figura prædita; illa quidem latiora & magis compreſſa ſunt, præter duas ariſtas ſuperiores aliis quibusdam marginalibus brevioribus armata, hæc vero graciliora ſunt, duabus tantum in ſummitate ariſtis longioribus, cum intermedia breviore & vix conſpicua prædita. Figura marginalis tertia ſemifloſculis ſubjecta ſemina, quarta floſculum & ſemen naturali, quinta aucta magnitudine, ſexta ſemen maturum, ſeptima calycis foliola, octava ſquamulas ſeminibus interſperſas demonſtrant.

Annua eſt planta, pro ſationis & tempeſtatis ratione ſerius aut citius florens. Sponte naſcitur in Inſulis Americæ calidioribus.

Dicitur Chryſanthemum conyzoides nodiflorum, ſemine roſtrato bidente *Sloan. Cat. Jam. p.* 126. *Hiſt. Vol. I. p.* 262. cujus figura exhibetur *Tab.* 154. ſed ſine floribus, nec crenæ foliorum ſatis exprimuntur: Ceratocephalus nodiflorus, Coronæ Solis foliis minoribus *Vaill. Comm. Acad. R. Scient. A.* 1720. *p.* 327. *n.* 9. Hucacou Caraïbæorum *Surian. Hort. Sicc.*

BIDENS SCABRA, FLORE NIVEO FOLIO PANDURÆFORMI T. XLVI. F. 54.

PLURES aliquot ex eadem radice emittit caules rectos, indiviſos, cubitalis tantum & ſeſquicubitalis, cum planta primum in fictili curatius ſervaretur, altitudinis, dein vero in ſolo libero plantata lætius ſurrexit & tricubitalem altioremque altitudinem æquavit, caulibus rigidis, aſperis, cannulatis, ſeu quatuor ſulcis ſecundum longitudinem inſcriptis, angulis obtuſis & ſubrotundis, cannulæ inſtar protuberantibus.

Folia ad ſingula genicula in oblongis pediculis naſcuntur ſatis magna, oblonga, triangula, & ad angulos Panduræ inſtar ſinuata, per margines dentata, rugoſa valde & aſpera. Quæ folia palmari & ſeſquipalmari ab invicem diſtantia locantur & modice pendent, vel horizontalem ſaltem ſitum obtinent, cumque ſat longe ab invicem diſtent, & in alterutram ſubinde partem propendeant, fit ut ſitus eorum decuſſatus non æque, ac in aliis ſpeciebus, obſervabilis ſit.

Summi caules in paucos aliquot ramos & pediculos ex adverſo dividuntur, quibus flores innaſcuntur pulchri viſu; capitula nempe ſunt grandiuſcula, Scabioſæ non abſimilia, præſertim ab initio, quo tempore flores juniores tincturam aliquam rubedinis habent, poſteaquam vero capitula juſtam magnitudinem adepta ſunt, flores fiunt candidiſſimi, vagina autem ſtylos cingens atra penitus eſt; & quoniam ſtyli ſunt majusculi, recurvi, prominentes, vagina autem e floſculis etiam prominet, tum ob crebra cornicula, tum ob tubulorum nigredinem florum candori permixtam elegantem de ſe ſpeciem præbent flores, licet radio deſtituti ſint. Et flores & ſemina crebras ſquamas cuſpidatas interſperſas habent. Semina autem duobus pilis vel ariſtis in ſummitate armantur, & de Bidentis genere plantam eſſe teſtantur. Calyces e ſquamis rigidis virentibus conflati ſunt.

Seorſum figura prima totus flos, ſecunda floſculi & ſemina, tertia ſquamæ floſculis & ſeminibus interpoſitæ exhibentur.

Sero & Octobri demum menſe floret hæc ſpecies, orta cum ſequentibus ex ſeminibus e Carolina tranſmiſſis.

Non



Bidens scabra flore niveo, folio panduræformi.



Bidens scabra flore niveo, folio trilobato.

Non memini quenquam ejus feciſſe mentionem, niſi ſit Ceratocephalus foliis cordatis ſeu triangularibus, flore albo *Vaill. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1720. *p.* 327. *n.* 10. Non videntur autem bene concordare folia cordata & triangularia.

BIDENS SCABRA, FLORE NIVEO, FOLIO TRILOBATO T. XLVII. F. 55.

CAULES hujus præcedenti plane ſimiles, niſi quod nonnihil altius aſſurgant. Folia etiam ſimilia textura & ſuperficie, figura autem in eo diverſa, quod verſus baſim profundius & acutius ſinuata ſint, & quod utrinque in alas longiores producantur. Ceterum aſperitas, quæ in hac & præcedenti ſpecie eminenter obſervatur, a crebris pilis rigidis, ſed perbrevibus & vix conſpicuis procedit. Flores globoſi ſunt, illius inſtar, baſim vel pediculum verſus contracti, in ſuperiori parte diducti, toti nivei, nam licet utriculos fariniferos ſtylos ſuccingentes habeant nigros, ii tamen e floſculis non ſurriguntur, ſed in baſi eorum deliteſcunt, ſive id natura ita ſe habeat in hac ſpecie, ſive ex accidenti contingat, nam perquam ſero & menſtruo ſpatio, Novembris nempe initio, poſt præcedentem floret, nimirum in Hibernaculo curate ſervata flores dedit, in ſolo autem libero adhuc denegavit, unde fieri potuit, ut ex aeris liberioris & caloris defectu floribus rite perficiendis minus ſuffecerit planta, quamvis læta & robuſta eſſet, flores autem ſatis ampli & formoſi eſſent. Ceterum florum cornicula ſeu ſtyli, quam prioris, nonnihil graciliores videbantur. Et hæ ſunt differentiæ, quas in hac ſpecie obſervare potui, quarum præcipua eſt, quæ in foliis hæret: Neminem autem dubitare velim, quin vere diverſa a præcedenti ſpecies ſit. Perennis eſt planta præcedentis ſpeciei inſtar.

Floſculi cum ſeminibus ſeorſum, & ſquamæ floſculis interpoſitæ in margine figura prima & ſecunda appictæ ſunt.

Eſt & alia ſpecies, caule, capitulis & aſperitate præcedentibus ſimilis, ſed foliis valde diverſa, ceu quæ Urticæ vulgari ſimilia ſunt, cujusmodi folium figura marginali tertia differentiæ monſtrandæ ergo appictum eſt.

BIDENS SUCCISÆ FOLIO, RADIO AMPLO, LACINIATO T. XLVIII. F. 56.

CAULES ex eadem radice naſcuntur plures, reclinati & humo aliquouſque incumbentes, inde vero ad ſeſqui & bipedalem uſque longitudinem oblique aſſurgunt, geniculis aliquot, non longe ab invicem diſtantibus, baſim verſus prædiți, ad quæ folia ex adverſo naſcuntur oblonga, & ex iis aliæ quædam foliorum minorum conjugationes prodeunt, florum autem pediculi e mediis geniculis prælongi, ad dodrantalem nempe & pedalem longitudinem protenduntur, teretes, glabri, quibus ſub auctumnum flores innaſcuntur ampli flavi, quorum radius e ſemifloſculis pluribus (octo novemque) latis, in quatuor plerumque lacinias, quarum mediæ lateralibus longiores ſunt, diſſectis conſtat, diſcus autem e floſculis

floſculis componitur ſimiliter flavis, parvis, in quinque acutas lacinias diviſis, quibus plurimæ ſquamæ tenues & tranſparentes interpoſitæ ſunt.

Calyx floris duplex eſt, exterior nempe in octo novemque viridia craſſiora, radiatim expanſa, foliola ad baſim uſque dividitur: interior e totidem foliolis aliquanto majoribus, tenuioribus & tranſparentibus, ochrei pallidioris coloris, conſtat, ſurrectis & flori appreſſis.

Semifloſculi licet ſeminibus inſideant, nullo tamen ſtylo viſibili gaudent, nec ad maturitatem eorum embryones, ſecus ac in pleriſque Compoſitis floribus fit, pervenire ſolent. Ceterum ſemina, dum planta floret, brevia ſunt, plana & compreſſa, brevibus utrinque ariſtis prædita, per maturitatem vero aliam formam induunt; intumeſcunt enim & parte exteriore convexa, interiore cava fiunt & nonnihil convoluta, tranſverſis parte inferiore & ſuperiore protuberantiis interne clauſa, dorſo exteriore protuberante rugoſo, margine vero foliaceo utrinque cincta, coloris e fuſco purpurei, ariſtis eo tempore brevioribus & contractis, apiculo inter eas, ceu tertia & intermedia ariſta, prominulo, cornicula inſecti repræſentantibus, quin & totum ſemen æmulam inſecti, velut Scarabæi minoris hemiſphærici, vel, ſi mavis, cimicis figuram refert.

Folia ad radicem plura ſparguntur, ſpiſſa glabra, venis vix conſpicuis prædita, Succiſæ, præſertim ab initio, ſimilia, utrinque viridia. Quæ folia licet glabra ſint, per margines tamen, media potiſſimum in caule folia, & in inferiore ſua parte piloſa obſervantur. Quin & foliis ſubhirſutis ſæpe variat hæc planta, & ſub hoc ſtatu non tantum figura, ſed & ſuperficie Succiſæ foliis reſpondet, ſub illo vero ſtatu ob ſpiſſitudinem & lævorem Tripolii foliis non abſimilis eſt: Florum tamen pediculi ſemper glabri ſunt. Folia guſtata calida percipiuntur, fere inſtar Virgæ aureæ.

Nata fuit e ſeminibus Carolinenſibus, & cum primum nobiſcum (anno 1725.) floreret, flores gerebat inæquales, & minus pulchros, ſemifloſculorum marginibus reflexis, extremitatibus contortis, varie laciniatis & veluti laceris: Sequentibus annis cælo noſtro aſſuetior flores dedit pulchriores & magis regulariter expanſos, ſemifloſculis amplioribus & magis planis. Biennis trienniſve planta.

Separatim figura prima ſemifloſculi, ſecunda floſculi, tertia ſquamæ, quarta ſemina fere matura parte exteriore, quinta eodem ſitu plene matura, ſexta eadem partem interiorem monſtrantia exhibentur. Immatura ſub ſemifloſculis & floſculis ſunt. Figura ſeptima octava & nona folia inferiora glabra & hirſuta appicta ſunt.

Videtur eſſe planta, quam Chryſanthemum Marianum Virgæ aureæ Americanæ foliis, florum petalis tridentatis vocavit *Pluken. Mant.* p. 46. nempe ſi intelligamus Virgam auream Mexicanam *C. B. Pin. App.* i. e. Virgam auream Limonii folio, panicula uno verſu diſpoſita *Hort. R. Par.* cujus folia noſtræ plantæ, ubi glabra, non abſimilia. Forte etiam Bidens Carolin. foliis integris Pet. Hort. Sicc. n. 24. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 242.

BONTIA



Bidens Succisæ folio, radio amplo laciniato.



Bontia Laureolæ facie.

BONTIA LAUREOLÆ FACIE T. XLIX. F. 57.

" BONTIA, inquit Plumierus Nov. Gen. p. 32. eſt plantæ genus flore mono-
" petalo, perſonato, cujus labium ſuperius ſurrectum (adde bifidum) inferi-
" us vero tripartitum. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad-
" inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ovatum mollem, ſucci plenum,
" & officulo fœtum oblongo, in quo nucleus continetur ejuſdem formæ.

Hujus unicam tantum vidit ſpeciem, quæ & noſtra, quam Bontiam arboreſcentem, Thymelææ facie vocat. Intelligit autem Laureolam folio deciduo, flore purpureo, cujus foliis hujus ſpeciei folia ſimilia ſunt, niſi quod productiora & verſus extremitatem magis acuminata ſint, præſertim ea, quæ in ſuperiore ramorum parte enaſcuntur. Ceterum ea, illius inſtar, craſſiuſcula ſubrigida ſunt, lævia, utrinque viridia, ſempervirentia, venis ſuperficialibus & vix conſpicuis obliquis donata, alterno ordine naſcentia. Flos monopetalos, irregularis eſt, inferne tubuloſus, ſuperne in duo labia diviſus, labio ſuperiore ab initio concavo & fornicato, dein reflexo planoque, in medio leviter diviſo, inferiore a prima floris explicatione revoluto, in tres lacinias ſecto, fimbriato, ſeu multis pilis, lineæ latiuſculæ inſtar per mediam labii inferioris partem ductæ, pubeſcente; quod omiſſum eſt in figura Plumieri, Nov. Gen. Tab. 23. Floribus color eſt ſubluteus, linea autem illa piloſa obſcure purpurea eſt: Superficies tubæ floris Elæagni inſtar leviter rugoſa eſt. Calyx in quinque ſegmenta dividitur. Stamina tantum tria obſervavi, Plumierus autem quatuor pingit: Stylus ſimplex embryoni inſidet oblongo, in floris fundo latente, qui noſtro cœlo ad maturitatem non pervenit, quapropter fructum & ejus partes ex Plumiero appingere neceſſarium fuit. Exhibetur ergo fig. 1. calyx cum embryone & ſtylo, fig. 2. fructus integer, fig. 3. tranſverſim diſſectus, ut officulum appareat, quod officulum fig. 4. ſeorſum exhibetur, & fig. 5. nucleus extractus, fig. autem 6. officulo inhærens ob oculos ponitur: fig. 7. fructus ſiccus, qualem cum planta ſicca Phytophylacium Sherardinum ſervat, appingitur, qui in apicem acutum, in figura Plumieri non comparentem, forte quod immaturus fuerit lectus, deſinit. Junio menſe floruit Anno 1723. quo tempore erat ſeſquicubitalis arbuſcula, hoc vero, quo hæc ſcribo, Anno 1728. tricubitalis erat, caudice lignoſo, cortice cinereo fuſco, nonnihil rimoſo veſtito, in plures ramos verſus ſui medium abiens, ramis ſurrectis, nonnihil in obliquum verſis.

Equidem *Plukenetius* pridem hujus plantæ figuram dedit, & Oleam ſylveſtrem Barbadenſium, folio anguſto pingui, leviter crenato vocavit *Alm. p.* 269. *Tab.* 209. *fig.* 3. ſed quoniam figura ejus imperfecta eſt & floribus deſtituta, & quoniam deſcriptio deeſt, & deſcriptionem & figuram cum flore & fructu dare volui. Plukenetio relatum fuit hanc arbuſculam gummi inſtar Elemi fundere, de quo nobis non conſtat. Notat *Rajus* in *Hiſt. Plant. Tom. III. Dendr. p.* 47. in ramulo a D. Sherard ad ſe miſſo, ſe crenas foliorum diſcernere non potuiſſe; at ipſius plantæ, quam vidit Rajus, folia inferiora crenata ſunt, quamvis adeo obiter, ut, niſi curatiſſime inſpicienti, non compareant denticuli. Ceterum hæc, procul dubio, vide-

tur arbor, quam Oleæ ſylveſtris nomine breviter abſque figura deſcribit *Labat. Itin. Tom. III. p.* 84 cùm folia & fructus reſpondeant, cujus fructibus pſittacos, turdos & palumbos veſci & incraſſeſcere, ſed &, ni poſt cædem ſtatim exenterentur, tantam amaritudinem, ut eſui non ſint, carnes eorum contrahere refert.

BRYONIA BONARIENSIS, FICI FOLIO T.L. F.58.

Ex radice, vulgari Bryoniæ, ſimili ſarmenta aliquot longiſſima emittit, calamum craſſitie inferius æquantia, ex tereti hac parte anguloſa, ſuperiora verſus profunde ſtriata, atro-viridia, ad quorum genicula folia naſcuntur Fici foliis ſimilia, ſed minora, in quinque lobos profunde diviſa, inferius anguſtiores, ſuperius latiores, in extremis ſarmentis denuo anguſtiores & minores, per margines hinc inde denticulatos, hirſutos & valde aſperos, coloris ſuperne ſaturanter viridis, inferne e viridi albicantis.

Flores & fructus per ſex jam a primo ortu annos denegavit, in exemplari vero ſiccato, *Buenos Ayres* delato, obſolete vireſcunt & baccæ ſunt, quam vulgaris, nonnihil grandiores, & quoniam una tantum hujus novæ ſpeciei planta eſt, ne, ſi pereat, memoria ipſius intercidat, figuram cum foliis abſque floribus & baccis potius, quam nullam, exhibere voluimus.

BRYONIODES FLORE ET FRUCTU MINORE T. LI. F. 59.

Observante & deſcribente primum Hermanno Par. Bat. p. 108. novum plantæ genus, quoniam creſcendi modo, caulibus nempe longe ſcandentibus, foliis anguloſis, & florum figura Bryoniæ valde ſimile eſt, ideo Bryonioidis appellatione id indigitavit; quo minus rationem habebat Tournefortius Inſt. Rei Herb p. 103. novum ei Sicyoidis nomen imponere. Nam nec foliis, nec floribus, nec naſcendi modo vel Cucumeri, vel Cucurbitæ, unde derivat nomen, tam ſimile eſt, quam Bryoniæ. Fructu autem ab utriuſque & Bryoniæ etiam genere multum recedit hoc genus, novumque ideo genus merita eſt hæc planta, cui Bryonioidis ab Hermanno datam appellationem, ob rationem dictam, relinquimus.

Præter vulgarem e Canada primum delatam ſpeciem, aliam recenſet *Inſtit. Rei Herb. Auctor ex Plumiero*, nempe Sicyoidem Americanam, fructu echinato, foliis laciniatis. Cui addere nunc licet tertiam ſpeciem, ab utraque omnino diverſam.

Eam quotannis e ſeminibus Mexico primum allatis enutritam vidi in Horto Elthamenſi, quæ vulgaris inſtar altiſſime & longius adhuc ſcandit, & capreolis ſuis vicinis quibuſque ſe annectit: folia habet illius inſtar formata, ſed nonnihil minora & magis angulata, Bryoniæ magis ſimilia, tam flos autem, quam fructus vulgari longe minor eſt & dimidiam illius magnitudinem non ſuperat.

Caules ejus ab initio graciles ſunt & teretes, dilute virentes, pellucidi, tenuibus hinc inde rariſque pilis obſiti, tenui poro pertuſi, poſtea craſſiores fiunt & ſarmenta majora ſulcata emittunt, crebrioribus & brevioribus pilis obſita, longe lateque ſcandentia, ita ut ad viginti & plures cubitos protendantur, & arborem, ſi nacta

ſint

F. 58.



Bryonia Bonarienſis, Fici folio.



Bryonioides flore & fructu minore.

ſint vicinam, ſarmentoſis ſuis circumvolutionibus ita inveſtiant, ut, quoniam & foliis abundant, tabernaculum ex ea efficiant.

Folia ad caules & ſarmenta alterna ſerie ex contraria parte, palmari, ſeſqui & ſemipalmari diſtantia naſcuntur, inferius rotundiora & minus angulata, (vid. figura prima) inde magis anguloſa, (vid. figura ſecunda) in ſuperiore vero parte, (figura tertia) & in ſarmentis, (vid. figura quarta) profundius ſinuata. Ceterum folia plana ſunt, ſubhirſuta, tenuibus nempe brevibuſque pilis obſita, per margines denticulata & ſpinularum veſtigiis obſita, parte ſupina viridia, prona pallidiora, pediculis nixa teretibus, ſubhirſutis, quibus e contraria parte adſtant alii pediculi teretes piloſi, in capreolos tortiles, bina, terna, quaternave diviſione abeuntes, inter utroſque vero pediolos juxta caulem medium tenuis longuſque ſurrigitur pediculus tenuiter crebroque piloſus, cujus faſtigio plurima inhærent capitula in flores monopetalos quinque partitos (ſubinde in quatuor, ſubinde in ſex ſegmenta) ſe explicantia, coloris e luteolo herbacei, ſegmentis lineis viridioribus ſtriatis, e quorum centro ſtamen exit capitulo croceo farinoſo quinque lacunulis, excuſſa farina, prædito (quatuor, ſi flores quadrifidi ſint) terminatum. Porro inter ſingula florum ſegmenta tenuis prominet lacinia, quæ calycis locum obtinere videtur, nam reliquo calyce caret. Flores hi farinoſi tantum, ſeu, ut vulgo vocant, ſteriles ſunt & figura tertia deſignantur, fertiles autem flores verſus auctumnum in ſarmentis ſuperioribus præcipue naſcuntur, in pediculo communi perbrevi conglomerati, pentapetaloides, (ſubinde tetrapetaloides) minores, coloris herbacei, ſummo fructui inſidentes, ad margines tenuibus laciniis, quæ calycis loco ſunt, prædiți, e quorum medio ſtylus erigitur, capitulo orbiculari virente quinquefido, ſubinde quadrifido terminatus, ſtamina vero & farina his deſunt. Quibus floribus fœmellis alii maſculi ex eodem geniculo in peculiaribus pediculis adnaſci ſolent.

Fructus dein ſubnaſcitur ex octo novemque fructibus partialibus amygdalæ formibus, in capitulum echinatum diſpoſitis, conſtans, tenuibus nempe ſpinis albicantibus undique armatis, viridibus ab initio & æquabilibus, in extremitate nonnihil tuberculoſis, per maturitatem pallidioribus & undique tuberculoſis, ſub quorum cute carnoſo-membranacea ſemina latent ſingula, oblongo-rotunda, compreſſa, odoris cucumerini, ſaporis ſubamari. Talis eſt ramus figura quarta deſignatus, in quo omnia ſunt fœminina, dempto pediculo afteriſco notato, in quo flores maſculini, cui ſeparatim fructus ſolitarius cum integumento ſpinoſo figura quinta, & ſexta ſine integumento, ſeu ſemen nudatum appicta ſunt.

Annua eſt planta vulgaris ſpeciei inſtar, & tota æſtate floret, fructus autem ſub ſerum auctumnum fert & longius, quam vulgaris ſpecies, durat.

Sicyoides Americana fructu echinato, foliis laciniatis *Plum.* ſecundum figuram ejus folia habet crebrius & tenuius multo laciniata, fructum rotundiorem & craſſiorem, aculeis validioribus armatum.

BU-

BUGLOSSUM ORIENTALE, FLORE LUTEO TOURN. INST. R. HERB. P. VI. *T. LII. F.* 60.

PEDALES & bipedales ex radice reſtibili ſpargit caules, humi procumbentes, qui verſus mediam & ſuperiorem partem bifariam & trifariam ramos emittunt teretes, quibus folia lata baſi adnaſcuntur obtuſe mucronata, venis, præter nervum medium, carentia, quæ in extremis ramis frequentiori ſerie alternatim ex contraria parte diſpoſita minora fiunt, & ſpicas velut efficiunt pinnatas, præſertim in planta primum florente, ut ramus minor demonſtrat, poſtea enim, quando longius excreſcunt, cujusmodi eſt figura noſtra primaria & major, folia hæc longius ab invicem removentur. Ceterum ſpicæ hæ reclinatæ & verſus faſtigium leniter ſurrectæ ſunt, e quorum foliorum alis flores Junio & Julio menſibus naſcuntur eleganter lutei, in quinque ſegmenta ſubrotunda diviſi, ſegmentis ad floris tubum ſitu non horizontali, ſed nonnihil inclinato diſpoſitis. Calyces in quinque ſegmenta, ab initio anguſtiora, dein latiora diviſi ſemina fovent parva quaterna, capitis viperini figura, rugoſa, per maturitatem cinerea.

Folia ex radice naſcentia & caulium parti inferiori appoſita longa ſunt lataqué, Cynogloſſæ foliorum figura & magnitudine. Tota planta molliter hirſuta eſt, crebris nempe brevibusque pilis ubique obſita.

Seorſum figura prima & ſecunda flores cum & ſine calyce, tertia ſemina appicta ſunt: quarta folium inferius, quinta medium demonſtrat.

Figuram qualemcunque & deſcriptionem nullius momenti habet *Buxbaum Plant. Min. Cogn. Cent. III. p.* 17. *Tab.* 29.

BUGULA ORIENTALIS VILLOSA, FLORE INVERSO CÆRULEO, ALBA MACULA NOTATO TOURN. INST. R. HERB. COR. P. XIV. *T. LIII. F.* 61.

INTER alias elegantiores plantas, quas in Orientali ſuo itinere obſervavit Tournefortius, & hæc non poſtremæ venuſtatis eſt, ceu cui peculiaris in floribus elegantia contigit. Plurimos autem hæc Bugulæ ſpecies ex eadem radice abſque flagellis caules ſpargit, pedales & ſeſquipedales, immo in ſolo lætiore longiores ſubinde, partim ſurrectos, medios nempe, partim, nimirum exteriores, reclinatos, ſatis craſſos, quadrangulares, incana hirſutie obſitos, in quibus ex brevibus intervallis folia naſcuntur, Bugulæ Genevenſi villoſæ admodum ſimilia, incana lanugine undique veſtita, viridia tamen, niſi parte averſa, ubi e viridi caneſcunt, venoſa & rugoſa, per ambitum obtuſe crenata, crena laterali media reliquis productiore & anguloſitatem quandam folio conciliante.

Calyces turgidi ſeſſiles, in quinque anguſtas breves & æquales lacinias diviſi, piloſi etiam ſunt, e quibus flores naſcuntur pulchri, inverſi a Tournefortio non male dicti, nam labium, quod inferiorem in Bugulis aliis locum occupat, hic in ſuperiori parte erectum eſt, candidum, litura violacea ad inciſuram mediam diſtinctum; contra laciniæ illæ in aliis Bugulis puſillæ, in ſuperiori parte floris, labii ſuperioris loco, locatæ, hic propendent majuſculæ, quibus alæ utrinque adſtant, laciniis



Buglosum Orientale flore luteo Tourn.

F. 61.



Bugula Or. villosa, flore inverso cæruleo, alba macula notato Tourn.

ciniis inferioribus æquales aut paulo majores, violaceo colore, illarum inſtar, ſuperbientes, cujusmodi etiam violacea macula fundum gulæ floris occupat, unde & figuram & colorem habent hi flores peculiarem & ab aliis Bugulis non parum differentem. Florum tubuli oblongi graciles ſunt, villoſi, colore obſoleto, e viridi obſcure purpureo præditi, qui, ubi areſcunt, fuſci fiunt. Ceterum ſeni plerumque ad ſingulos verticillos calyces & flores locantur, & folia verticillis ſubjecta eandem cum reliquis habent figuram. Semina in calycibus latent quaterna, ſatis magna, exteriori parte elevata, interiori utrinque exciſa, hinc obtuſe triquetra, per maturitatem rugoſa, coloris fuſci, quæ ſeparatim ad figuram utrinque appicta ſunt.

Sole in Cancro & Leone verſante floret. Biennis trienniſve planta eſt.

Bugulam Orientalem villoſam, flore inverſo candido, cum oris purpureis *Tourn. Inſt. Rei Herb. Cor. p.* 14. cum præſenti eandem & non niſi pro ejus varietate habeo.

CACALIANTHEMUM FOLIO NERII GLAUCO

T. LIV. F. 62.

CACALIAM inter & Senecionem mediam habent naturam duæ plantæ exoticæ, quarum altera ad Senecionem relata, & Senecio Africanus arboreſcens, folio Ficoidis dicta fuit *C. Commelino Plant. Rar. p.* 40. altera vero nomen generis proprium nondum adepta eſt, quamvis vulgaris ſit & a multis retro annis in multorum hortis colatur. Eæ calyce, florum colore ac ſitu congruunt magis cum Cacalia, floſculorum vero diviſione Senecioni reſpondent. Senecionis vero floſculi in quinque, Cacaliæ in quatuor tantum lacinias dividuntur, & calyx Cacaliæ gracilior eſt, quam Senecionis, inque pauciora multo, quatuor nempe & quinque per vetuſtatem ſegmenta dehiſcit, paucioresque, ac Senecio, floſculos continet, eosque nudos, cum Senecionis quædam ſpecies radiatæ ſint.

At foliis & naſcendi modo differunt hæ duæ plantæ in eo, quod caules ſint craſſi, carnoſo-lignoſi, perennantes, folia ſimplicia & minime inciſa, quodque flores naſcantur in ſurculis a caule diverſis, nudis, ſeu foliis proprie dictis ab imo ad ſummum uſque carentibus. Itaque cum tam facie, quam floribus, ab utroque genere differant, quid obſtat, quo minus novum ex iis genus conſtituamus. Id Cacalianthemum inſcribo, quoniam toti flores Cacaliæ, quam Senecioni, ſimiliores videntur.

Caudicem noſtra hæc ſpecies habet Sedo arboreſcenti ſimilem, carnoſo-lignoſum, craſſum, ita ut quatuor & quinque annorum decurſu brachialem acquirat craſſitudinem, ad bicubitalem vero & tricubitalem altitudinem excreſcat, cortice veſtitum ſubvirente, glabro, niſi ubi folia ſederunt, horum enim veſtigia monſtrant maculæ ſubaſperæ, coloris ex livido fuſci. Paullo ſupra medium in tres, quatuor & quinque caules abit caudex, & hi eadem diviſione ad tertium & quartum uſque gradum procedunt, in quorum extremitatibus folia undique erumpunt in orbem ſparſa, & ex horum centro ad quintum ſextumve ætatis plantæ annum crebri ſub auctumni finem enati nobis ſunt pediculi ramoſi, nudi, ligulis ſaltem aliquot hinc inde adhæ-

rentibus donati,flores in ſummitate ferentes plurimos, binos ternos & plures ſubinde pediculis privatis hærentes, albos, e calyce oblongo gracili, per vetuſtatem in quinque plerumque partes dehiſcente, & floſculis tribus, quatuor & quinque prominulis oblongis, leniter ventriosis, in quinque exiguas lacinias diviſis conſtructos, e quorum medio tubulus farinifer ſurgit ex luteo palleſcens, ſtylum emittens luteum, in duo cornicula revolutum. Floſculorum imo ſemen adhæret oblongum, gracile, cui pappus candidus piloſus innaſcitur, floſculum circumdans. Calyces ex albo virent, floſculi autem candidi ſunt.

Folia lævia ſunt, glauca, fragilia, figura foliorum Nerii, nonnihil anguſtiora in medio, in extremitate aliquanto obtuſiora, venis minime ita crebris & rectis, parallelo ordine ductis, ſed raris & obliquis, iisque ſuperficialibus & minus conſpicuis. Nervus foliorum medius albidus eſt, cetera autem parte folia ex viridi glauca ſunt. Sapor Crithmi.

Figura media & primaria dimidiam circiter magnitudinis naturalis quantitatem obtinet, quæ autem in margine appinguntur, magnitudine ſunt naturali, & folia quidem hic ſeorſum appoſita, ſunt de inferioribus, ſub corona foliorum reliquorum locatis, quæ, quam reliqua, extremitatem habent magis mucronatam, (vid. figuram ſecundam & quartam) cujusmodi ſunt & folia juniora, quæ in ſurculis novis naſcuntur, (vid. figuram tertiam) in qua quædam relicta, pleraque vero depacta ſunt, ut lineæ rhomboidales, quæ a foliis ad folia decurrunt, clarius appareant. Subinde etiam folia in extremitate fiſſa & per margines obiter dentata lataque obſervantur, qualia figura marginalis prima & quinta repræſentat. Figura autem ſexta & ſeptima flores aliquot magnitudine naturali, octava & nona floſculi cum ſtylis, decima ſine ſtylis appicti ſunt.

Car. Cluſius Exot. Libr: 1. *C.* 5. *p.* 6. *&* 7. primus hujus plantæ fecit mentionem, Arboris Lavandulæ folio titulo, cujus deſcriptionem & figuram a Gareto Londino ſibi miſſam refert, ad quem ramus adhuc virens ex India Orientali, ut ipſe fatetur, allatus erat. Verum poſtea Plukenetius aliam huic plantæ tribuit patriam, Canarienſes nempe inſulas, ut ex nomine ejus mox recenſendo patebit. Deſcriptio & figura apud Cluſium mancæ ſunt, nec folia Lavandulæ foliis bene comparantur, nec alia, præter juniora aliquot in faſtigio ramulorum, eaque nimis anguſta exhibentur. Porro caulis perperam cum lineis rhomboidalibus & veluti ſquamoſus pingitur: in junioribus quidem ſurculis ejusmodi lineæ conſpiciuntur, at eæ per reliquum caulem minime producuntur. Quæ Cluſius de hac planta tradidit, ea cum figura ejus in ſuam Hiſtoriam Plantarum intulit *J. Bauhinus Tom. II. P.* 2. *L.* 9. *p.* 265. Novam ejus iconem exhibuit *Plukenetius Phyt. Tab.* 304. *f.* 3. verum Cluſiana non meliorem, immo nec æque bonam: Linariæ ſimilem Arbuſculam Canarienſem, folio longiore carnoſo fragili, ſubtus purpuraſcente, Crithmum reſipiente vocat *Alm. p.* 223. Folia quidem junióra Linariæ, præſertim colore, magis ſunt ſimilia, quam Lavandulæ foliis, at reliqua Nerio magis reſpondent, venis exceptis: ſubtus purpuraſcere nondum obſervavi, nec vera arbor eſt hæc planta, ſed arboris tantum ſpecie naſcitur.

Nuper demum A. 1730. Schedion de hac ſtirpe cum figura edidit J. Th. Klein, cui titulus, An Tithymaloides fruteſcens, foliis Nerii Plum? *Boerh. Ind. Alt. Part. I. p.* 259.

Sunt

F. 62.



Cacalianthemum folio Nerii glauco.

F. 63.



Anteuphorbii flos.

Cacalianthemum (forte) caudice papillari.

Sunt qui volunt, aliam esse hujus speciem, foliis angustioribus & magis glaucis præditam, cujusmodi arbusculas e Canarinis Insulis immediate delatas & ipse vidisse memini, & visa mihi fuit differentia in eo versari, quod illæ spontaneæ & sylvestres, nostræ hortenses & ab hortensibus propagatæ plantæ essent.

CACALIANTHEMUM (FORTE) CAUDICE PAPILLARI T. LV. F. 63.

A multis retro annis, octo & amplius, plantam singularem custodivit Hortus Elthamensis Africanæ originis, in arboream staturam anno 1727. provectam, altitudinis cubitalis, anno vero 1729. sesquicubitalis & anno 1730. bicubitalis erat, caudice imo duas uncias in diametro continente, qui ab imo ad summum usque foliorum vestigia tam pertinaciter retinebat, ut totus creberrimis tuberculis lignosis, papillarum instar extantibus, exasperatus esset, quarum basim linea circumcirca cingit, & totidem, quot sunt processus papillares, areolas efformat tales, quales in Euphorbiorum aliquot caulibus conspiciuntur, verum minus elevatas, sed depressas potius. Id vero mirum, folia tenera & succulenta adeo dura vestigia relinquere. Nempe quotannis folia, prope basim, quæ & ipsa mollis & succulenta est, ab apice pedetentim arefacta decidunt, prout nempe nova succrescunt folia, quod æstate ineunte præcipue contingit, ita inferiora & annosiora sensim decidere solent, ut foliorum aliquot fasciculi in summis tantum caulibus & ramulis relinquantur. Sunt vero folia crassa, fragilia, succo aquoso insipido, Sedi instar, referta, lævia, subglauca, oblonga, subteretia, superne sulco levi, secundum longitudinem decurrente, excavata, inferne vero convexa, ab initio surrecta, per vetustatem vero reflexa & pendula. Folia quædam subinde plane teretia & sulco superne destituta nobis observata sunt.

Difficulter multiplicatur, & nec ramis, nec foliis in terram depactis multiplicari adhuc potuit, licet ipsa planta in Hybernaculo mediocri reposita facile conservetur.

Nascendi modo multum ipsi similitudinis cum Cacalianthemo Nerii folio glauco, ut suspicio sit de eodem esse genere, quo minus autem certo pronuntiemus, faciunt flores, quorum exspectationem hactenus frustrata est peculiaris hæc planta.

Figura nostra dimidiam circiter magnitudinis naturalis portionem habet, folium autem seorsum num. 1. appictum magnitudinem naturalem habet.

Ex Batavia accepimus; Batavis vero ex Promentorio Bonæ Spei allatam suspicamur.

An & quo nomine aliis veniat hæc planta, incompertum nobis est.

An Sedum pyramidale elegantissimum *Boerh. Ind. Alt. p.* 287. *n.* 26 ?

ANTEUPHORBIUM dicta planta, multo magis fuit refractaria, licet enim a sesqui seculo & amplius in Hortis Europæis culta fuerit, & Dodonæi de Purgant. p. 169. & 173. item in Hist. p. 379. relatu primum in horto Jo. Boisoti A. 1570. Bruxellæ creverit, quin & vario studio Elthami alibique ad flores ferendos tractata fuerit, tamen spem elusit, factumque est, ut quibusdam fuerit creditum, nunquam eam in Europa flores adhuc dedisse. Enimvero, quo hæc imprimuntur anno,

&

& fere eodem, quo hæc ſcheda typis exſcribitur, temporis momento, particulam videō rami Dirhamo ex comitatu Gloceſtrienſi a --- Powers, Hortulano Dn. Blaithwaits Londinum miſſam, in qua e pediculo ſimplici brevi pendulus hærebat flos compoſitus nudus, exaridus, e calyce ſquamoſo hiante, in plures, quam vulgaris Cacalianthemi, partes ad pediculum uſque diviſo, & floſculis numeroſioribus, pappo candido immerſis conſtructus, ſeminibus inſidentibus oblongis gracilibus, fuſcis, cujus figuram eadem cum præcedenti Tabula num. 2. & floſculum cum ſemine & pappo ſeorſum num. 3. exhibeo; unde conſtat, Cacalianthemi generi annumerandam eſſe hanc plantam.

CAMARA LAMII ALBI FOLIO, FLORE MISTO T. LVI. F. 64.

Cum habeamus a Marcgravio & Piſone patrium hujus plantæ nomen, civitate Botanica a Plumiero donatum, quid opus eſt novo & male compacto Morobatindi, a Vaillantio in Comm. Acad. Reg. Scient. Ann. 1722. p. 203. conficto nomine. Itaque Camara maneat hoc genus, quod ab aliis, præſertim Viburno, cui vulgo annumeratum fuit, cum Plumiero diſtinguo flore longiore & tubulato, irregulari & veluti bilabiato; cui differentiæ adjicienda eſt alia non contemnenda, nempe quod flos, inſtar Viburni, ſummo calyci & embryoni non inſideat, ſed calycis ſinu inferius contineatur, & embryonem in fundo ſuo foveat, (quod vel membranacea calycis in baccis veſtigia reſidua docere poterant) ſecus ac viſum fuit Plumiero Nov. Gen. p. 32. & ipſi etiam Vaillantio dicto Commentariorum loco. Accedat fructus, cujus ſingulæ baccæ oſſicula continent ex rotunda pyrami data, non ſtriata, bina in totidem cellulis continentia ſemina, vel nucleos parvos ſubrotundos. Addi poteſt, flores, calyces & baccas ſquamulis foliaceis, ſingulis ſingulis reſpondentibus, ab invicem ſeparari.

Hujus ſpeciei plantæ, quam deſcribebam, caudex cinereus erat, digitalis, duos cubitos altus, ſubteres, nodoſus, cortice cinereo nonnihil rimoſo veſtitus, in cujus ſummitate rami plures breves, cinerei & rimoſi, & ex his alii plures naſcebantur dodrantales & pedales, quadrangulares, virentes, piloſi, in quibus folia conjugata ſubaſpera, Lamii vulgaris albi ſimilia, ſuperne læte virentia & nonnihil ſplendentia, (multo tamen minus, quam Camaræ Scorodoniæ folio) ſubtus nonnihil pallidiora, e quorum alis ſuperioribus pediculi gemelli quadrangulares, ſeſqui & biunciales naſcebantur, in quibus flores, in capitulum ab initio foliatum congeſti, ſingulis floribus capitello quadrangulari ex croceo rubente terminatis; qui dein in quatuor lacinias obtuſas irregulari modo explicantur, ſegmento ſuperiori latiuſculo bifido, lateralibus nonnihil minoribus, inferiori propendente rurſus latiore, integro, ſubinde nonnihil ſinuato. Qui flores, quam aliarum ſpecierum majores ſunt, ab initio lutei, dein, ab exterioribus incipiendo, crocei fiunt, & tandem rubelli, poſtremo vero rubrum & roſaceum colorem induunt, ob quam florum inconſtantiam & in eadem umbella diverſitatem flore miſto vocatur. Calyx tenuis in apice in quinque exiles lacinias diviſus, ubi embryones intumeſcunt, eos adhuc involvit



Camara Lamii albi folio, flore misto.

F. 65.

Camara Melissæ folio, flore variabili.



involvit, mox in membranaceam tenuitatem abit, tandem rumpitur & diſparet, & flores tum verſus embryonis extremitatem protruduntur, quod Auctoribus impoſuit, ac ſi flos ſupra fructum naſceretur, cum tamen embryones in florum ſinu vere lateant. Floribus foliola oblonga tenuiter crenata & piloſa in margine, ad baſim ſeu exterius majora, interius minora interponuntur, quam in aliis ſpeciebus longe obſervabiliora. Olet aliarum ſpecierum inſtar, ſed non eſt gravis odor. Auguſto menſe floret. Ad hanc ſpeciem mihi refertur:

Camara alia flore variegato, non ſpinoſa *Plum. Nov. Gen. p.* 32. *& in Delin.* Viburnum Americanum folio Urticæ, floribus ex aureo & roſeo miſtis *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 225. *n.* 9. Camaratinga flore variegato *Vat. Cat. Hort. Vitemb. p.* 22. Morobatindum Meliſſæ folio, flore variegato *Vaill. Comm. Acad. Reg. Scient. A.* 1722. *p.* 203. *n.* 4. Variabiles quidem ſunt flores & de colore in colorem alium tranſeunt, ſed non variegati. Quoniam tamen aliæ ſpecies ſunt, quæ colorem mutant, non alia vero, quæ tot diverſos colores in eadem umbella oſtentat, melius flore miſto dicitur.

CAMARA MELISSÆ FOLIO, FLORE VARIABILI T. LVI. F. 65.

STIPITE erat ſeſqui & bipedali, cinereo, rimoſo, lignoſo, digitum craſſo, ex quadrangulari ſubtereti, ramis ex adverſo, ut in aliis, decuſſatim orientibus, ex tereti quadrangularibus, cinereo etiam cortice veſtitis, culmum craſſis, juniores autem ramuli vireſcunt & quadrangulares ſunt, piloſi, in quibus folia conjugata naſcuntur, hirſuta, ad Meliſſam accedentia, ſed minora, in ramorum vero ſummitatibus in pediculis ex adverſo gemellis flores naſcuntur, Camaræ flore miſto ſimiles & ſimiliter colorem, ſed in minus ſaturatum, mutantes; nempe antequam capitula (quæ quadrangularia etiam ſunt) aperiuntur, ea ex croceo rubeſcunt, dein, ubi explicantur flores, ſimpliciter flavi ſunt, mox in croceum, tandem in puniceum tranſeunt colorem, purpureum vero vel rubrum, illius inſtar, non induunt. Floribus & embryonibus foliola anguſta, minora quam in præcedenti ſpecie, interponuntur. Obſervaſſe mihi videor, non facile ultra unum alterumve florum totalium & pediculorum par in ſummis ramulis provenire, quem defectum ſupplet florum in umbellas ampliores congeſtorum copia. Ceterum flores, illius miſtæ inſtar, diviſi & eadem magnitudine præditi ſunt, ſegmentum tamen inferius in medio plerumque nonnihil diviſum eſt, quod in illa rarius obſervatur.

A vulgari non ſpinoſa & ſpinoſa ſpecie foliis nonnihil minoribus, nec tam rugoſis & hirſutis, florum umbellis paucioribus & pediculis longe brevioribus inſidentibus, floribus denſius congeſtis & majoribus, colore pallidiore & magis viciſſitudinario (illius mox ab initio punicei ſunt & permanent) differt. Porro communis ſpeciei floris labium ſuperius & inferius integrum eſt. Hujusmodi flos ſeorſum differentiæ monſtrandæ ergo inferius appictus eſt.

Auguſto menſe floret & odorem cum reliquis eundem, nempe ad Scorodoniam accedentem, habet.

Vires procul dubio cum reliquis easdem habet: Piſo autem Edit. 1658. L. 4. " C. 30. p. 177. Balnea inde optima, tam ad roborandum interne, loco Meliſſæ " & Menthaſtri, quam mundificandum externe confici docet; multos namque " cutis affectus, ipſamque ſcabiem abolere: Decoctum ſpiſſatum curare ulcera vetera, " & lenire dolores capitis ex frigore ortos, ſi illo abluantur.

An ſit Viburnum Americanum folio Urticæ latiſſimo, floribus aureis in globum congeſtis *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 225. *n.* 8. dubito, quoniam noſtræ folia tam magna non ſunt; flores ceteroquin, ut ſupra demonſtratum, in umbellam, quam in aliis, grandiorem congeſti ſunt.

CAMARA MELISSÆ FOLIO, FLORE FLAVO

T. LVII. F. 66.

HUMILIOR eſt ac reliquæ ſpecies, altitudinem bipedalem plerumque obtinens, caudice digitali tereti, cinereo, lignoſo, ramis ſimiliter cinereis, ſubteretibus, glabris non ſpinoſis (cujuſmodi ſunt & reliquæ, quas hic deſcribo ſpecies) nec piloſis inferiore ſua parte, ſuperiori vero piloſis, verſus extremitatem, item junioribus ramulis, virentibus, quadrangularibus, in quibus folia naſcuntur conjugata hirſuta, ſuperne viridia, inferne pallidiora, Meliſſæ foliis ſuperioribus ſimilia, niſi quod acutius crenata ſint, & in mucronem acutiorem deſinant, in ramis quidem vetuſtioribus, in junioribus vero ampliora ſunt folia & obtuſius crenata, Meliſſæ foliis magis ſimilia, cujuſmodi folium ſeorſum figura marginali prima appictum eſt.

Flores e foliorum alis pediculis brevibus (unciam non facile excedentibus) naſcuntur umbellatim congeſti, colorem nunquam mutantes, nempe & ab initio, & poſtea etiam flavi, quam in prioribus ſpeciebus minores, illarum inſtar bilabiati, ea differentia, quod inferius ſegmentum in medio bifidum & per margines tenuiter crenatum ſit. Foliola floribus & embryonibus interjecta minora, quam in Camara flore miſto, majora vero quam in Camara Scorodoniæ folio, ſunt, quæ, floribus evanidis, ceu in aliis, plerumque decidunt, immo multi etiam embryones decidere ſolent, non pauci tamen ad maturitatem perveniunt, ab initio lucide virentes, ovales, dein rotundiores, puncto nigricante in ſummitate notati, per maturitatem nigricantes, minus, ac Viburni, ſuccoſi, officula continentes ex rotundo pyramidata, non ſtriata, linea tranſverſa notata, in quibus bina in totidem cellulis latent ſemina vel nuclei parvi ſubrotundi.

Figura marginali ſecunda fructus, (in quo baccæ membranarum a floribus & calycibus reſidua veſtigia oſtendunt) tertia & quarta baccæ & officula per tranſverſum ſecta, quinta officula exempta, ſexta nuclei ſeorſum exprimuntur.

Florum & pediculorum plura paria plerumque profert in iiſdem ramulis, Auguſti vero initio floret ſatis libere, & ſatis etiam libere, liberius ſane, quam aliæ ſpecies, fructus apud nos maturat.

Camara eſt nomen Braſilicum, ut conſtat ex Hiſt. Nat. Braſ. Piſ. Edit. Ann. 1648. L. 4. C. 45. & Marcgr. L. 1. C. 4. ubi tres ejus recenſentur ſpecies, a Piſone nempe duæ, flore ex aureo rubri coloris, quarum prima, Camaratinga ipſi

in

P. 66. F. 66. T. LVII.



Camara Meliſſæ folio, flore flavo.

F. 67.

Camara Scorodoniæ folio ſplendente, flore crocco.



in altera Editione dicta, vulgaris non ſpinoſa eſt: altera ipſi dicitur Camara Juba, quæ flore eſt rubro & ſtirpe omnium minima, folio Meliſſæ, ſed paullo minore: tertia flore albo: has omnes flore eſſe exiguo dicit. A Marcgravio vero paullo aliter hæc traduntur: prima nempe flore rubro, primæ Piſonis, ut videtur, eadem: altera ipſi plane ſimilis ad ripam fluvii S.ti Franciſci naſcens, excepto floris colore, qui plane flavus: tertia flore albo, Piſonis flore albo eadem. Præter quas Marcgravius Camaram Ubam ſeorſum recenſet, quam tactu glutinoſam in eximiam altitudinem aſſurgere dicit, caule hirſuto nodoſo, foliis conjugatis hirſutis & ad tactum aſperis, in ambitu ſerratis, Urticæ foliis ſimilibus, inæqualis magnitudinis, floribus in extremitatibus ramorum magnitudine florum Buphthalmi, egregie luteis, novem foliis conſtantibus, medio umbilico magno luteo, ſtaminulis nigris, odoris medii inter Urticam & Mentham, ſemine oblongo nigricante, inſtar Cichorei. Ex quibus conſtat, Camaram Ubam *Marcgravii* diverſam eſſe a Camara Juba *Piſonis*, quæ Camaræ ſpecies, hæc vero planta flore Compoſito videtur. Piſo in Editione altera Anni 1658. L. 4. C. 30. ſibi non conſtat, pro Camara Uba deſcriptionem Marcgravii aſſumens, ſuam vero omittens. Quam editionem cum correctiorem profiteatur, videtur Piſo priorem illam ſpeciem, Camara Juba olim dictam, annihilaſſe.

Camara ad ripam Fluvii S.ti Franciſci, flore flavo *Marcgr L. 1. C. 4.* huic ſpeciei noſtræ, per me licet, eadem habeatur. Sane enim cum non alia flore conſtanter flavo adhuc innotuerit, eo ſecurius huic jungitur, præſertim cum nec deſcriptio, nec figura ejus proſtet apud Marcgravium. Cetera hujus ſpeciei ſynonyma mihi videntur:

Viburnum Ciſti fæminæ ſeu Salviæ foliis mucronatis, Americanum odoratum minus, floribus luteis *Par. Bat. Prodr. p.* 384. Viburnum Americanum Urticæ foliis, floribus luteis *Hort. Beaum. p.* 42. Camaratinga vel Pſeudo-Viburnum Americanum flore luteo *Heuch. Ind. Hort. Vit. p.* 29. Camaratinga flore luteo *Vat. Cat. Hort. Vit. p.* 22. Morobatindum Meliſſæ folio, floribus luteis *Vaill. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1722. *p.* 203. *n.* 5.

CAMARA SCORODONIÆ FOLIO SPLENDENTE, FLORE CROCEO T. LVII. F. 67.

QUADRIENNALES & quinquennales hujus in Horto Elthamenſi ſunt fruticuli, altitudine cubitali, ſtipite digitum minorem craſſo, cortice cinereo veſtito, obtuſe quadrangulo, in ramos quadrangulares conjugatos decuſſatim ſibi reſpondentes diviſo, in quibus & in ramulis inde prodeuntibus folia conjugata decuſſatim, ceu in aliis, poſita naſcuntur, Scorodoniæ figura & odore, per ambitum crenata, aſpera, venis obliquis & multis inde prodeuntibus tranſverſis exarata, & quamvis tam crebris venis exarata ſint, ſuperficiem tamen ſuperiorem habent ſplendentem, prona parte ſplendore carent, & hoc ſplendore & quod folia minus, ac aliarum ſpecierum, aſpera ſint, a ceteris ſpeciebus facile diſtinguitur hæc ſpecies. Color foliis ſuperne eſt læte virens, inferne nonnihil pallidior.

Flores

Flores in ſummis ramulis in pediculis conjugati naſcuntur plures crocei, umbellatim digeſti, ex oblongo tubulo gracili repente ampliati & veluti bilabiati, ſegmento ſuperiori, ut in ceteris, interiorem umbellæ partem ſpectante, latiuſculo bifido, lateralibus anguſtioribus, inferiori latiore integro. Stamina, ceu in aliis ſpeciebus, breviſſima e medio florum tubulo egrediuntur & apices parvos gerunt.

In florum fundo embryo latet rotundus, ſtylo ſimplici terminatus. Calyx exiguus monophyllos, in quinque minutas crenas diviſus, florem ſinu ſuo continet & embryonem. Hic figura marginali prima, ſecunda & tertia cum flore & foliolo appoſito, quarta flos extractus, quinta embryo & ſtylus loco Tabulæ inferiori ſculpta ſunt. Planta ſpinoſa non eſt, ad ramulos tamen ſuperiores quosdam pilos rigidos breves habet & inde aſperi fiunt ramuli. Obſervo tamen ſpinas quasdam breves & obtuſas in ſpecimine hujus ſpeciei ſylveſtri.

Sponte autem naſcitur in Bahamenſibus Inſulis, unde ſemina delata & plantæ noſtræ ex his nata ſunt. Julio floret.

CAMPANULA ESCULENTÆ FACIE, RAMIS ET FLORIBUS PATULIS T. LVIII. F. 68.

NON memini quenquam Botanicorum advertiſſe differentiam hujus Campanulæ, niſi forte ſit, Rapuntium flore purpureo *Merr. Pin.* Radix ei eſt tenuis fibroſa, folia & caules hiſpidiora, & flores majores, magisque, quam vulgaris Campanulæ eſculentæ, patuli, coloris purpurei ſaturatioris, cum in illa ad cæruleum magis vergat florum color. Sed præcipua & magis obſervabilis, qua a vulgari diſtinguitur, nota eſt, quod tum flores, tum rami magis aperti ſparſique ſint, quam differentiam in Horto Elthamenſi juxta illam ſata, conſtanter obſervavit.

Caulibus autem hæc ſpecies aſſurgit pedalibus & cubitalibus, modo ſolitariis, modo pluribus ex eadem radice, vel & ad caulis primarii baſim enaſcentibus, qui quadrantali circiter a radice diſtantia in plures ramos ſucceſſiva ſerie brachiantur, triangulos, cum ipſi caules quadranguli obſerventur, minutis ſpinis, ceu denticulis, ad angulos aſperati, quos folia ad radicem in orbem diſpoſita cingunt, oblonga, obtuſe crenata, hirſuta, qualia & ſunt quæ in caulibus locantur, ſed magis acuminata, nec pediculis donata, ſed lata baſi caulibus appoſita, non cingentia ipſum caulem ramoſque.

Rami patuli ſunt & cum caulibus obtuſiores multo, quam eſculenta ſpecies, angulos faciunt, (in qua ramuli ſurrecti & in ſpicam veluti digeſti cernuntur,) quorum faſtigiis flores inſident majuſculi patuli, coloris purpurei, quinque ſecundum longitudinem ſegmentorum ſtriis aut lineis ſaturatioribus decurrentibus præditi, fundo florum albicante. Stylus, ut in vulgari, in tria cornicula revoluta finditur, ad cujus baſim fundo floris appreſſi hærent apices oblongi graciles, breviſſimis & vix conſpicuis ſtaminibus donati, coloris ab initio ſordide ex violaceo virentis, dein e luteolo pallentis. Floris fundum araneoſa quædam filamenta occupant, e lateribus ejus undique ſtylum verſus producta, ceu & in vulgari obſervatur, ſi curioſius inſpiciantur flores. Vaſcula & ſemina vulgari ſimilia.

Julio



Campanula esculentæ facie, ramis & flore patulis.

F. 69.



Cannacorus glaucophyllos, ampliore flore, Iridis palustris facie.

Julio & Auguſto menſibus floret. Tenera eſt planta, & ſimul ac decerpitur, tum capitula, tum flores flacceſcunt & pendent, quod & in ramulis quibusdam figuræ exprimitur. Ad latus figuræ planta junior exhibetur, cui folia minora ſunt & rotundiora. Biennis eſt planta.

Sponte naſcentem reperi inter dumeta collis cujusdam ſylvoſi prope Worceſtriam (in a Wood called *Elberry Hill*, about a Mile from *Worceſter)* itemque prope *Biſhops Caſtle* in agro Salopienſi. Merretus Rapuntium ſuum flore purpureo prope *Effaton* (lege *Adforton)* milliari a *Wigmore* Herefordiæ vico naſci tradit, quo in loco Campanulam hanc noſtram provenire mihi retulit Littleton Brown A. M. ut non videatur dubium, quin eandem nobiſcum Merretus intelligat plantam.

CANNACORUS GLAUCOPHYLLOS, AMPLIORE FLORE, IRIDIS PALUSTRIS FACIE T. LIX. F. 69.

SESQUI & bicubitali naſcitur altitudine, caule pollicari arundinaceo, decem duodecimque foliis, vaginæ inſtar eum palmari & ſeſquipalmari, antequam abſcedunt, ſpatio cingentibus veſtito, imis anguſtioribus, (cujusmodi folium ſeorſum figura prima appictum eſt) mediis & ſuperioribus latioribus & longioribus, glabris, glaucis, venis crebris parallelis, oblique a nervo medio procurrentibus, tenuibus & inferiori magis, quam ſuperiori parte conſpicuis, exaratis.

Flores æſtivis menſibus in ſummis caulibus naſcuntur plures, (ſex, ſeptem & octo) eleganti pallidiore flavo colore conſpicui, nullis maculis prædıti, quam ceterarum adhuc notarum ſpecierum, longe ampliores, Iridis paluſtris luteæ *Tabern.* ſpecie & colore, monopetali, irregulares in quinque præcipua ſegmenta petaliformia diviſi, duobus inferioribus repandis, tribus ſuperioribus erectis, quorum duo latiora ſunt, quam inferiora, & obtuſiora, tertium vero utrisque anguſtius eſt. Obſervandum autem eſt, ex alterutrius petali vel ſegmenti potius interioris margine apicem naſci oblongum, farinam obſolete flavam fundentem, & alii cuidam petaliformi ligulæ craſſiori, quæ & ſtyli & ſexti petali locum implet, communicantem, quam ſeorſum deſignatam vide figura ſecunda.

Vaſcula (figura tertia) echinata, obtuſe triquetra ſunt, vulgaris ſpeciei ſimilia, ſed ampliora & longiora, echinis mitioribus obſita, qui echini per maturitatem laminatim abſcedebant, ſecus ac in reliquis ſpeciebus, de quo tamen, an naturaliter ita fieret, & non Caldarii, in quo repoſita erat planta, effectus eſſet, dubito, quoniam, ſi bene memini, fructus e Carolina, ubi ſponte naſcitur, allati, echinis ſuis adhuc inſtructi erant.

Folia, poſtquam a caule abſcedunt, pediculos, quam aliæ ſpecies, longiores habent, (quod ob eorum longitudinem in figura, quæ ceteroquin magnitudine naturali repræſentat plantam, exprimi nequivit) & licet æque lata ſint, ac Cannacori vulgaris & Cannacori flore luteo punctato folia, longiora tamen ſunt & minus obtuſa, quam harum ſpecierum, latiora vero quam Cannacori anguſtifolii, flore flaveſcente *Inſt. Rei Herb.* folia, a qua præterea ſpecie & reliquis, floribus, ut ſupra demonſtratum, amplioribus diſtinguitur.

CAPSICUM FRUCTU CONICO ALBICANTE, PER MATURITATEM MINIATO T. LX. F. 70.

CUBITALI ut plurimum eſt altitudine, caule digitum minorem craſſo, ex tereti nonnihil anguloſo, obſcure virente, ſubhirſuto, plures ab imo ad ſummum usque ramos emittente, quorum faſtigio, præſertim in ſuperioribus ramis, plures juxta ſe orientes naſcuntur flores, e viridi albicantes, apicibus prædiți viridibus & ſtylo tenui candido ſimplici; quibus præteritis fructus ſubnaſcuntur oblongi, ad baſim latiores, verſus extremitatem anguſtiores, unciam & ſeſquiunciam longi, digitum & pollicem craſſi, recti, ſubinde incurvati & nonnihil contorti, ſulcis & lacunis ſuperficialibus, aliarum ſpecierum inſtar, hinc inde exarati, ab initio, & diu etiam poſtea albicantes, tenui & valde diluta flavedine tincti, ceræ candidæ colore & ſplendore, dein, ubi ad maturitatem accedunt, ſubflavi fiunt, & tandem ad plenam maturitatem vivide miniatum colorem induunt, in duo loculamenta (figura marginali prima) ſemina ſubrotunda compreſſa (figura ſecunda) continentia, diviſi.

Folia, licet tenui hirſutie obſita ſint, glabra tamen tangenti apparent. Ceterum ea, quam in aliis ſpeciebus, ampliora ſunt.

Annua eſt planta & tenera. Æſtate, calore nempe dominante, fructus erecti ſtant, ſub auctumnum plerumque nutant & non raro etiam pendent.

Ex Barbadenſi inſula ſemina Capſici albi nomine delata ſunt, quoniam nempe ab initio & diu etiam poſtea, ad plenam fere maturitatem usque, fructus albi ſunt, cum in ceteris hactenus notis ſpeciebus ii vireſcant & ex viridi in rubrum, eumque profundiorem, ſanguineum nempe, colorem tranſeant.

CARDAMINE PETRÆA CAMBRICA, NASTURTII FACIE T. LXI. F. 71.

EX floris figura & ſiliquæ ſtructura Cardamines ſpecies habenda eſt planta, quæ vulgo in Anglia Naſturtii petræi *Johnſoni* nomine nota eſt. Johnſonus enim, ut patet ex Mercurii Botanici Parte altera, ſive Plantarum gratia ſuſcepti Itineris in Cambriam Deſcriptione p. 8. hanc plantam primus notam fecit, an vero pro nova agnoverit ſpecie, vel pro Naſturtio petræo *Tab. & Ger.* non habuerit, de eo merito dubitatur. Sane cum illius duobus tantum verbis meminerit, vero videtur ſimile, pro vulgari Naſturtio petræo eum eam habuiſſe. Indefeſſus autem plantarum & Antiquitatum veteris Britanniæ indagator Edward Lhuyd pro diſtincta agnoviſſe videtur ſpecie, locaque natalia monſtravit, publicante Rajo Synopſis Stirp. Britann. Edit. I. p. 117. n. 4. II. p. 174. n. 4. III. p. 300. n. 6. Hiſt. Plant. Tom. III p. 413. n. 3.

Radix huic plantæ ſatis longa, parum fibroſa eſt, ex qua cauliculi modo ſingulares, modo plures enaſcuntur, ab initio ſurrecti, dein reclinati & per humum ſparſi, nunc indiviſi, nunc in ramulos aliquot abeuntes, graciles, glabri, teretes, quibus folia adnaſcuntur alterna, ſubglauca, Polygono ſimilia, ſubinde in lacinias aliquot diviſa, ad baſim vero plura in orbem ſparſa ſunt, ſubhirſuta, pinnata, Burſæ paſtoris foliis ſimilia, niſi quod pinnæ non æque in lacinias diviſæ ſint. Ceterum



Capsicum fructu conico albicante, per maturitatem miniato.



Cardamine petræa Cambrica, Naſturtii facie.

terum nunc profundius & in anguſtiora ſegmenta dividuntur, nunc minus profunde & in latiora ſegmenta ſecantur folia hæc. Plantæ juniores folia habent parva, parum aut non ſinuata, cujusmodi figuræ minores monſtrant.

Flores in ſummis ramulis naſcuntur majuſculi, Cardamineformes, albi, cum tantilla violacea mixtura in medio, e quatuor petalis latiuſculis, ſtriis aliquot notatis, conflati, e quibus ſtamina vix prominent, apicibus e luteo vireſcentibus donata. Siliquæ graciles ſemunciam longæ ſunt, ab initio teretes, per maturitatem compreſſæ, quæ a ſummitate primum,dein non raro etiam ab imo dehiſcunt, valvis parum revolutis, in quibus utrinque ſemina aliquot continentur ex rotundo compreſſa, luteola, quæ ſeorſum inter ramulos cum ſiliquis dehiſcentibus num. 1. & 2. appicta ſunt. Ex quibus conſtat non Naſturtii, ſed Cardamines ſpeciem eſſe hanc plantam.

Perennis eſt planta, ut docent ſurculi e radice prodeuntes multis reſtibilibus capillamentis, quæ priorum annorum folia fuerunt, cincti, quin præcedentis anni cauliculi emortui ſubinde in virente planta obſervantur. Sole e Geminis in Cancrum tranſeunte floret, in Leone verſante ſemina maturat. Sponte naſcitur in excelſis rupibus Arvoniæ & Merviniæ, v. gr. *Moelyn Rhudh* juxta *Pheſtiniog*, *y Glogwyn du yyr Ardhu* & *Glogwyn y Garnedh*, prope *Lhanberis*, & his locis propria videtur hæc planta, neque enim in aliis regionibus, quantum conſtat, adhuc obſervata eſt. Hortus Elthamenſis benevolæ communicationi D. Richardſon debet hanc plantam.

Equidem *Plukenetius Phytogr. Tab.* 101. *f.* 3. & *Petiverus Herb. Brit. Tab.* 50. *f.* 3. hujus plantæ figuras dederunt, ſed valde quam imperfectas, deſcriptionem vero nemo.

CASSIA FOETIDA, FOLIIS SENNÆ ITALICÆ
T. LXII. F. 72.

QUANTUM ex ſiliquis junioribus potui dignoſcere, Caſſiæ potius, quam Sennæ, quam ſtatura humiliore herbacea & foliis refert, ſpecies eſt hæc planta. A pedali ea ad bipedalem nata eſt altitudinem, caulibus ex eadem radice ſolitariis rectis, teretibus, virentibus, glabris, digiti minoris verſus baſim craſſitie, in quibus mox ab imo plures rami oblique in latera vergentes naſcuntur, dodrantales & pedales, teretes, virentes, glabri, quorum alis folia adnaſcuntur inferius majora, ſuperius minora, Sennæ Italicæ ſimilia, nempe baſim verſus contracta, verſus extremitatem ampliata, obtuſa, mucrone in medio perbrevi prominente, ſed non æque ac illius glabra & colore ſaturatiore viridi prædita, magis mollia, villo nempe undique obſita, ſed adeo tenui, ut tactu magis, quam viſu, percipi queat. Sena plerumque in ſingulis pediculis ex adverſo naſcuntur, prona parte pallidiora, ex glauco albicantia, ſupina ex glauco ſaturatim viridia. Ad foliorum pediculorum baſim ligula tenuis utrinque appoſita eſt. Tam folia, quam caules odorem emittunt gravem, qui præcipue percipitur, ſi a prætereuntibus, atmoſphæram plantæ moventibus, attingatur.

Summi

Summi caules & ramuli tenui etiam villo obſiti ſunt, in quibus e foliorum minorum alis flores aliquot naſcuntur, parvi, nutantes, antequam aperiantur albicantes, dein pallide & obſoletius flaveſcentes, (qui forte tempore magis opportuno, nam ſero nimis nobiſcum floruit, colorem ſaturatiorem acquirunt) e quinque petalis pæne æqualibus, ſed inæqualiter more aliarum diſpoſitis conflati, medio ſuperiore plerumque bifido, venis aliquot, ejuſdem cum flore coloris ſtriati, in quibus ſtamina & apices hærent pro petalorum numero duplicata, diverſa ab invicem magnitudine & figura prædita ; tria enim inferiora longiora ſunt & apices incurvos longiores gerunt, quatuor media, (duo utrinque) breviora apices rectiores breviores geſtant, tria ſuperiora nana ſunt & perpuſilla, in bracteolas, Sennarum inſtar, deſinentia, farina deſtituta, cum reliqua ſtamina media & inferiora apices farinoſos gerant. Calyces e quinque foliolis æqualibus virentibus conſtant. Embryones falcatam figuram obtinent, qui mox poſt flores, nam, ut ſupra dictum, ſero nimis, nempe Novembri menſe in Caldario floruit, deciderunt, quantum autem per lentem vitream potui perſpicere, ſiliquæ illæ tenellæ per medium diſſectæ (vid. figura marginalis) longe frequentiores cellulas, quam Sennæ, habebant, in quibus ſemina minuta latebant, tum ſubrotunda.

Annua eſt in noſtris oris planta, quæ nata fuit e ſeminibus circa Havanam in Cuba inſula lectis.

Caſſia fœtida, foliis Sennæ *Plum. Plant. Amer. Cat. p.* 18. huic tam apte reſpondet, ut eandam credam plantam. Deſideratur figura ejus inter Delineationes Plumierianas, quæ ſi adeſſet, certius pronuntiare poſſem. Deſideratur etiam figura Caſſiæ fœtidæ foliis obtuſis *Plum. Cat. p.* 18. unde non minus conſtat, eademne, an diverſa ſit. Obſervandum porro, an & quomodo a noſtro differat, Caſſia Americana fœtida, foliis amplioribus villoſis *Inſt. Rei. Herb. p.* 619. quam præter duas ſuperiores Plumieri ſeorſum recenſet Tournefortius; nomen ſane noſtram bene deſignat. Deeſt & figura & deſcriptio ejus. Senna Occidentalis, odore Opii minus viroſo, foliis glabris obtuſis majoribus *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 58. *n.* 7. noſtræ eadem videtur, cum ſpecimen Phytophylacii Sherardini bene ſatis reſpondeat. Folia in planta virente mollia ſunt & lanugine tam delicata obducta, ut hirſuta inde non fiant & glabra videri queant; in ſicca quidem glabra apparent.

Si ſiliquas maturaſſet noſtra planta, poſſem determinare, an eadem eſſet cum Senna minore herbacea, plerumque hexaphylla, folio obtuſo *Sloan. Cat. Jam. p.* 148. *Hiſt. Tom. II. p.* 47. *Tab.* 180. *fig.* 5. ubi reliqua hujus plantæ ſynonyma enumerantur, quæ noſtræ non male quadrant, & fit, ut credam diverſam non eſſe.

CASSIA SILIQUA QUADRANGULARI

T. LXIII. F. 73.

QUADRANTALI & pedali ab initio erat altitudine, dein ſub æſtatis finem bipedalem acquiſivit ſtaturam, plures ab imo ramulos in latera tendentes emittens, in quibus folia eadem cum præcedentis foliis figura & fere magnitudine prædita obſervantur, ſena etiam in ſingulis pediculis, ſed ſaturatiore ex viridi glauco

F. 72.



Cassia foetida, foliis Sennæ Italicæ.



Cassia siliqua quadrangulari.

glauco colore & ſuperficie prædita magis lævi, tenui & vix conſpicua lanugine obſita, lanugine in marginibus nulla obſervabili.

Stamina illi eadem habet & flores ſimiles, ſed luteo vividiore colore tinctos: embryones porro præcedenti ſimiles, an vero ſiliquæ provectiores conveniant, cum prior eas non perfecerit, dicere nequeo. Hujus autem ſiliquæ ex quadrangulari compreſſæ ſunt, longæ & graciles, ab initio virentes, ſeminibus oblique tranſparentibus, per maturitatem ex fuſco luteſcentes, ſeminibus ab extra recta apparentibus, iis vero diſſectis (vid. valva in margine figura prima appicta) oblique in ſuis cellulis obliquis locatis, nulla pulpa obvolutis, glabris, fuſcis, ſubteretibus, ad margines exſtantibus & velut alatis, parte ſuperiori & inferiori oblique veluti reſectis: (vid. figura marginalis ſecunda.) Quas ſiliquas præcociter & libere profert, nam eodem vere ſata Majo ſtatim & Junio floruit & ſiliquas Auguſto menſe ad maturitatem perduxit, cum illa eodem tempore ſata ne floris quidem rudimenta monſtraret.

Caules ad baſim tenuiores ſunt, quam verſus ſuperiorem partem, læves & non ſtriati, in ſuperiori vero parte craſſiores, ſtriati & ſubhirſuti: ſimiliter rami inferius teretes, ſuperius ſtriati ſunt. Folia, ſed præcipue caules & rami contrectati fœtent, minus tamen, quam illius, graveolent. Annua eſt planta.

Nata fuit e ſeminibus Bengalenſibus a P. Collinſon communicatis.

Eſt Senna Orientalis hexaphylla: Tala Zeylonenſibus *Herm. Hort. Lugd. B. p.* 557. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 1743. *n.* 3. ubi ex Horto L. Bat. deſcribitur: Galega Indica minor hexaphyllos Ammanni *Raj. Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 911. *n.* 2. Senna Orientalis hexaphylla, ſiliquis longis incurvis, Tora Indorum vulgo & Tachara Malabarorum *Pluk. Alm. p.* 342. *& Mant. p.* 170.

Caſſiam humilem, ſiliquis Fœnugræci *Plum. Cat. p.* 18. noſtræ eandem dicerem, ni Plumierus in Delineationibus ſuis ſiliquas pingeret protuberantes nodoſas.

Ceterum obſervari velim, me Tournefortium hic ſequi, & a Caſſiæ genere non excludere eas ſpecies, quarum ſiliquæ pulpa deſtituuntur.

CEREUS SCOLOPENDRII FOLIO BRACHIATO

T. LXIV. F. 74.

CEREI, a funalis tedæ, ut exiſtimat Hermannus in Par. Bat: p. 112. dicti, denominatio reſpondet quidem plerisque adhuc notis ſpeciebus, at non huic, quam ſub manibus habemus, plantæ. Sicut enim illæ ex meris caulibus, nunc ſimplicibus, nunc ramoſis, longe protenſis & eadem pæne ubique craſſitudine, tedæ aut Cerei inſtar, ſic hæc non niſi ex foliis, aliis aliis ſubnaſcentibus, conſtat. Hinc factum eſt, ut Opuntiæ vulgo dictæ adſcripta fuerit ſpecies, a cujus tamen genere alienam eſſe, flores, quos nobiſcum tulit, evincunt: Nam hi Cerei inſtar tubo prælongo conſtant, noctu explicantur, interdiu clauſi ſunt, nec una vice plus explicantur, odorem etiam ſpirant Cerei polygoni ſerpentis, cujus flores ſpecioſos quotannis fere in Caldariis Elthamenſibus videre & admirari licuit, ſimilem, Chymicos Benzoini flores referentem, tenuiorem licet ſeu debiliorem; quamvis non exiſtimem odorem & florum tempus de generis charactere eſſe, tamen cum figura de ejus identitate teſtantur.

Folia autem hujus plantæ plana ſunt, viridia, rigida, avenia, parte tam antica, quam poſtica ſibi ſimilia, nervo utrinque tantundem protuberante firmata; qui nervus, qua folia erumpunt, nonnihil incraſſeſcit, in imo autem folio, magis adhuc craſſus fit, & caudicis, brevioris licet, naturam induit. Colore eſt hac parte ex cinereo ſubfuſco, ſublignoſus, e quo unciali & ſeſcunciali (in noſtra planta) a radice diſtantia folium primarium cubitale, & ex hoc alia ſecundaria, palmaria, dodrantalia & pedalia, duum unciarum latitudine enaſcuntur & ſubnaſcuntur folia, nempe ex ipſis foliorum ſinubus, qui a proceſſibus oblongis oblique ſe reſpicientibus utrinque formantur, & ex his porro ſinubus Auguſto & Septembri menſibus gemmæ naſcuntur ab initio ſquamoſæ & velut echinatæ, (molles tamen) quæ dein (embryones enim ſunt) in fructus abeunt oblongos ſulcatos, ſaturanter virentes & his tenellis fructibus pediculi innaſcuntur ſtriati, ab initio breviores, rectiores & virentes, dein longiores (ad pedis uſque longitudinem excreſcentes) incurvi, e viridi albicantes, hinc inde ligulis aliquot prædiți, capitulo terminati ſquamoſo, quod dein in florem explicatur ex herbaceo albicantem, in plura (novendecim & viginti) ſegmenta oblonga, interiora breviora, anguſtiora & albidiora, exteriora longiora, latiora & viridiora ad pediculum usque, qui non niſi floris tubus eſt, diviſum, plurimis gaudentem ſtaminibus, ad baſim ſegmentorum ex ipſo tubo orientibus, apicibus terminatis oblongis, obſolete fuſcis, quibus continetur ſtylus multifidus, in decem nempe undecimve teretia ſegmenta in extremitate diviſus, piſtillo inſidens longo & ſatis craſſo, candido, totam floris tubam ad fructum usque pervadenti, quod e flore extractum ſeorſum inter folia deſignatum eſt.

Fructum, referente *Rajo Hiſt. Plant. Tom. III. Dendr. p.* 21. fert ex ſummi-
" tate folii, per maturitatem dilute puniceum, octo angulis extantibus prædítum,
" in ſummo umbilicatum, & ad coſtarum extrema ſumma ſubinde corniculis ſeu
" villis craſſis protuberantibus prædítum, intus multis granulis nigris rotundis, in
" pulpa molli exalbida dulci, refertum." Verum obſervandum eſt, non tantum ex ſummis foliis, ſed & eorum ſinubus fructus naſci, nec eos umbilicatos, ſed nudos eſſe, capitulo nempe calvo, nullis in eo remanentis floris veſtigiis; calyx enim, qui proprie fructus umbilicatos facit, huic generi deeſt, niſi quis ſquamas aut ligulas floris tubo adnaſcentes pro tali habeat, quæ in hac ſpecie perpaucæ, in aliis vero Cereis frequentiores ſunt. Ceterum anguli fructus inæquales ſunt & hinc inde protuberant ſeu in capitula interrupta deſinunt, in quibus nulla cornicula ſeu villum, cujusmodi in Tunis, deprehendere potui. Fructus hi ab initio nobiſcum virides erant & ſolidi, per maturitatem tandem purpurei & pulpoſi facti ſunt.

Dicitur *Rajo* dicto loco, Ficus ſeu Opuntia non ſpinoſa, Scolopendriæ folio ſinuato. In *Par. Bat. Pr. Add.* Epiphyllum Americanum nominatur & in *Cat. ad Calc. Par. Bat.* Ficus Indica Scolopendriæ folio, epiphyllitis; cujus ad juniorem plantam facta figura eſt non inelegans in Delineationibus Paradiſi Batavi ineditis. Hujus porro loci eſt, Opuntiæ forte affinis Surinamenſis, e foliorum crenis folia nova producens *Cat. Hort. Beaum.* Ficus Scolopendriæ folio *Pein. Hort. Bos.* 1699. Opuntia folio plano glabro Scolopendriæ *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 82. *n.* 11. & Ficus Indica Scolopendriæ folio *Till. Cat. Hort. Pis.*

Non

P. 74. F. 74. T. LXIV.



Cereus Scolopendrii folio brachiato.



Non exiſtimo autem huc referri poſſe, Nopalxoch-cuez Altiuiqizi *Hiſt. Mex. p.* 392. & 457. quoniam planta cum foliis ſingularibus, alia non emittentibus pingitur, & quoniam florum pediculi aut tubi breviores, craſſiores & multo magis ſquamoſi, florum autem ſegmenta latiora repræſentantur. Porro flores obſcure rubri dicuntur. *Plukenetius*, ut *Phytographiam* ſuam ſpecioſis farciret figuris, *Tab.* 247. *n.* 5. figuram ad Hernandezianam fieri curavit, & plantæ nomen dedit ſequens: Phyllanthos Americana ſinuoſis foliis, longis, craſſis & carnoſis, Opuntiæ in modum florigera *Alm. p.* 296. ubi de Chryſanthemorum genere eſſe inſolenter opinatur. Sed patet, nec flores & forte nec ipſam plantam, quæ carnoſa folia non habet, ipſi viſam.

Verum enim vero ſuſpicari licet, Conambayam Braſilienſium *Marcgr. Hiſt. Plant. Bras. Libr. II. C.* 14. *p.* 78. 79. hujus loci eſſe, quoniam folia ex foliis enaſcuntur. Ceteroquin figura eſt ad minorem molem redacta, cujus proceſſus directe ex contrario picti ſunt. Sicut Plukenetius Hernandezianam, ſic *Petiverus* Marcgravianam figuram ſuam fecit & in *Gazophylacium* ſuum *Tab.* 59. *n.* 12. intulit, titulo: Conambaya Braſilienſis frutex, folio craſſo dentato. Sed dentata folia non ſunt. Si vero, ut in Hiſtoria Braſilienſi refertur, verus frutex ſit hæc planta, dubia res fit, cum noſtra minime fruticeſcat. Ceteroquin deſcriptio ad rem dilucidandam parum lucis affert.

Tournefortius Cereos Melocacto annumeravit, a quo modo naſcendi, floribus & fructibus in caput tuberoſum non congeſtis, fructu anguloſo differunt. A Tunis etiam fructu anguloſo, floribus vero tubuloſis differunt Cerei: adde modum naſcendi & faciem in plerisque Cereis longe a Tunis diverſam.

CERINTHE MARITIMA PROCUMBENS, FOLIIS ET FLORIBUS CÆRULEIS T. LXV. F. 75.

INTER omnes plantas, quæ in Britannia ſponte naſcuntur, venuſtatis palma, quoad folia præſertim primora, huic, me quidem judice, tribuenda eſt. Folia autem ab initio profert Cynogloſſæ junioris figura, ſed breviora, ſurrecta, ſolida, lævia & æquabilia, nullis vel leviſſimis venis interrupta, coloris in ſe viridis, ſed ob nebulam cæruleam, quæ iis tam craſſe inducta eſt, ut digitis abſtergi queat, elegantiſſime glauca & cæruleſcentia. Sequentibus annis, ſecundo nempe & tertio a ſatione, rami enaſcuntur in terram, vel ſilices potius, his enim innaſcitur, circumquaque ſparſi, dodrantales, pedales & ſeſquipedales, modice anguloſi, foliis amicti a ſuperioribus diverſis, minus latis longisque, ex brevi nempe pediculo in latitudinem uncialem expanſis, hinc rurſus contractis & in obtuſum mucronem terminatis, longitudine unciali & ſeſquiunciali, quæ quo ſummitati ramorum magis appropinquant, eo ſenſim minora fiunt, & breviores pediculos habere obſervantur. Parte ſuperiore, ſi accurate inſpiciantur, poris (imperviis, nec ullo colore diſtinctis) notata apparent. Quæ ante caulium eruptionem naſcuntur, ſurrecta ſunt, ampliora, magis mucronata, nunc plana, nunc nonnihil concava, pediculis oblongis carinatis inſidentia.

Ceterum

Ceterum caules in ramulos abeunt modo duos, modo tres, quibus totidem, quot ſunt rami, folia apponuntur, reliqua autem folia omnia alterna ſerie enaſcuntur. Flores nullo certo ordine, modo e foliorum alis, modo ex adverſa parte, modo ex intermedio foliorum ſpatio prodeunt parvi, nutantes, vel leniter ſurrecti, ab initio purpuraſcentes, dein cærulei, figura inter Cerinthes & Bugloſſæ flores ambigentes, tubulo & ſitu Cerinthes, ſegmentis Bugloſſæ flores æmulantes, quibus ſemina ſubnaſcuntur quatuor, preſſe juncta, lævia, veſiculoſa, Capitis viperini figura, in quorum cavitatibus ſingulis, tanquam in vaſculo laxiore, ſinguli continentur nuclei oblongi, graciles. Semina hæc, vel vaſcula ſemper pendent, calyce quinquefolio incluſa. Tam flores, quam folia ſaporem habent ſubdulcem, Borragini ſimilem. Floribus & ſeminibus peractis perit planta; triennis vero eſt: bima cum radice, & ex altera figuræ primariæ parte flores ſeparatim incifi ſunt.

Tantæ venuſtatis planta exſiccatione omnem amittit gratiam; nam color ejus in rubiginoſum fuſcumque plane mutatur, ſive lente, ſive feſtinanter inter chartas, ſiccas licet & calidas, ſive in aere libero exſiccetur. Tamen ſi per noctem in aqua dulci maceretur, partem ſalis marini, colorem vitiantis, dimittit & elegantius ſiccatur, quod & in aliis maritimis plantis, hac methodo tractatis, ſuccedit.

Sole Leonem percurrente floret, eodem in Libra verſante ſemina maturat. Naſcitur in litoribus maritimis, quæ non niſi ex lapidibus æſtu maris congeſtis conſtant, & viſa mihi in iſtiuſmodi litore in Arvonia, verſus *Clynop*, tribus circiter milliaribus a *Llyſni* flumine diſtante, ſatis copioſe, ubi nullæ aliæ plantæ maritimæ naſcebantur, inter meros ſilices & lapides minores, repercuſſione undarum maris lævigatos, intra quos radices ſuas ſat profunde demittit, e fuſco nigras, parum ſaltem verſus extremitates ramoſas. Inde viviradices mecum in Hortum Elthamenſem detuli, ubi etiamnum viget, ex ſeminibus deciduis facile renaſcens, quæ alias curioſe collecta & repoſita, hinc ſata vix germinare ſolent. Alia ejus loca natalia, vide in Synopſi Stirp. Brit. Raji, & in Hiſt. ejus Tom. I. p. 500. Notandum tamen, non amplius naſci prope *Trefarthen* in Mona Inſula, ubi toto litore fruſtra eam quæſivi, ob litus forte mutatum. An in aliis extra Britanniam locis naſcatur, non conſtat. Equidem a Muntingio de *Cult. Plant. p.* 352. & apud *Ammannum* in *Supell. Bot.* memoratur Cerinthe flore cæruleo, ſed cum nullam loci faciant mentionem, dubium eſt, utrum varietatem aliquam, vel an hanc intellexerint ſpeciem.

Alii ad Echium, alii ad Bugloſſum, alii ad Cynogloſſum retulerunt hanc plantam, ut ex ſynonymis jam recenſendis conſtabit, verum ſi cuiquam ex generibus veteribus accenſenda eſt, ad Cerinthes ſane genus referri debet; habitu enim & floribus proxime accedit, ut & fructu, quamvis ſeminibus ſejunctis & capſulis mollibus ſimplicibus nonnihil differat.

Non eſt dubium, quin hæc planta ſit, Bugloſſum dulce ex inſulis Lancaſtriæ *Park. Th. p.* 765. *n.* 5. nam & deſcriptio, paucis demptis, & figura p. 766. licet rudis, reſpondet. Folia autem non ſunt aſperiuſcula, ut ille dicit, niſi in ſicca, nec caules cubitum alti dici poſſunt, cum procumbant, nec facile ad eam longitudinem pertingant. Parkinſonus fatetur a Thoma Hesketo primum fuiſſe inventam hanc plantam, ſed debuiſſet etiam fateri, primam ejus notitiam e Lobelianis

F. 75.



Cerinthe maritima procumbens, foliis & floribus cæruleis.



anis Manuſcriptis ad ſe perveniſſe; vid. Bugloſſum ſive Borrago dulcis mellita Lancaſtrienſis *Lob. Illuſtr. p.* 121. ubi deſcriptio brevior & libera ab erroribus a Parkinſono commiſſis.

Inde Echii marini nomine propoſita fuit in *Phyt. Brit. p.* 36. quo titulo & *Rajus* in *Cat. Plant. Angl. Synopſ. & Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 500. *n.* 13. recenſuit & ſuccincte deſcripſit, quamvis dubitet, an recte ad Echium retulerit, nec immerito; ab Echio enim florum figura, ſeminibus, quin & habitu totius, & foliis longiſſime recedit. Echii marini nomine etiam breviter deſcripſit *Sibbald Scot. Illuſtr. P. II. L.* 3. *p.* 55. & figuram dedit *Tab.* 12. ſed minus bonam; omnia nimis parva exhibentur.

Ab *Hermanno in H. L. Bat.* vocatur Bugloſſum maritimum incanum, cæruleo flore, quo nomine etiam recenſuit *Tournefort. Inſt. R. Herb. p.* 135. At Bugloſſum non eſt, nec incanum dici meretur. In *Flora Bat. Sec. p.* 62. denuo Cynogloſſi ſpecies fit, & Cynogloſſum maritimum procumbens læve, purpuro-cæruleum vocatur. Cynogloſſi etiam ſpeciem facit, & Cynogloſſum procumbens glaucophyllum maritimum noſtras, floribus purpuro-cæruleis, ſemine lævi vocat *Plukenet. Alm. p.* 126. *T.* 172. *f.* 3. cujus figura non multo magis placet, quam Sibbaldi; nec vero Cynogloſſæ generi, ob ſeminum diverſitatem, ullo modo conciliari poteſt. Plukenetii figura nonnihil alterata uſus *Bobartus Hiſt. Oxon. Part. III.* S. XI. Tab. 28. f. 12. ſer. 2. ubi Cynogloſſum Britannicum glaucifolium procumbens, perenne, *Pag.* vero 450. *n.* 12. Cynogloſſum perenne maritimum procumbens, foliis glaucis brevioribus vocat. Ceterum ſuam ſibi deſcriptionem Bobartus habet, eamque ſatis bonam. Quoniam vero nec Cynogloſſum, Bugloſſum, nec Echium eſt, nec cum Cerinthe in omnibus convenire viſa fuit hæc planta *Cl. Boerhaev.* ideo novum ex ea genus ſtatuit, & hanc ſpeciem Cerinthoidem argenteam, flore pulchro cæruleo nominavit *Ind. Alt. p.* 196. Atque hæc ſunt, quæ ad hujus plantæ hiſtoriam pertinent.

CHENOPODIUM LYCOPI FOLIO, PERENNE

T. LXVI. F. 76.

TRICUBITALES huic Chenopodio in ſolo libero ſunt caules, recti, rigidi, ſtriati & piloſi, ſeſquipollicem & amplius craſſi, in fictili digitum craſſitudine non ſuperantes, in ramos pauciores verſus ſui medium abeuntes & ad medium uſque rubentes, extra id vero magis ramoſi ſunt, ubique virent & profundius ſtriati, vel potius ſulcati ſunt caules, in quibus folia ab imo ad ſummum uſque naſcuntur utrinque virentia, inter hirſuta & glabra media, non piloſa, nervo ſaltem medio averſa parte piloſo, per ambitum laciniata, Lycopo ſimilia, odore quidem non carentia, ſed minime ad fragrantiam Chenopodii Ambroſioidis Mexicani, cujus faciem planta æmulatur, accedentia, immo diverſo odoris genere prædita. Quæ folia ad baſim & in medio caule (cujuſmodi folium ſeorſum in margine figura prima appictum eſt) ampliora, in ſummo caule & ramulis minora, & in ſpicis floridis valde quam anguſta ſunt.

Spicæ autem illæ floridæ e foliorum ſuperiorum alis, ſecundum caules & ramulos naſcuntur ſurrectæ, virentes, e ſpicis partialibus floridis glomeratim Her-

niariæ inſtar congeſtis compoſitæ, quibus apices numeroſi albi craſſiuſculi, in brevibus ſtaminibus naſcentes intermixti ſunt: Singuli apices didymi ſunt, & quini apices & ſtamina ad ſingulos calyces pertinent. Calyces vero in quinque lacinias diviſi valde parvi ſunt, & floribus, i. e. ſtaminibus & apicibus evanidis, globulorum inſtar ſe claudunt, ſemina foventes parva ſubrotunda, nonnihil compreſſa, per maturitatem fuſca, ſplendentia. Hæc figura marginali ſecunda matura, tertia immaturum cum ſtylo ſuo bifido, quarta & quinta calyces cum ſtaminibus ſeorſum deſignantur.

Sole Libram agitante floruit ſingulis annis, natum ex ſeminibus Bonarienſibus.

CHENOPODIUM SEMPERVIRENS, FOLIIS TENUITER LACINIATIS T. LXVI. F. 77.

EOSDEM, quos præcedens, natales agnoſcit pulchra hæc planta, quæ primo anno pedales & ſeſquipedales, altero bipedales nacta eſt caules, virides ſtriatos, ab imo ad ſummum uſque ramoſos, ramulis quadrantalibus, trientalibus & ſemipedalibus, in quibus folia crebra alternatim poſita, craſſiuſcula glabra, læte virentia, Senecioni ſimilia, ſed tenuius, crebrius & elegantius inciſa; quæ folia, in Hibernaculo repoſita planta, per omnem hiemem retinet, ſequenti vero vere, novis ſubnaſcentibus, vetera dimittit. Ceterum folia contrita odorata ſunt, ſed non tam vehementer, quam Chenopodii Ambroſioidis Mexicani, cujus alias odorem æmulantur.

Ad ramulorum juncturas & e foliorum alis flores & ſemina plura, velut per verticillos naſcuntur, calycibus monophyllis quinquefidis viridibus incluſa, ea differentia, ut florum calyces (nam flores, vel ſtamina, & ſemina in eadem planta, iiſdemque ramulis ſeorſum naſcuntur) majuſculi ſint, monophylli, in quinque ſegmenta per ſummitatem diviſi, in quibus ſtamina quinque tenuia latent, apicibus parvis luteis capitata, ſeminum autem calyces longe minores & frequentiores reliquis interſperſi obſerventur, in quibus embryones latent ſubrotundi, quinque perexilibus filamentis albis, quæſtyli, terminati, qui ſubter ramum plantæ figura prima expreſſi ſunt. Enimvero ſemina tum ob inſtantem hiemem ad maturitatem non pervenerunt, in Fimetario tamen repoſita planta perduravit & ſequenti vere ſemina parva compreſſa ſubrotunda, ſubfuſca, tenui pellicula incluſa habebat, verum non perfecta, ſed ſemiabortiva, donec Junio menſe matura quædam ſemina produceret, turgidiuſcula, ex compreſſo rotunda, fuſco-rufa, nulla tum pellicula tecta; vid. figura marginalis ſecunda.

Ceteroquin & in Chenopodii genere ſemina, ſi diligentius examinentur, iſtiuſmodi pelliculam habent, a quo alias calyce nonnihil longiore, minus profunde inciſo, ſemina minus arcte complectente, nec ſtelliformem prominentiam obtinente, ac ſtylo quinquefido, cum illius bifidus videatur, differt hæc ſpecies; ſed cum ob leviores differentias genera plantarum multiplicanda non ſint, inter Chenopodii ſpecies locare hanc plantam conſultius fuit viſum.

Ut ſupra demonſtratum, perennat hæc ſpecies & ſemper viret, & toto fere anno vel flores & ſemina, vel eorum rudimenta monſtrat, quo, ut & foliorum figura, ab aliis omnibus differt & facile diſtinguitur hæc planta.

CHRISTO-



F. 77.

Chenopodium Lycopi folio, perenne.

Chenopodium sempervirens, foliis tenuiter laciniatis.

P. 79.

F. 78.

T. LXVII.



Chriſtophoriana Americana procerior & longius ſpicata.

CHRISTOPHORIANA AMERICANA PROCERIOR ET LONGIUS SPICATA T. LXVII. F. 78.

Ad octo & amplius pedum altitudinem aſſurgit, caulibus rectis glabris, digitum inferius craſſis, e quibus longis intervallis alterno ortu in pediculis longis, ad baſim nodoſis, folia naſcuntur tripartito diviſa & ſubdiviſa; ſinguli enim pediculi communes in tres alios abeunt, & hi denuo in alios ex adverſo ſitos, quibus folia innaſcuntur Chriſtophorianæ vulgari ſimilia, ſed ampliora, glabra, parte ſupina ſaturanter viridia, prona pallidiora, per margines profunde dentata & altius hinc inde inciſa, dempta ala media, quæ minus profunde diviſa, ſed ſimpliciter tantum dentata eſt. Singula autem folia partiala bigemino modo alata ſunt, cum impari in extremo pinna ampliore. Folia ſuperiora pediculo communi carent, privatos etiam breviores habent, unde minus, quam inferiora, ſubdiviſa ſunt. Ceteroquin foliorum figura eadem, ſaltem, quo ſummitati magis appropinquant, eo ſenſim minora fiunt.

Summi caules in pediculos prælongos excurrunt, teretes glabros, quibus longa ſerie capitula innaſcuntur rotunda, minora & ſeſſilia ab initio, coloris ex herbaceo luteoli, tenui ad baſim ligula prædita, quæ dein pediculos nonnihil longiores acquirunt & ad grani piperis magnitudinem perveniunt, tota nivea, in quatuor foliola caduca concava dehiſcentia, e quibus ſtamina & apices ab initio viridiuſcula, dein niveo candore conſpicua undique radiatim porriguntur, ad quorum baſim bracteolæ quædam candidæ, quæ petala, illa vero perianthium mihi videntur, (Tournefortius in Chriſtophoriana vulgari perianthium pro flore habuit,) hærent. Has figura marginalis ſecunda, illa, nempe perianthii foliola figura prima, tertia ſtamina & apices ſeorſum monſtrat. Ceterum apices ab initio rotundi ſunt, deinde vero farina ſparſa nonnihil longiores fiunt, ſecundum longitudinem ſtriati & veluti teſticulati. Embryo inter ſtamina latet oblongus, ex tereti compreſſus, niveus, cujus ſtylus tam brevis eſt, ut vix conſpici queat, ipſe vero embryo dein in fructum abit turgidiuſculum, ſiliquarum Anonidis æmulum, ſed minorem, e cinereo virentem, non pulpoſum, ſed ſub medium Septembrem in folliculo craſſiuſculo, unicapſulari, bivalvi, ſemina continentem plura virentia, obtuſe triquetra, altera nempe parte ſubrotunda, altera utrinque reſecta, ceu in Convolvuli ſeminibus fieri ſolet. Qui fructus per tranſverſum ſectus figura quarta, quinta vero valvæ & ſexta ſemina ſeorſum repræſentantur: figura ſeptima iidem fructus integri in ſpica appoſiti ſunt.

Flores, quos Julio menſe fert, odorem ſpirant gravem, folia autem vix fœtida ſunt.

Plantam dedit P. Collinſon, qui ex Penſylvania accepit, *Plukenetius* vero ejus ramulum habuit ex Carolina allatum, ut ex nomine conſtat; nam vocat, Criſtophorianæ facie Herbam ſpicatam, ex Provincia Floridana *Amalth. p.* 54. cujus figuram qualemcunque, particulam nempe rami, exhibuit *Tab.* 383. *fig.* 3.

Chriſtophoriana Americana racemoſa, baccis niveis & rubris *Mor. Hiſt. Oxon. Part. II. p.* 8. caules profert pedales, in quibus Majo menſe flores naſcuntur brevius digeſti, in ſex foliola (ſi recte obſervavit Cornutus) dehiſcentes, ut docet idem in deſcriptione & figura Aconiti baccis niveis & rubris de *Plant. Canad. C.*

32. *p.* 76. 77. a Moriſono ad genus ſuum relati. In noſtra planta longe aliter ſe res habet, ut ſupra demonſtratum, profertque ea non ſolitarias, ut illa, ſed plures in ſummis caulibus ſpicas longas, quarum flores non niſi ſub extremum Julium comparent.

CHRYSANTHEMOIDES AFRICANUM, POPULI ALBÆ FOLIIS TOURN. COMM. ACAD. R. SCIENT. A. MDCCV. P. CCXXXVIII. *T. LXVIII. F.* 79.

HUJUS deſcriptionem & figuram ad ſiccam dedit olim J. Breynius Cent. Plant. Exot. p. 155. 156. ſed minus, ut ipſe queritur, feliciter factam. Poſteri nominibus quidem onerarunt plantam, nemo autem, licet a multo tempore hortis familiaris fuerit, vel deſcribere, vel figuram a virente meliorem parare voluit.

Septennes octennesve nobiſcum plantæ arbuſcularum formam induerunt, altitudine bicubitali, caudice duum pollicum craſſitudine, cortice cinereo veſtito, in plures ramos brachiato, inferius cinereos, lignoſos, parte ſuperiori virentes & minus duros, intermedia ſublignoſos, e ſpadiceo purpureos, in quibus folia alterna ſerie naſcuntur craſſa, venis tenuibus vix conſpicuis, & nervo utrinque parumper protuberante prædita, nunc extrorſum, nunc introrſum flexa & leniter alterutra parte concava, Populi albæ foliis minoribus *C. B.* ſimilia, ſed nonnihil longiora, per margines craſſe & inæqualiter dentata, lævia, utrinque viridia, floccis lanuginoſis hinc inde reſperſa, ſuperiora vero folia araneoſa lanugine utrinque obducta & ſubincana ſunt, minora, quam reliqua, & minus dentata, inter quæ, in ramorum nempe faſtigio, flores Junio menſe naſcuntur plures (tres, quatuor, quinque, ſex) pediculis uncialibus villoſis inſidentes, flavi, e pluribus ſemifloſculis caducis, ſimplici ſerie locatis, tenuiter in apice crenatis, & floſculis plurimis ſtellatis quinquefidis compoſiti, farinam ex utriculo tenui fundentibus, ſtylo deſtitutis, gracilibus albidis & infœcundis, mox nempe marceſcentibus, ſeminibus inſidentibus; ſemifloſculi vero ſemina ſubjecta habent craſſiora, ſubrotunda, virentia, lævia, non ſtriata, quæ mox magnitudine augentur & baccam referunt, in qua nucleus continetur duriusculus, a Tournefortio loco ſupra citato, & Vaillantio loco infra citando depictus. Quæ ſemina a Chryſanthemorum ſeminibus, quibus paria minus accurate ſcripſit J. Breynius, longe diverſa, & hac de cauſſa peculiare genus mereri merito viſa fuit hæc & aliæ ſpecies C. Commelino, Tournefortio & aliis. Calyx ſimplex e totidem, quot ſunt ſemifloſculi, foliolis anguſtis virentibus, interiori parte concavis & ſemina ab initio complectentibus, conſtat. Thalamus nudus eſt.

Figura marginali prima ſemifloſculus cum ſemine fœcundo, ſecunda floſculi cum ſeminibus ſterilibus deſignati ſunt.

Chryſanthemi arboreſcentis Æthiopici, foliis Populi albæ nomine deſcripſit & depinxit *Breynius Cent. Plant. Exot. p.* 155. 156. Folia rotundiora facta & pediculi juſto breviores ſunt, flos non bene exprimitur, ut ipſe Breynius queritur. Nomen & deſcriptionem *Breynii Hiſtoriæ ſuæ Plantarum Vol. I. p.* 339 *& Vol. III. p.* 218. *n.* 93. intulit *Rajus*. Idem nomen, eadem deſcriptio habetur in *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 23. *n.* 58. Icon etiam *Sect. VI. Tab.* 3. *fig.* 56. *ſer.* 3. eſt eadem,



Chrysanthemoides African. populi albæ foliis Tourn.

F. 80.



Cirsium attissimum, laciniato folio, subtus tomentoso.

dem, nisi quod flos nonnihil sit emendatus. Denuo subsequenti nomine recensuit *Rajus Tom. III. p.* 218. *n.* 92. Chrysanthemi flore arbor Africana, fructu rotundo fungoso, Pisi amplitudine, in quo nucleus parvus albus, saporis suavissimi *Hermann.* Chrysanthemum fruteſcens Africanum bacciferum dicitur *Pein. Hort. Bos. A.* 1699. *& seqq.* Chrysanthemum Africanum fruteſcens, Telephii fere foliis crassis, osteocarpon *Pluken. Amalth. p.* 55. *Tab.* 382. *f.* 4. quæ figura particulam saltem rami repræsentat cum seminibus aliquot absque flore, & Breyniana melior non est. Chrysanthemum bacciferum, Populi folio, Africanum *Boerh. Ind. Prim. p.* 278. Chrysanthemoides osteospermon Africanum arboreum, foliis Populi albæ *Eid. Ind. Alt. p.* 104. *n.* 2. Monilifera fruteſcens baccifera, folio subrotundo crenato *Vaill. Comm. Ac. Reg. Scient. A.* 1720. *p.* 289. *n.* 1. *Tab.* 9. *fig.* 28. 29. 30.

CIRSIUM ALTISSIMUM, LACINIATO FOLIO, SUBTUS TOMENTOSO T. LXIX. F. 80.

STATURA ei eximia est, & ramorum multitudine quascunque alias antecellit Cirsii species, decem & duodecim pedum altitudinem æquans, in ramos multos & frequentes, robustos, striatos, mox ab imo alterna serie divisum & subdivisum, foliis ramorum basi & omni eorum longitudini appositis alternis, pendulis, figura Sonchi minus lacinioſi, imis (quale num. sexto, septimo vero medium exhibetur) foliis Cardui pratensis *Tragi* instar laciniatis, superne viridibus, inferne cano tomento obsitis.

Ramorum summitatibus capitula innascuntur satis grandia, plantæ magnitudini respondentia, squamatim compacta, squamis (figura marginali prima, secunda & tertia) in brevem & innoxiam cuspidem extantem terminatis, & araneosa lanugine transversim ducta ad basim cuspidum obsitis. Floribus color est dilute purpureus. Flosculi (figura quarta & quinta) numerosi & sat magni aliorum Cirsiorum figuram obtinent, & pappo oblongo plumoso, seminibus insidente, cinguntur; ipsa præterea semina alio pappo multo breviore, thalamum implente, circumdantur.

Caulis inferiore parte tam crassus est, ut duas fere uncias diameter ejus æquet. Rami extant & oblique in omnem partem vergunt, totaque planta multo ramosior & altior, quam alia quæcunque Cirsii nota species est.

Floruit Augusti fine & Septembris initio, anno 1726. Sequenti anno in fictili nutrita planta nec tam alta, nec tam ramosa & elegans, quam antea in solo libero nata fuit.

Considerandum an huc referri queat, Carduo-Cirsium exoticum, foliis splendentibus glabris, capite magno singulari, Horti Uvedalens. *Pluk. Amalth. p.* 50. Cum non dixerit Plukenetius, an altera tantum, an utraque parte splendeant folia, an subtus lanuginosa sint, cumque figura non illustrarit, nec descripserit plantam, vix certi quid determinari poterit.

Nostrum ex seminibus Carolinensibus ortum est, & capita plura gerebat, foliis subhirsutis & minus splendentibus præditum, unde cum Plukenetiano idem esse vix videtur verisimile.

CIRSIUM MONTANUM HUMILE, CYNOGLOSSÆ FOLIO, POLYANTHEMUM LHWYD RAI. SYN. ST BR. EDIT. I. P. LIII. ED. II. P. LXXXVI. ED. III. P. CXCIII. HIST. PLANT. TOM. III. P. CXCVI. N. VI. *T. LXX. F.* 81.

CAULES ex eadem radice perenni nunc ſolitarii, nunc duo treſve naſcuntur, palmares, dodrantales & pedales, dilute virentes, ſtriati, (ſtriis tamen, ob lanuginem araneoſam inductam, vix conſpicuis) foliis ab imo ad ſummum uſque veſtiti oblongis, abſque pediculis cauli adnaſcentibus, & inferius alarum inſtar eum aliquouſque amplectentibus, per margines obiter dentatis ; ſuperiora vero folia denticulis illis carent, alas etiam breviores & in ſupremis foliis fere nullas habent. Ceterum folia faciem habent Cynogloſſæ virentis, & figura etiam quodammodo ſuperioribus Cynogloſſæ foliis reſpondent, magis autem, inferiora præſertim, Heſperidis vulgaris, quæ Matronalis dicitur, folia referunt, ea ſaltem differentia, quod nonnihil anguſtiora ſint & longiora, craſſiora item & prona parte e viridi albicantia ; tenuis nempe & araneoſa lanugo hac parte inducta eſt, ſupina glabra ſunt, ſaturanter virentia & nonnihil reſplendentia, in medio ſecundum nervum excavata, unde venæ obliquæ in ſe deſinentes producuntur.

E medio caule & in ſuperiori ejus parte ramuli aliquot enaſcuntur ſurrecti, quibus capitula plura inſident oblonga ſquamoſa, (ſquamis appreſſis, non uncinatis, tenui languine obductis) e quibus floſculi (figura marginali prima) prodeunt ventrioſi, in quinque anguſtas lacinias diviſi, e violaceo purpuraſcentes, ſtylum longiuſculum, in duo cornicula abeuntem & in exterius plerumque latus (in plene explicatis floſculis) flexum exerentes, vagina incluſum ſaturanter violacea. Semina (figura ſecunda) floribus ſubjiciuntur oblonga e cinereo purpuraſcentia, ex tereti anguloſa, pappo oblongo plumoſo, extra calycem ſupereminente, terminata: præterea ſeminibus ſquamæ tenues candidæ piloſæ interſperſæ ſunt.

Junio & Julio menſibus floret. Sponte naſcitur in ſummis rupibus montis *Widhfa* Cambris, *Snowdon* Anglis dicti, totius Arvoniæ altiſſimi, unde in Hortum Elthamenſem tranſmiſit D. Richardſon. Alium præterea locum natalem, nempe *Brearcliff* prope *Brunly* in Lancaſtria memorat *Merretus in Pinace Rer. N. Br. p.* 21: In exteris regionibus, quod ſciam, non naſcitur.

A Cirſio Alpino Boni Henrici folio *Inſt. R. Herb.* quocum confundit *Vaillant Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1718. *p.* 158. *n.* 3. recte olim diſtinxit *Bobartus Hiſt. Ox. Part. III. p.* 148. *n.* 2. ubi ſub nomine Rajano breviter deſcribit. Differt autem illud ab hoc, quod folia habeat pediculis inſidentia, breviora item & ad baſim latiora, prona parte tota incana, lanugine non araneoſa, ſed tomento denſo, lævi & æquabili ſuperficie, obſita.

Primus omnium hanc plantam obſervavit *Johnſonus*, qui in *Merc. Bot. Part. II. p.* 18. vocavit Carduum mollem flore cæruleo. Poſtea eandem reperit Ed. Lhwyd, cujus nomen ſupra ex Rajo recitatum. *Plukenetius* in *Alm. p.* 83. (ubi cum Carduo molli, Lapathi folio *J. B.* etiam confundit) vocavit, Carduo-Cirſium minus Cambro-Britannicum, floribus plurimis ſummo caule coaggeſtis, & figuram ejus a ſicca, ſed minus perfectam, dedit *Phytogr. Tab.* 154. *n.* 3.

Cirſium montanum polyanthemum, Salicis folio anguſto denticulato *Lhwyd & Rai.* varietas hujus ſtrigoſior eſt, ſoli conditioni differentiam debens.

CIR-



Cirsium montanum humile,
Cynoglossæ folio, polyanthemum
Lhwyd.



Cirſium tuberoſum, capitulis ſquarroſis.

CIRSIUM TUBEROSUM, CAPITULIS SQARROSIS

T. LXXI. F. 82.

OB pappum plumoſum, floſculos minus panſos & calycis ſquamas integras foliaceas Cirſio potius, quam Jaceæ, annumero hanc plantam, cui ex radice tuberoſa plura ſunt folia in orbem ſparſa, pedem longa, ſemunciam lata, rigida & nervoſa, e quibus caules ſurgunt plures ſimplices, duos tresve pedes longi, digitum minorem craſſi, tenui lanugine obſiti, foliis crebris alternatim naſcentibus donati, reflexis, inferiorum inſtar rigidis & nervoſis, rectiveniis, ſubhirſutis, Tragopogonis foliis ſimilibus, ſed in mucronem minus acutum productis, nec caulem alatim amplexantibus, iis, quæ e radice naſcuntur, aliquanto brevioribus, & quo caulem longius comitantur, eo ſenſim minoribus & anguſtioribus. Folia ſuperne glabra, inferne & per margines piloſa ſunt, cujusmodi, & magis adhuc, obſervantur capitulorum ſquamæ.

Capitula vero in pediolis uncialibus e foliorum ſuperiorum alis alterna ſerie naſcuntur ſquarroſa, e ſquamis nempe foliaceis extantibus & reflexis, carinatis, ſubhirſutis, & floſculis, exteriora verſus inflexis, conflata, e quorum medio ſtyli pendent prælongi, barbatos veluti floſculos efficientes. Singuli floſculi, ſi capitulis eximantur, ſatis longi, corniculati & incurvi ſunt, in quinque per extremum anguſtas lacinias diſſecti, interius villoſas, extus glabras, coloris purpurei, ſeminibus inſidentes oblongis, ſtriatis, pappo plumoſo coronatis. Qui pappus ab initio flaccidus eſt, & plumas appreſſas habet, ad ſeminum vero maturitatem explicatur & plumas conſpicuas habet. Thalamus nudus eſt, ſeu nullum pappum, nec ſquamas ſeminibus interſperſas habet. Ceterum flores eam naturam habent, ut de ſummo florere incipiant. Floret autem æſtivis menſibus.

Figura marginalis prima & ſecunda ſemina cum pappo plumoſo expanſo, tertia quarta & quinta floſculos & ſemina cum pappo non expanſo repræſentat.

Perennem eſſe plantam radix indicat. Sponte naſcitur in plerisque Americæ Septentrionalis provinciis.

Vocatur a *Plukenetio in Alm. Bot. Mant. p.* 105. Jacea anguſtiori folio Virginiana, hirſuto caule, capite oblongo ſpinoſo, ſquamis hiantibus rigidis ornato, ubi expungendum ſynonymon Breynianum, de quo quærit, an ſit? nempe Cyanus centauroides fruticeſcens, Lavandulæ folio Cap. Bon. Spei *Breyn. Faſc.* 21. qui planta eſt longe diverſa. Figura *Plukenetii Tab.* 423. *n.* 3. minus exacta eſt, ad ſpecimen ſiccum facta, in qua folia nimis acuta & ſurrecta exhibentur, capitula vero admodum imperfecte deſignantur & flores plane deſunt, quare & deſcribere & figuram meliorem dare ſupervacuum non fuit viſum.

Alia datur valde ſimilis, ni quidem eadem ſit, ſpecies, ſed foliis (in ſicca quidem) magis ſurrectis, crebrioribus, longioribus & anguſtioribus prædita, floribus & capitulis nonnihil minoribus, nullis, aut breviſſimis pediculis inſidentibus, quam deſignari puto nomine Jaceæ alterius non ramoſæ, tuberoſa radice, foliis latioribus, flores ferentis pauciores majores, ſquamis hiantibus armatos, & pediculis curtis inſidentes a *Baniſtero in Catal. Stirp. Virgin.* apud *Rajum Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1929. & *Plukenetium Mant. p.* 105. Hanc *Bobartus Hiſt. Oxon. Part. III. Sect. VII. Tab.* 27. *fig.* 10. *ſerie* 2. exhibuiſſe videtur, Stœbes Virginianæ tuberoſæ,

beroſæ, capitulis ſeſſilibus, ſquamis foliaceis acutis titulo : *pag.* 137. *n.* 10. vocatur Stœbe Virginiana tuberoſa latifolia, capitulis ſeſſilibus, ſquamis foliaceis acutis donata. At latifolia non eſt, niſi ad radicem, nec ſynonymon ex Plukenetio hujus loci eſt, ſed diverſa omnino planta, nempe Eupatorio affinis Americana bulboſa, floribus ſcarioſis capitulis contectis *Pluken. Alm. p.* 142. cujus icon ex Baniſterianis ſat laudabilis proſtat *Phytogr. Tab.* 177. *fig.* 4.

Quæ planta in Horto Elthamenſi etiam naſcitur, & naſcendi modo ſimilis quidem eſt huic ſpeciei, at folia inferiora latiora ſunt, eaque, ut & quæ in caule locantur, venas obliquas habent, capitulorum vero ſquamæ obtuſæ ſunt & ſubrotundæ, floſculi non æque longi ſunt, pappus vero brevior plumas non æque conſpicuas habet. Obſervo autem ad ſequentem ſpeciem, numerum in Tabula Bobarti videri mutandum, & figuram illam ad deſcriptionem nonam, nempe Stœbes Virginianæ tuberoſæ anguſtifoliæ, capitulis ſeſſilibus, ſquamis foliaceis acutis referendam, ceu cui melius reſpondet, quam latifoliæ, quam ſuperficiarie tantum &, ut videtur, ad iconem Plukenetii deſcribit. Sic poteſt eſſe planta Plukenetii, quamvis quoad capitula correctionem mereatur nomen & deſcriptio Bobarti.

Jacea anguſtifolia minor Virginiana, tuberoſa radice Baniſteri *Pluk. Alm. p.* 349. *fig.* 7. Aſteris ſpecies eſt. Jacea latifolia Virginiana, radice tuberoſa Baniſteri *Pluk. Alm. p.* 190. *Tab.* 419. *fig.* 7. mihi nondum viſa. Vereor ne Plukenetius pro Baniſterianis alienas plantas hic ſuppeditet. Sane cum ipſe *Plukenetius Mant. p.* 105. ad Jaceam latifoliam Virginianam, radice tuberoſa *Baniſteri*, Jaceam alteram non ramoſam, foliis latioribus, flores ferentem pauciores majores, ſquamis hiantibus armatos & pediculis curtis inſidentes *Baniſt. Cat. Virg.* referat, patet ipſum ſibi contrariari ; ubi enim ſquamæ hiantes & ubi pediculi curti in figura illa 7. *Tab.* 419 ? Undecunque nactus ſit nomina illa Plukenetius, nempe Jaceam latifoliam Virginianam, tuberoſa radice *Ban.* Jaceam anguſtifoliam, tuberoſa radice *Ejuſd.* & Jaceam anguſtifoliam minorem Virginianam, tuberoſa radice *Ejuſd.* quæ in *Cat. St. Virg. Baniſteri* non proſtant, videntur mihi duo poſteriora ex mente Baniſteri ad ſequentem, primum autem vel ad noſtram hoc capite deſcriptam, vel ad ejus alteram ſpeciem, cui pediculi curti, referenda eſſe. Si modo diſtinctæ ſpecies, & non varietates ſaltem ſint. Habemus quidem utriuſque ſpecimina exſiccata diſtincta, ſed ut verum fatear, illam naſcentem nondum vidi, & dubitatio ſemper ſubiit animum, an non varietates potius, quam diverſæ ſpecies ſint. Igitur latifoliam dixiſſe videtur Baniſterus, reſpectu ſequentis, cui folia ſunt multo anguſtiora. Vel per me licet, referatur latifolia ad figuram illam *Pluken. Tab.* 177. *fig.* 4. cui nomen Eupatorio affinis Americana bulboſa, floribus ſcarioſis capitulis contectis, licet huic aliud jam ex Baniſtero, Plantæ nempe pappeſcentis non lacteſcentis, Virginianæ ſynonymon adaptetur *Alm. p.* 142. quod nomen nimis generale, nec in Baniſteri Catalogo impreſſo, nec in Manuſcripto exemplari, quod ſervatur in Bibliotheca Sherardina, invenio.

CIR-



Cirſium tuberoſum, Lactucæ capitulis ſpicatis.



CIRSIUM TUBEROSUM, LACTUCÆ CAPITULIS SPICATIS T. LXXII. F. 83.

PERVENUSTA planta forte fortuna e terra, qua ſtirpes quædam e Carolina advectæ erant, enata eſt, quæ cum primum prodiret, folia tenera peranguſta graminea, ad margines piloſa, monſtravit, inde in olla ſtudioſe repoſita, cauliculum nacta eſt ſeſquipedalem, ſolitarium, non ramoſum, culmum craſſum, ſtriatum virentem, in ſummitate e fuſco dilute purpuraſcentem, qui foliis ab imo ad ſummum uſque veſtiebatur crebris, alternis, oblongis & anguſtis, rigidioribus jam, a baſi ad mediam uſque partem pilis tenuibus oblongis, non admodum crebris, per margines obſitis, Tragopogonis Apuli humilis hirſuti lutei *Col. Ecphr. Part. II. p.* 233. non abſimilibus, imis brevioribus & latioribus, quæ ſequuntur anguſtioribus & longe longioribus, verſus baſim nonnihil anguſtatis, dein rurſus, qua cauli adhærent, nonnihil ampliatis, reliquis ſuperiora verſus locatis brevioribus & anguſtioribus, planis, (cum inferiora aliquantum cava ſint) ubique eadem fere latitudine gaudentibus, extremitate obtuſa terminatis, nullis venis exaratis, horum autem loco, ſi diligenter obſerventur, crebris punctis (viridibus) pertuſis.

E foliorum inferiorum alis foliola quædam juniora, mox vero verſus medium caulem ad ſummitatem uſque flores e ſingulis alis ſinguli naſcuntur, alterna ſerie brevibus intervallis in ſpicam digeſti, parvi, de ſummitate florere incipientes, coloris e violaceo amœne purpurei, floſculis in eodem capitulo locatis ſeptem, octo, novem & decem, pro florum ratione majuſculis, ventrioſis, in quinque æquales, intus glabras, lacinias diviſis, e quibus utriculus erigitur ſubfuſcus, ſtylum emittens ab initio conjunctum & ſimplicem, dein in duo oblonga craſſiuſcula cornicula purpurea abeuntem. Semina oblonga ſtriata, ſubhirſuta ſunt, quibus pappus inſidet brevis, cujus pili tenues ſunt & ſimplices ab initio videntur, ad ſeminum vero maturitatem, ſi per lentem vitream examinentur, plumoſi deprehenduntur, plumis pertenuibus & nudo oculo non conſpiciendis. Thalamus, ut in præcedenti ſpecie, ſe habet. Capitula oblonga ſquamoſa ſunt, Lactucæ Sylveſtris laciniatæ minoris capitula ſitu & figura imitantia, glabra, ſquamis ad baſim ſaltem pilis aliquot pertenuibus obſitis appreſſis, ipſis ſquamis non, ut in præcedenti ſpecie, extantibus, nec ita cuſpidatis. Floſculi etiam minus, ac in priori, extrorſum vergunt & breviores multo ſunt, ſtyloſque minime tam longos emittunt.

Figura marginalis prima floſculum nondum explicatum, ſecunda tertia & quarta floſculos explicatos cum pappo cohærente demonſtrat, figura quinta & ſexta pappum eundem plumoſum, ſeptima totum florem cum calyce repræſentat.

Floruit Novembri menſe, orta modo ſupra demonſtrato. Naſcitur etiam, ut ex ſynonymis modo enumerandis conſtabit, in Virginia, & in aliis, procul dubio, Americæ Septentrionalis provinciis. Perennis eſt planta, radice tuberoſa gaudens.

Baniſterus primum obſervavit, cui dicta fuit, Jacea non ramoſa, tuberoſa radice, foliis plurimis rigidis peranguſtis, flores ferens multos parvos rubentes acaules, in ſpica ad caulem ſeſſiles, ut refert *Rajus Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1927. Procul dubio ſpontanea planta non, aut minus, quam reliquæ tuberoſæ, ramoſa eſt; nobis tamen non tantum duo treſve caules ſequentibus a primo ortu annis enati ſunt, ſed & ex his caulibus plures ramuli (indiviſi tamen) creve-

runt, floreſque tum maturius, nempe Septembri menſe, protulit, non tantum in primario caule, ſed & per ramulos ſeu virgas ſpicatim digeſtos.

Iconem ex ſicca imperfectam exhibuit *Plukenetius Tab.* 424. *fig.* 6. ubi pro *Mantiſſa* legendum eſt *Almageſtum p.* 190. cujus nomen, ex citatione ipſius, eſt, Jacea anguſtifolia, tuberoſa radice, Virginiana *D. Baniſter*, quam dein in *Mantiſſa p.* 105. vocat, Jaceam Virginianam, Leucoji petræi folio rigido, floribus pulchre purpureis, ad nodos caulium in laxiorem ſpicam diſpoſitis, ubi ſynonymon Baniſteri ex Rajo modo memoratum ſubjungit, vitioſe licet impreſſum. Ceteroquin caules nodos nullos habent. Huic nomini Baniſteriano, ne quid deſit, & ſuum præfixit *Bobartus*, cui dicitur, Stœbe Virginiana tuberoſa anguſtifolia, capitulis ſeſſilibus, ſquamis foliaceis acutis donatis *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 137. *n.* 9: Verum ſquamæ acutæ non ſunt. Deſcriptio quoad caulem & folia, ſed non quoad capitula, reſpondet, quæ duo triave aut plura tribuit, ſed noſtra, quod & nomen Baniſteri innuit, numeroſa per omnem pæne caulem capitula profert. Credo mendum eſſe in *Tab.* 27. *Sect. VII.* & loco numeri 10. legendum eſſe 9. ita ut figura ad nomen Bobarti modo memoratum referenda ſit; figura autem numero decimo poſita, & deſcriptio ſub numero nono tradita ad præcedentem ſpeciem pertineat. Expungendum ergo ibi eſt ſynonymon Baniſteri. Non poterat enim Bobartus plantam, cujus figuram dat, tam ſuperficialiter, ac decimam, deſcribere.

Si conjecturæ locus, huc retulerim Jaceam Carolinianam purpuream, Virgæ aureæ facie Pet. Hort. Sicc: *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 245. *n.* 3. Videtur enim a florum ſitu Virgæ aureæ comparaſſe Petiverus, quamvis in reliquis diſcrepet. Alia, quæ Virgæ aureæ comparari queat, mihi non nota eſt ſpecies.

CLEMATIS FLORE CRISPO
T. LXXIII. F. 84.

VITICELLAM, quo nomine ad Flammulam repentem deſignandam uſus eſt Cæſalpinus, antehac in Catalogi Plant. Giſſens. Append. p. 165. dixi Clematidem cæruleam vel purpuream repentem *C. B.* eo quod ſemina ejus plumoſis capillamentis deſtituta eſſent, reſervans nomen Clematidis reliquis plerisque ſpeciebus, quæ ſemina plumoſis cincinnis comata gerunt. Auctor Floræ Jenenſis p. 82. quæ anno Catalogum dictum antecedente prodierat, ſed eo tempore, cum ederetur Catalogus, mihi nondum viſa erat, idem ſtatuit genus, ſed diverſo nomine, nam Clematides Flammulas vocat, genus autem Viticellæ Clematidis nomine diſtinguit. Et quoniam plerique Auctores Clematides Flammulas dixere, quoniam porro ſpecies ejus generis erectæ Clematides minus proprie dicuntur, ſint poſthac Flammulæ, quibus ſemina plumis longis cincinnata ſunt, Clematides autem habeantur, quarum ſemina plumoſis capillamentis carent.

Ob ſemina igitur non plumoſa Clematidis eſt hæc ſpecies, cujus cauliculi cum hæc ſcriberem (anno 1728) palmares & pedales tantum, poſt tertium a ſatione annum, erant, quin tamen longius procedente tempore enaſcantur & aliarum inſtar, ſi adminicula nacti fuerint, ſcandant, dubium non videtur. Graciles erant cauliculi, foliis donati oblongis, ſubanguſtis, glabris, ex adverſo naſcentibus, nunc ſimplicibus, nunc compoſitis, e tribus nempe foliis, ſingulis ſuis pediculis hærentibus,



Clematis flore crispo.



bus, conſtantibus, quorum nervus non mediam partem occupat, ſed in alterutrum latus nonnihil inclinat, oris leniter ſurrectis, ut modice carinata folia efficiantur, venis a nervo medio oblique procurrentibus. Fit ſubinde, ut extrema & juniora folia in duo tantum folia partialia dividantur, ſed tum alterutrum folium, quod majus eſt, in duos plerumque lobos diſſectum eſt.

Pediculi e foliorum alis ſolitarii breves flores geſtabant pulchros, pendulos, oblongos, tubuloſos, ad baſim craſſiores, medium verſus anguſtiores, & veluti clauſos, inde extremitatem verſus in quatuor petala acuminata reflexa diviſos, quorum oræ ac ſuperficies rugis transverſis, a ſulculis petalorum ductis, criſpæ fiunt, medium autem, ubi petala a ſe invicem abſcedunt, anguſtatum eſt & ſtaminibus oppletur anguſtis, parum prominentibus. Flores amplius non expandebantur ſponte ſua, in quatuor tamen partes ad fundum uſque levi opera ſeparari poterant: craſſiuſculi erant, minime tamen æque craſſi, ac Flammulæ ſcandentis, flore coriaceo clauſo: parte exteriori ſtrias quasdam & veluti coſtas leviter extantes habebant: color iis dilute purpureus, vel ex purpureo & violaceo candicans: odor tenuis, non inſuavis. Semina ſubnaſcebantur latiuſcula, plana, in oblongos mucrones non plumoſos deſinentia.

Sole ex Virgine in Libram tendente floruit anno 1728. ſequenti anno maturius, Junio nempe menſe, & flores non omnes pendebant, ſed quidam in pediculis erectis erecti, quidam obliqui ſtabant, plerique autem nutabant, quod, quia planta pedamento recenter alligata erat, ita fieri ſuſpicabar. Caules fuſci quadranguli ſtriati, ramoſi, bipedales erant, rami quadrangulares: folia ad genicula conjugata, in extremitatibus, ſeu ad juncturas, trilobata, rigiduſcula, glabra. Florum pediculi ex quadrangulo teretes: flores in extremitatibus tantum ſarmentorum ad geniculum ſuperius plerumque ſolitarii erant poſiti.

Subſequenti anno flores nati ſunt majores, erecti & minus clauſi, petalis non reflexis, ſed explicatis. Hujuſmodi flos ſeorſum figura prima eſt expreſſus. Folia etiam ſuperiora ampliora nata ſunt, talia, quale figura ſecunda in margine repræſentat. Inferius figura tertia ſemina ſeparatim appoſita ſunt.

Niſi ſit Clematis Virginiana, flore rubro *Pein. Hort. Boſ. Anni* 1709, non memini a quoquam memoratam. Nobis quidem nata fuit e ſeminibus Carolinenſibus.

CLINOPODIUM MENTHÆ FOLIO, INCANUM ET ODORATUM T. LXXIV. F. 85.

QUAMVIS a Clinopodio nonnihil recedat hæc planta, florum nempe diviſura magis æquali & labio ſuperiori integro, differentia tamen non eſt tanta, ut a Clinopodii genere excludi mereatur. Flores nempe in quatuor ſegmenta pæne æqualia dividuntur, ſegmento ſuperiori, quod galeæ vicem præſtat, integro, ſurrecto, ab initio concavo, per vetuſtatem reflexo, inferiori propendente & leniter in medio excavato, lateralibus utrinque expanſis & ſuperioris inſtar ab initio concavis, dein planis. Flores albicant, vel potius leviter incarnati ſunt; quoniam nempe multis ubique punctis purpureis (per vetuſtatem cæruleſcentibus) quæ carneum ſupra album colorem efficiunt, reſperſi ſunt. Calyces graciles, gibboſi, bipartiti, ſegmento ſuperiori tribus anguſtis laciniis, inferiori duabus brevioribus

vioribus diviſo. Qui calyces figura marginali prima & ſecunda, tertia vero flores ſeorſum exhibentur.

Verticilli nunc duo tantum, nunc tres quatuorve, magni, ramoſi ſummis caulibus & ramulis adnaſcuntur; nempe ad ſingula genicula folia ex adverſo bina, iis, quæ in reliquo caule, ſimilia naſcuntur, e quorum alis utrinque in pediculo communi corymbus calycum & florum naſcitur, in unum verticillum coïens, primario pediolo in alios minores diviſo & ſubdiviſo, ea ratione, ut in medio & divaricatione ipſorum calyx & flos ſemper reſideat, ad divaricationes autem ſingulas ſingulum ſubjiciatur folium, quod, quo baſi proximius, eo majus, quo vero diviſiones a baſi longius receſſerint, eo minus ſemper redditur, donec ad capillaceam fere tenuitatem perventum fuerit. Hac ratione verticilli iſti magni, rotæ inſtar caules & ramulos ambientes, conflantur.

Planta eſt caule obtuſe quadrangulo, ſeſquicubitali & bicubitali, ad ſingula genicula binos emittens ramos ſubteretes, & bina gerens folia, Menthæ paluſtris folio oblongo *C. B.* ſimilia, nempe utrinque acuminata, in medio latiora, per margines obiter dentata, molli tenuique lanugine incana obducta; odoris aromatici, ex Majorana & Origano veluti mixti. Folia inferiora ſuperne viridia ſunt, inferne incana, ſuperiora magis incana fiunt minuſque dentata ſunt, ſuprema & verticillis ſubjecta plane non inciſa, tota vero incana obſervantur.

Eſt Clinopodium majus Virginianum, non ramoſum, verticillis majoribus, floribus brevioribus carneis *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 374. *n.* 4. Clinopodium maximum Virginianum, verticillis majoribus, floribus minoribus carneis *Ibid. Sect. II. Tab.* 8. *ſer.* 1. *fig.* 4. In qua figura flores nec in verticillis, nec ſeorſum recte expreſſi ſunt, cetera ſat bene ſe habent: deſcriptio licet ad virentem plantam facta, nimis eſt ſuperficialis. Cur etiam non ramoſum dicatur, rationem non video. Nobis plerumque, ſuperiora verſus, ramoſum obſervatum.

Huic idem eſt, Clinopodium Serpentaria dictum, latiori folio, capitulis grandioribus, ex Provincia Mariana *Pluk. Mant. p.* 51. *Tab.* 344. *fig.* 7. quæ figura ad plantam ſiccam facta multo minus, quam illa, bona eſt: & Clinopodium incanum ſeu cinereum, foliis longiuſculis, verticillis in ſummo caule, Marilandicum *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 298. *n.* 1. qui ex ſicca deſcripſit, ſic ſat bene: item Clinopodium Virginianum album, fragrans, latifolium Pet. Hort. Sicc. n. 53. *Raj. ibid. App. p.* 243. Videtur etiam Origanum foliis ad ſummitatem caulium canis, floribus multis pallide cæruleis in cymis ramorum denſe ſtipatis Baniſt. Cat. apud *Rajum Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1229.

Ceterum non tantum in Marilandia & Virginia, ſed in Carolina etiam naſcitur. Sole Virginem tenente nobiſcum floret. Perennis eſt planta.

CLINOPODIUM RUGOSUM, CAPITULIS SCABIOSÆ T. LXXV. F. 86.

SI cuiquam etiam ex antiquis generibus hæc planta aſſocianda fuerit, non aliud occurrit, cui magis reſpondeat, quam Clinopodii genus. Nam flores in ſimilia capitula congeſti naſcuntur & figuram habent Clinopodii floribus proxime accedentem. Caules recti ſunt, quadrangulares, ſubhirſuti, bicubitali & amplius altitudine,



Clinopodium Menthæ folio, incanum & odoratum.



Clinopodium rugosum, capitulis Scabiosæ.

dine, verſus mediam partem ramos e foliorum alis emittentes, in quorum tam ipſius caulis, quam ramorum, verſus ſummos caules naſcentium, ſummitatibus capitula in pediculis ab initio brevioribus, dein longioribus naſcuntur, Scabioſæ æmula, corona nempe folioſa cincta, calycum mucronibus, ut in Scabioſa, prominulis, e quibus flores naſcuntur parvi albidi (hos ſeorſum vid. figura marginali prima) labio ſuperiori latiuſculo, in duo ſubrotunda, ab initio concava, dein modice reflexa ſegmenta diviſo, purpureis punctis diſtincto, lateralibus laciniis minoribus, utrinque reflexis, coloris candidi, ſegmento inferiori longiuſculo propendente concavo, coloris ex luteolo herbacei. Flores, præſertim antequam aperti ſunt, parte exteriori piloſi ſunt. Calyces (figura marginali ſecunda) breves in quinque anguſta albida, invicem fere æqualia, ſegmenta diviſi ſunt, duo ſaltem poſteriora reliquis nonnihil anguſtiora ſunt, exterius parum aut non ſtriati, in capitulum Scabioſæ æmulum, ut ſupra dictum, arcte ſine pediculis congeſti, nullis foliis aut ligulis intermixtis, in quibus ſemina latent quatuor, parva, nigra, lucida. Cujuſmodi ſubter capitula folia & in aliis quidem Clinopodii ſpeciebus obſervantur, ſed minus æqualia & obſervabilia, præſertim in vulgari Origano ſimili, in quo adeo tenuia ſunt, ut vix conſpiciantur. Ceterum capitula illa contrario ſitu decuſſatim ſibi reſpondent, & tria, quatuor & plura paria in eodem ramo locantur.

Folia, ut in aliis Verticillatis, conjugata decuſſatim poſita ſunt, rugoſa, ſubhirſuta (pilis pertenuibus, nec niſi in nervo averſo apparentibus) per margines obtuſe crenata, inter Cardiacæ & Lamii media, aſpectu foliorum & totius plantæ quodammodo Leonuri, colore luteo-virente, odore, ſi terantur, Scordii, ſed minus forti, ſapore amaro, Lupulum æmulante. Quæ in latere figuræ utrinque appinguntur, ex inferioribus foliis ſunt.

Originis eſt Carolinenſis, planta perennis, quotannis Octobri menſe in Horto Elthamenſi florens, in quo alia & diverſa ſpecies habetur, in Barbadenſi & Jamaica Inſula naſcens, floribus & capitulis huic ſimilis, ſed foliis majoribus, magis hirſutis, prædita, corona folioſa capitulis ſubjecta breviore & e paucioribus foliolis, ſex ſeptemve, cum noſtra foliola longiora duodecim & plura obtineat, compoſita, quæ variis nominibus propoſita, deſcripta & depicta fuit. Vocata nempe fuit, Scabioſæ affinis Chryſanthemi facie, Lamii foliis Americana *Pluk. Alm. p.* 335. *Tab.* 222. *fig.* 7. Dein Mentha meliſſoides Americana, prope ſummitatem caulis floribus ex alis longo pedunculo Lupuli adinſtar glomeratis *Eid. Mant. p.* 129. Porro Sideritis ſpicata, Scrophulariæ folio, flore albo, ſpicis brevibus habitioribus rotundis, pediculis inſidentibus *Sloan. Cat. p.* 65. *Hiſt. Tom. I. p.* 174. *Tab.* 109. *fig.* 2. Et Mentha Americana inodora, foliis ſubincanis, floribus longiſſimis pediolis inſidentibus Hermanni *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 284. *n.* 7. quod ſynonymon ſecure ex Phytophylacii Sherardini auctoritate adjicio. Quam longe autem a Menthæ, Sideritidis & Scabioſæ genere differat hæc planta, ex floris & capitulorum, quæ cum hac ſpecie congruunt, figura conſtat.

Meliſſa altiſſima globularia *Plum. Catal. p.* 6. hujus etiam generis ſpecies eſt, quæ an eadem ſit cum modo memorata ſpecie ambigo, quoniam altiſſima, in Hiſtoria vero Jamaicenſi tripedalis dicitur, & quoniam Plumierus folia ampliora & longioribus pediculis innaſcentia in Delineationibus ſuis exhibet. Sed hæc acci-

dentalia videntur. In Horto quidem Elthamenſi ad quinque & ſex pedum altitudinem aſſurgit, & folia habet, antequam floret, ampla, ubi vero floret, anguſtiora.

CLITORIUS TRIFOLIUS, FLORE MINORE CÆRULEO T. LXXVI. F. 87.

HOc genus primus advertit & Clitorii nomine diſtinxit *Petiverus* apud *Rajum Hiſtoriæ Plantarum Tom. III. App. p.* 243. ubi duas hujus generis ſpecies, nempe Clitorium Marianum trifoliatum viridem n. 54. & Clitorium Marianum trifoliatum ſubtus glaucum *n.* 55. recenſet, derivato nomine a Flore Clitoridis Ternatenſibus *Breyn. Plant. Exot. Cent. p.* 76. quæ hujus generis ſpecies eſt, foliis pinnatis prædita. Non longe poſt Ternateam hoc genus vocavit & ab aliis, Papilionaceo flore gaudentibus, ſequenti ratione diſtinxit *Tournefortius Comm. Acad. Reg. Scient. A.* 1706. *p.* 84. nempe quod vexillum alas & carinam pæne occultet & quod ſemina ſubrotunda ſint; quibus notis addit folia pinnata. Verum cum, ut ex memoratis modo ſpeciebus conſtat, trifoliatæ, eæque plures, quam pinnatæ, reperiantur hujus generis ſpecies, in aliis orbis terrarum partibus naſcentes, Petiveriana denominatio non immerito retinenda & Tournefortianæ præferenda videtur. Ceterum notis illis inferri debet, florum ſitus inverſus, (qui non tam bene a Breynio, quam a *Rivino*, Phaſeoli foliis pinnatis titulo expreſſus eſt) vexillum nempe amplum eſt & inferiorem, cum in aliis Papilionaceis ſuperiorem, locum occupat, & quod carina cochleata non ſit, Phaſeoli inſtar; quæ notæ magis, quam ſupra relatæ, eſſentiales videntur. Nec contemnendæ ſiliquæ porrectæ ſtrictiores & magis, ab initio quidem, compreſſæ, in quibus ſemina latent minora & magis tumida, & duo foliola membranacea calycibus appenſa, quæ in noſtra hac ſpecie minora & minus, quam in aliis, conſpicua ſunt.

Sarmenta hæc ex eadem radice plurima profert, fili inſtar gracilia, tres, quatuor & amplius cubitos longa, crebra convolutione, a ſiniſtra dextrorſum ſcandentia, quibus terna in pediculis tenuibus adnaſcuntur folia oblonga, modice cava, venoſa, tenuia, ſubrigida, ſuperne viridia, inferne pallidiora, quæ licet glabra viſu appareant, tactu tamen ſubaſpera ſentiuntur, e quorum alis in pediculo communi unciali duo plerumque flores naſcuntur, quorum carina & alæ ſuperiorem, vexillum autem inferiorem locum occupant, coloris, antequam aperiuntur, herbacei, aperti vero intus e violaceo ad cæruleum vergunt, extus obſolete e viridi albicant. Refractarii autem ſunt flores, nec niſi in caldario & ſole urgente facile, explicantur plures etiam ante, quam eo perveniant, decidere ſolent.

Siliquæ ſubnaſcuntur porrectæ, ab initio obſcure virentes & compreſſæ, per maturitatem ſubfuſcæ & nonnihil (minus tamen quam vulgaris ſpeciei) toroſæ, in quibus ſemina latent parva, oblongo-rotunda, reniformia, fuſca, maculis obſcurioribus ſubpuniceis variegata, & hilo obſcure albicante diſtincta. Ex altero figuræ latere ſiliquæ num. primo, ex altero ſemina matura num. ſecundo, ſuperius vero num. tertio & quarto flores aliquot ſeorſum appinguntur.

Æſtate floret & ſub Auctumnum ſemina perficit. Sponte naſcitur in Inſulis Americanis calidioribus.

Ad



Clitorius trifolius, flore minore cæruleo.



Ad hoc genus referri debet, Planta leguminoſa Braſiliana, Phaſeoli facie, flore purpureo maximo *Breyn. Cent. p.* 78. quæ trifoliata etiam eſt, cui eundem exiſtimo Phaſeolum floris vexillo ampliſſimo, ſiliquis rectis teretibus *Plum. Cat. p.* 8. *Inſt. Rei Herb. p.* 415.

COMMELINA ERECTA, AMPLIORE SUBCÆRULEO FLORE T. LXXVII. F. 88.

QUAS plantas Ephemeri nomine deſignavit *P. Hermannus in Par. Bat. p.* 142. *& ſeqq.* eæ dempto Phalangio ephemero Virginiano Tradeſcanti *Park.* quod Tradeſcantiæ nomine ob flores regulares recte diſtinxit *Floræ Jenenſis Auctor*, ad id plantæ genus referendæ ſunt, quod Commelinam inſcripſit C. *Plumier Nov. Gen. p.* 48. cujus notas facit, "flores e duobus petalis con- "ſtantes, uno verſu poſitis, & calyci quadrifolio inſidentibus, e quorum medio "ſurgat piſtillum, quod deinde abeat in fructum membranaceum tricoccum, "ſeu in tres loculos diviſum, ſemine fœtos ſubrotundo." His notis addit, "flores "plures ſimul in uno loculo concludi conchæformi." Quæ omnia, demptis ſtaminibus & apicibus, quæ non bene expreſſa ſunt, icone ſat laudabili exhibuit *Tab.* 38. Enimvero, obſervante etiam Flore Jenenſis Auctore, Edit. I. p. 56. II. p. 48. hujus generis flos non dipetalos, ſed vere tripetalos eſt & irregularis, & alterum folium, quod calyci annumerat Plumierus, ad florem potius pertinet.

Errori anſam dedit, quod petalum hoc in duabus a Plumiero viſis ſpeciebus parvum ſit & inconſpicuum, nullo colore inſigni diſtinctum, nec a calycis foliis figura diverſum. Accuratius autem examinatum perianthii foliis tenerius eſt, & vere petalon eſſe hoc foliolum, aliæ evincunt ſpecies, quibus natura amplius & colore inſigne largita fuit inferius petalon. Accedunt ſtamina, quæ ſena ſunt & petalis duplicato numero reſpondent. Quæ ſtamina id peculiare habent, quod apices duplicis ſtructuræ gerant; tria quidem ſuperiora breviora ſunt, ſurrecta, apices ab initio ſubrotundos compreſſos, dein in lacinias quadrifariam, velut in corpuſcula brachiata & crurata hiſcentes, gerentia, nullam fundentes farinam ſpermaticam; tria vero inferiora longiora ſunt, incurva & propendentia, quibus apices inhærent & longiores & craſſiores, pulverem fundentes ſpermaticum. Embryo in medio flore hæret ſubrotundus, in ſtylum oblongum propendentem incurvum, capitulo ſubrotundo terminatum deſinens. His ergo ſtaminibus terna reſpondent petala & terna calycis folia, quæ folia, petalorum inſtar, caduca ſunt & non tam florem inſidentem habent, ut Plumerus ſcribit, ſed potius petala, circa embryonem enaſcentia, ambiunt. Ceterum loculi illi ſeu thecæ conchæformes parte inferiori connaſcuntur, ſuperiori in duas valvas diviſæ ſunt, e quibus flores ſucceſſive prodeunt, fugaces, plures pediculo communi, e thecæ baſi orienti, in tenuibus pediculis privatis hærentes, ſuis ſinguli perianthiis inſtructi. Quo obſervato erroris cauſſa apparet, in quem Rajus Hiſt. Plant. Tom. II. App. p. 1906. ſub Ephemero Africano annuo dipetalo *Herman.* quod Hermannus a Phalangio ramoſo Virginiano, foliis latis, repente *Zan.* flore dipetalo, foliis minoribus & mollioribus, radice annua diſtinguit, incidit, dum, verum, inquit, ſi ego Verba Zanoni recte intelligo, in florum ſitu

"inſignis

" insignis differentia est ; nam in Plalangio Virginiano *Zanoni* flores seminalibus
" vasculis non sunt contigui, quemadmodum in hoc, nec per consequens tres
" uno calyce inclusi, sed unus tantum tripetalos tribus vasculis seminalibus postea
" se exerentibus communis, cum in hoc nullus hujusmodi flos sit, sed tribus va-
" sculis seminalibus ex eodem calyce exeuntibus terni insident flores dipetali, hoc
" est, singulis vasculis singuli." Nimirum Rajus pro calyce habet thecam illam conchæformem, ut ex translatione descriptionis Zanoni Hist. Plant. Tom. II. p. 1194. n. 2. apparet, ubi *calycem* vertit, quem *receptaculum* vocat Zanonus, in cujus nempe sinu & flores, antequam aperiuntur, & calyces veri & vascula reconduntur. Patet etiam bipetalum florem & calycem quadrifolium minus recte Africanæ suæ annuæ speciei tribuisse Hermannum in Par. Bat. p. 146.

Hæc speciei, cujus nomen supra recitatum, præmittere necessarium fuit visum. Radix ei perennis non repens, e pluribus constructa fibris longis crassiusculis (calami crassitie) parum fibrosis, Petroselino non dissimilibus, recta demissis, e qua caules nascuntur sesqui & bipedales, subhirsuti, virentes, teretes, erecti, ad quorum genicula folia nascuntur, caules vaginæ instar ad basim cingentia, inde ampliata & in oblongum mucronem desinentia, venis parallelis, secundum nervum medium decurrentibus, inscripta, subhirsuta, sed non, nisi ad vaginam, pilosa.

E foliorum superiorum alis folliculi nascuntur conchæformes, tenuibus venis longitudinalibus præditi, subhirsuti & pilosi, brevioribus, quam sequentes species, pediculis insidentes, e quibus successive flores prodeunt pallide cærulei & fere cinerei, ampliores, quam sequentium, per margines plicati & velut crenati, in superficie tenuiter striati, veluti dipetali: nam duo superiora petala tantum conspicua sunt, inferius autem parvum perangustum est, ligulæ instar, albicans & pellucidum, intra perianthii folia lateralia absconditum. Perianthium vero e tribus foliolis tenuibus, ex herbaceo albicantibus, superiori quidem minori, lateralibus nonnihil amplioribus componitur: Quæ lateralia folia non raro petalorum speciem mentiuntur, ampliora nempe fiunt, tenuiora & colorem subcæruleum induunt, & fit subinde, ut invicem connascantur, & petali naturam assumant, quo non obstante verum petalum inferius & tenue constanter adest, horum sinu reconditum.

Stamina in medio flore hærent sena, quorum tria superiora breviora apices inanes, ab initio bracteatos & integros, dein quadrifariam dehiscentes, flavos gerunt, tria inferiora longiora sunt & propendent, apices oblongos crassos fariniferos, flavos item gerentia, quorum medium sursum magis vergit, medium floris locum occupans, apicem ferens reliquis crassiorem, & magis plerumque incurvum. Vascula subnascuntur subrotunda, obtuse trigona, trisperma. Figura marginali prima apices & stamina inferiora, secunda stamen & apex medius, tertia tria superiora, quarta stylus, omnia e flore nondum aperto desumpta, quinta eadem cohærentia e flore aperto designata sunt: figura sexta petalum verum inferius, septima & octava fructus exhibentur.

Phalangium ramosum Virginianum, foliis latis, repens *Zan. Hist. Bot. p.* 90. *fig.* 35. *Raj. Hist. Plant. Tom. II. p.* 1194. *n.* 2. huic proxime accedit; sed differt caulibus majoribus, magis ramosis, & magis procumbentibus, radice longe lateque repente, foliis amplioribus rigidioribus, flore hilare cæruleo, evidentius tripetalo.

Ephemerum



Commelina erecta, ampliore subcæruleo flore.



Commelina procumbens annua,
Saponariæ folio.

Ephemerum phalangoides Virginianum majus erectum *Pluk. Alm. p.* 135. *Tab:* 174. *fig.* 4. Pſeudo-Phalangium ramoſum, majus erectum *Baniſt. Cat. Stirp. Virg.* foliis anguſtioribus & lævioribus, flore, ſecundum ſpecimen ſiccum Phytophylacei Sherardini, ſaturatius cæruleo, thecarum pediculis longioribus a noſtra ſpecie differre videtur.

Ceterum videtur mihi hanc ſpeciem Ephemeri erecti Noveboracenſis, Cardamomi foliis nomine deſcripſiſſe *P. Herm. Par. Bat. p.* 151. licet ipſi radicem reptantem adſcribat Hermannus dicto loco. Forte etiam hanc intelligit per Ephemerum phalangoides Floridanum erectum, Lilii Convallium foliis lævibus, ad vaginas caulium molli hirſutie imbutis *Pluk. Amalth. p.* 73. licet noſtræ folia ſubhirſuta ſint.

COMMELINA PROCUMBENS ANNUA, SAPONARIÆ FOLIO T. LXXVIII. F. 89.

PLURES hæc ex eadem radice fibroſa annua pedales, bipedales & longiores ſpargit caules, humi procumbentes & ad genicula radices agentes, ex tereti nonnihil anguloſos, glabros, coloris virentis, parte ſuperiori, qua cælum ſpectant, non raro purpureos, ramoſos, ad quorum genicula, quæ nodoſa, folia naſcuntur, caules vaginæ inſtar aliquouſque cingentia, inde mox ampliata, & ex lata baſi mucronata, Saponariæ ſimilia, ſuperne viridia, inferne pallidiora, ſubglauca, venis ſecundum nervum medium parallelis exarata, glabra ſi verſus apicem, at, ſi contra baſim ſtringas, ſubaſpera, pilis ubique deſtituta, præterquam ad vaginarum margines, qui leviter piloſi ſunt.

E foliorum ſuperiorum alis pediculi naſcuntur teretes, theca terminati membranacea compreſſa, viridi & glabra, e qua ſucceſſive flores prodeunt teneri & cito tranſeuntes, amœne cærulei, media inter præcedentem & ſequentem ſpeciem magnitudine & colore, e duobus petalis latioribus, ſuperiorem locum occupantibus, coloratis, invicem æqualibus, tenuibus ſtriis in ambitum ductis exaratis, ab initio concavis, dein planis, tandem reflexis, nonnunquam in ſummo diviſis & velut cordatis, plerumque per margines in floribus plene explicatis tenuiter crenatis, & uno minore concavo, pellucido albicante, ſubter ſtamina locato & inferiorem mediam partem occupante, compoſiti. Perianthium e tribus foliolis teneris & pellucidis conſtat, duobus nempe lateralibus nonnihil majoribus, & uno minori, ſuperiorem & poſticam floris partem occupante. Stamina ſena reliquis ſimiles apices gerunt, & inferius medium ſtamen apicem ſubinde habet infœcundum, ſuperiorum inſtar fiſſum. Colore apices ſuperiores ſunt flavo, inferiores obſolete ex luteo virente. Vaſcula reliquis ſimilia, & tam flores, quam vaſcula plura eidem pediculo communi hærent.

Seorſum figura prima flos, ſecunda perianthii folium ſuperius & poſticum, tertia & quarta folia lateralia, quinta petala inferiora, ſexta ſtamen & apex ſuperior & non farinifer exhibentur.

Sponte non tantum in Inſulis Americanis calidioribus, ſed & in Continente, nempe Braſilia, quin & in Africa naſcitur. Æſtate floret, eodem cum præcedenti & ſequenti ſpecie tempore.

Plantæ innominatæ primæ nomine deſcribitur a *Marcgr. Hiſt. Plant. Braſ. L. 1. C. 6.* & figura ejus, ſed minus bona, exhibetur. Non tam melior, quam pejor eſt, Gentianellæ Indicæ *Bont. Hiſt. Nat. L. 6. C. 58.* figura, qua hæc planta deſignari videtur, cujus deſcriptionem parum ſatisfacientem recenſet *Rajus Hiſt. Plant. Tom. I. p. 721. n. 14.* ſicuti illam ex Marcgravio, Dipetalæ Braſilianæ, foliis Gentianæ aut Plantaginis nomine *Hiſt. Plant. Tom. II. p. 1332.* Phalangii Africani perfoliati titulo ejus mentio facta videtur in *Breyn. Exot. Cent. p. 180.* In *Hort. Lugd. Bat. p. 231.* vocatur, Ephemerum Africanum annuum, flore bipetalo, & breviter dicto loco deſcribitur, cujus ſub dicto nomine figura extat in *Hiſt. Oxon. Part. III. Sect. XV. Tab. 2. Ser. 2. f. 3.* reliquis quidem melior, ſed nec ipſa ex omni parte bona: deſcriptio dicto loco deeſt. Denuo paucis mutatis & additis breviter deſcripta fuit ab *Herm. Par. Bat. p. 145. 146.* Ephemeri Braſiliani ramoſi procumbentis bipetali, foliis mollioribus titulo. In *Pein. Hort. Boſ. 1699.* vocatur, Phalangium Africanum flore cæruleo dipetalo, annuum; & in *Plumieri Novis Generibus p. 48.* Commelina graminea latifolia, flore cæruleo.

COMMELINA RADICE ANACAMPSEROTIS

T. LXXIX. F. 90.

RADIX e pluribus veluti parvis Napis conſtat, in ſummitate craſſioribus, inferius tenuioribus, Anacampſerotis vulgaris radici plane ſimilis, e qua cauliculi aliquot naſcuntur dodrantales & pedales, erecti, aut leniter tantum reclinati, teretes, ſimplices, ſubinde in ramos aliquot ad baſim enaſcentes diviſi, tenuiter ſtriati, virentes, ad genicula, qua foliorum vagina cinguntur, plerumque purpurei, non piloſi, foliorum autem margines, præcipue verſus vaginam, piloſi ſunt, ut & foliorum averſa pars. Ceterum folia nervoſa ſubaſpera ſunt, quam præcedentium nonnihil minora, venis vel ſtriis, quam præcedentis, profundioribus exarata; quatuor autem vel quinque in unoquoque latere ſecundum nervum medium venæ parallelæ decurrunt. Color foliis parte ſupina viridis, prona pallidior, ſubglaucus eſt.

E foliorum, ſuperiorum præſertim, ſinu pediculi naſcuntur oblongi teretes, pilis, caulis inſtar, deſtituti, qui folio carinato & complicato terminantur, hirſuto & piloſo, ſtriis longitudinalibus purpureis diſtincto, & venis tranſverſis exarato, in quorum ſinu flores hærent glomeratim congeſti, quorum capitula, antequam aperiuntur, reſupinata jacent, ſummitatibus cælum, pediculis & baſi carinam ſpectantibus, dein, ubi aperiuntur flores, anterius, nempe verſus carinæ extremitatem vergunt, & pediculis ſurrectis inſident; poſteaquam vero, quod cito fit, petala præterierunt, poſteriora verſus, ad baſim nempe carinati folliculi vaſcula & pediculi privati reflectuntur, quod & in reliquis hujus generis ſpeciebus fieri ſolet. Ceterum flores manifeſte tripetali ſunt, e tribus nempe petalis coloratis & eadem pæne magnitudine præditis conflati, ab initio concavis, dein reflexis, non ſtriatis & magis, quam præcedentium, æquabilibus & per margines non crenatis, nec plicatis, petalo inferiori obtuſe mucronato & veluti cordato propendente, ceteris ſurrectis & ſubrotundis; qua de cauſa pro irregularibus habendi

P. 94. F. 90. T. LXXIX.



Commelina rddice Anacampserotis.



bendi ſunt flores; eo magis, quod ſtamina difformia ſint & irregularem ſitum obtineant; ea enim in petalum inferius partim incurvata propendent, partim ſuperiora petala reſpiciunt: illa quidem longiora & magis incurva, apices gerunt craſſiores & longiores, parte interiore flavos, exteriore cæruleos, fariniferos, in lacinias, inſtar illorum, non dehiſcentes (præterquam medio, quod ſubinde illorum inſtar finditur): hæc breviora apices gerunt ab initio ſubrotundos & compreſſos, in lacinias incurvas flavas quadrifariam dehiſcentes, farina carentes & flore fatiſcente in fili tenuitatem abeuntes.

Floribus color eſt elegantiſſimus, abſque alia mixtura ſimpliciter & pure cæruleus, ſaturatior quam præcedentis ſpeciei. Ceterum minores plerumque, quam illius, ſunt flores, ſubinde tamen majores, cujuſmodi aliquot ſeorſum figura octava & nona appicti ſunt, naſci ſolent. Perianthium triphyllum deciduum eſt, vireſcens, foliolo ſuperiori reliquis minori, duobus petalis ſuperioribus a tergo appoſito, inferioribus autem, ſeu lateralibus foliolis aliquanto majoribus, petalon inferius ſeu anterius ambientibus. Stylus ex medio embryone prodit incurvus, cum ſtaminibus inferioribus in petalon inferius procumbens. Vaſcula ſubnaſcuntur parva tumida, a ſtylo reſiduo apiculata, obtuſe trigona, tricapſularia & triſperma, plura pediculo communi innaſcentia.

Figura marginali prima flos de parte poſteriore, ut perianthium appareat, ſecunda petalon inferius, tertia vaſcula cohærentia, quarta vaſculum ſeparatum, quinta & ſexta idem tranſverſim diſſectum, ſeptima ſemina, quæ per maturitatem obſcure fuſca & pulla, anguloſa & rugoſa fiunt, exhibentur.

Perennis eſt hæc ſpecies, Julio & Auguſto florens, orta nobis ex ſeminibus Mexicanis.

Matlalytztic Tetzocana: Triorchis Mexicana *Hiſt. Mexic. p.* 253. videtur eſſe noſtræ eadem planta, licet nec deſcriptio, nec figura bene reſpondeat. Defectus quidem illius Hiſtoriæ ſatis ſunt noti; figuræ autem pleræque omnes rudes ſunt & imperfectæ, deſcriptiones inaccuratæ. Folia dicuntur ſerrata, & talia in margine figuræ primariæ appicta ſunt, quæ in noſtra piloſa ſunt: caules porro digitum craſſi dicuntur, qui dimidium nobiſcum digitum craſſitudine non ſuperant: radices Triorchidis adſcribuntur, at figura e multo pluribus, quam tribus partibus, conflatam demonſtrat.

P. Hermannus in Par. Bat. p. 150. dictæ Hiſtoriæ plantam vocat, Ephemerum Mexicanum erectum, ſerrato folio; & *Plukenetius in Alm. p.* 134. Ephemerum phalangoides Mexicanum ſurrectum, radice palmata; licet non ſit veriſimile, quenquam ipſorum plantam, præterquam ex icone illa, cognoviſſe.

Naſci dicitur in montibus Mexicanis. Radix, ut refertur in dicta Hiſtoria, diſcutit tumores præter naturam a cauſa calida ortos, tuſa ac applicata, aut devorata duarum drachmarum menſura, humorum impetus coërcet, ſanguinis reprimit redundantiam, æſtumque refrigerat.

CONVOL-

CONVOLVULUS CÆRULEUS, HEDERACEO ANGULOSO FOLIO C. BAUH. PIN. P. CCXCV. N. V. *T. LXXX. F.* 91.

HUJUS iconem, quod a pleriſque non abſque nævis fuerit exhibita, tum ad emendationem illarum, tum ad differentiam ſequentis clarius percipiendam adponere libuit; deſcriptionem interea, cum ab aliis, *Jo. Bauhino* præcipue *Hiſt. Plant. Tom. II. L.* 15. *p.* 164. accurate ſatis tradita ſit, omittens.

Naſcitur hæc ſpecies non tantùm in India utraque, ſed in Africa etiam, exiſtimaturque eſſe Nil Arabum, cujus grana vel ſemina phlegmatis purgandi ergo adhibuerunt; in Horto vero Elthamenſi quotannis, pro ſationis & tempeſtatis ratione, maturius aut ſerius floret & ſemina perficit, quibus peractis perit.

CONVOLVULUS CÆRULEUS, HEDERACEO FOLIO, MAGIS ANGULOSO T. LXXX. F. 92.

CONVOLVULUS hic a præcedenti differt præcipue foliis, quæ nonnihil latiora ſunt, & angulos ſinuſque habent plures & rotundiores. Præterea calyx ejus multo magis hirſutus eſt, & pediculo communi longiore ſuſtentatur. Porro flos, ſi accurate inſpicias, ſegmenta habet obtuſiora, minus ſerrata, nec æque profunde inciſa, niſi per vetuſtatem; ſimulac enim flos plene expanſus eſt, mox fatiſcere ſolet & in quinque ſegmenta, etiam ſponte ſua, hiare, ac velut lacerari ſolet, ſicuti hoc in figura noſtra ad folium inferius & majus exprimitur. Ceterum flores, ut in præcedenti, ſub noctem præcipue explicantur, ſub meridiem autem ſequentis diei ſinguli fatiſcere ſolent.

Vaſcula ſubrotunda, nempe obtuſe trigona ſunt, acuto apice terminata, in tria ordinarie loculamenta diviſa, in quibus ſemina ſubtriquetra, duobus lateribus plana, tertio rotundata & in dorſum elevata, villoſa, fuſco-nigra, duo triave; ſenarius tamen numerus magis naturalis videtur. Quæ vaſcula & ſemina, tam in hac, quam præcedenti ſpecie, ſeorſum appicta ſunt.

Annua eſt planta, quæ ſponte naſcitur in Virginia & Carolina, unde ſemina tranſmiſſa Auguſto & Septembri menſibus flores ſuos amœne cæruleos dederunt.

Solus *Parkinſonus* deſcripſit hanc ſpeciem, idque breviter, Convolvuli trifolii Virginei nomine, cujus deſcriptionem latinam fecit *Rajus Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 727. *num.* 17. Folia autem non tam minora, ut Parkinſonus vult, quam potius æqualia, immo majora, quam præcedentis, nobis viſa ſunt. Ceterum *Parkinſonus* folia ſaltem hujus præcedentis figuræ, quæ ex Dodonæo, appoſuiſſe videtur *Theatr. Bot. p.* 169. in qua (præcedentis) figura flos non bene exprimitur, ſicuti & in pleriſque reliquis Auctorum figuris, excepta Horti Eyſtettenſis figura, quæ id tantum vitii habet, quod hirſutiam omiſerit calycum & cauliculorum, & quod lacinias floris minus diſtincte expreſſerit, quamvis & a prima explicatione eæ non æque conſpicuæ ſint.



Convolvulus cæruleus, hederaceo angulosso folio C.B.

F. 92.

Convolvulus cæruleus, hederaceo folio, magis angulosso.

P. 97. *Convolvulus cæruleus major, folio hederaceo.* T. LXXXI.



CONVOLVULUS CÆRULEUS MAJOR, FOLIO HEDERACEO T. LXXXI. F. 93.

A Nil Arabum, cui proxime accedit hæc ſpecies, diſtinguitur, quòd illius folia omnia anguloſa ſint, hujus vero folia ſuperiora & ſubinde quædam ex inferioribus non angulata obſerventur, ſed præcipue floribus, qui in hac ſpecie ampliores ſunt.

Flores autem e foliorum alis naſcuntur ſolitarii, pediculis perbrevibus inſidentes, ampli, duorum præcedentium inſtar elegantiſſime cærulei, fundo albicante, ſub noctem & mane ſe aperientes, de meridie marginibus, ut in aliis, introvolutis ſe claudentes & brevi evaneſcentes, colore amœne cæruleo in purpuraſcentem tum tranſeunte. Flores, ut ceteræ ſpecies, plicas obtinent quinque, a quibus ſtriæ in ambitum floris ducuntur, & inter ſingulas plicas angulus vel linea altius impreſſa decurrit, de quarum extremitate, poſtquam plenam expanſionem obiere, flores in quinque partes rumpi ſolent, ceu in pleriſque reliquis hujus generis ſpeciebus contingit. Calyces oblongi quinquefidi, piloſi ſunt. Vaſcula ſubnaſcuntur craſſa, ſubrotunda, aliorum hujus generis inſtar formata.

Sarmentis longis gracilibus perticas & quæcunque apprehenderit, dextrorſum ſcandit, in quibus folia naſcuntur varia; ſuperiora enim, & ſubinde media quædam integra ſunt, ex rotundo in oblongum producta, inferiora anguloſa ſunt, Convolvulo cæruleo hederaceo anguloſo folio *C. B.* ſimilia, leniter hirſuta, viridia, ſubtus nonnihil pallidiora. Foliorum pediculi oblongi piloſi ſunt, cujuſmodi & caules obſervantur.

Annua eſt planta & Majo menſe floruit hæc ſpecies, nata ex ſeminibus per naves, quæ Gambiam, Æthiopiæ fluvium, mancipiorum cauſa adnavigare ſolent, allatis.

Alia nobis nata fuit e ſeminibus Bengalenſibus ſpecies, floribus huic ſimilis, ſed longe minoribus, dimidiam ſaltem hujus magnitudinem obtinentibus, quam ſequentis vero nonnihil majoribus, cujus figuram, cum in ceteris non differat, omitto.

CONVOLVULUS CÆRULEUS MINOR, FOLIO SUBROTUNDO T. LXXXII. F. 94.

Sarmenta gracilia prælonga e viridi obſcure purpuraſcunt, quæ aliorum inſtar, contrario Solis curſui motu, nempe a ſiniſtra dextrorſum perticas & vicina quævis ſcandunt, in quibus folia naſcuntur integra, cordata (anguloſa nondum obſervavi) ſubhirſuta & per margines ſuperficiemque tenuibus pilis obſita, parte ſupina viridia, prona ſubglauca, e quorum alis in pediculis ſemuncialibus & uncialibus flores naſcuntur nunc ſolitarii, nunc gemelli (quorum pediculus communis ad biuncialem ſæpe longitudinem excreſcit) coloris amœne cærulei, fundo floris candicante, non tantum quam prioris, ſed & quam Convolvuli cærulei, hederaceo anguloſo folio *C. B.* & quam Convolvuli cærulei, hederaceo folio magis anguloſo, minores & colore nonnihil ſaturatiore præditi, in orbem expanſi, qui ubi marceſcere incipiunt, quod ipſis more aliorum nyctemeri ſpatio, vel citius, ac-

cidit, in quinque lacinias rumpuntur, & mox oris in ſe volutis denuo claudun-tur, cæruleo tum in purpureum colorem tranſeunte. Calyces in quinque anguſta ſegmenta dividuntur, quibus ad baſim ligulæ aliquot appoſitæ ſunt, multis pilis oblongis albidis, e verrucis parvis virentibus orientibus, obſiti, florum autem pe-diculi (inferiori parte ex purpureo nigricantes) pilos breviores habent.

Vaſcula ſubnaſcuntur ſatis magna, rotunda, quæ antequam ſemina plene ma-tura, tranſverſim ſecta velut ſexcapſularia apparent; ſeminibus autem exemptis non niſi tricapſularia ſunt, bina in ſingulis loculamentis (per maturitatem ſubinde ſolitaria) ſemina continentia. Quæ vaſcula hoc tempore diſſecta elegans de ſe ſpectaculum præbent, nam ſtructura ſeminum, e meris foliis in ſe volutis, etiam nudo oculo cerni poteſt. Alia vaſcula plene matura quadricapſularia erant, cu-juſmodi ſeptum ſeorſum figura prima, ſecunda ſemina (quæ per maturitatem pulla, in dorſo elevata, altera parte utrinque plana & veluti reſecta) tertia va-ſculum triloculare, ſeminibus exemptis, quarta vaſculum immaturum diſſectum, quinta integrum exhibentur.

Convolvulus purpureus, folio ſubrotundo *C. B.* folia noſtro habet ſimilia, ſed duplo ampliora, & flores longe ampliores, in lacinias non, aut rarius fatiſcentes, coloris purpurei.

Annua eſt hæc ſpecies, quæ æſtate floruit nobiſcum, nata ex ſeminibus e Miſſi-ſipica regione miſſis & a D. Bern. de Juſſieu in Hortum Elthamenſem collatis.

CONVOLVULUS FLORE MINORE LACTEO, FUNDO ATRO RUBENTE T. LXXXIII. F. 95.

EX cauliculo ſublignoſo, cortice cinereo veſtito, plura ab ima parte ſarmen-ta gracilia, bicubitalia & longiora, emittit, quæ ubi pedamenti, ſi id non ſa-tis longum fuerit, ſummitatem attigerint, deorſum revolvuntur, ſed ordine in-verſo, a dextra nempe ſiniſtrorſum voluta, cum ſurſum aliorum inſtar a ſiniſtra dextroverſum ſcandant, ſi vero, quod ſcandat, deſit, trium quatuorve cubitorum lora longe lateque provoluta emittit.

Sarmenta hæc inferius fere glabra ſunt, ſuperius vero piloſa, quorum folia om-nia eadem figura prædita, cordata nempe ſunt, ſed magnitudo diverſa; inferiora nempe ampliora ſunt & pediculis longioribus, (palmaribus) inſident, ſuperiora vero minora exiſtunt, pediculis uncialibus & biuncialibus inſidentia, ſuperne vi-ridia glabraque, inferne pallidiora & nonnihil hirſuta, pilis nempe exiguis & vix conſpicuis obſita.

Flores e foliorum alis in pediculis oblongis gracilibus progrediuntur parvi ſoli-tarii, Convolvuli arvenſis communis pæne magnitudine, candidi, niſi quod ſtella, quæ inter plicas eſt, tenui flavedine tincta ſit, eo nempe colore, quo flos lactis gaudet, floris autem fundus maculam obſcure purpuream, velut oculum, in me-dio obtineat, parvam, in ima floris parte deliteſcentem, ſubito deſinentem, nec in petalon productam. Vaſcula ſubnaſcuntur ſubrotunda, quorum pediculi ad vaſculi augmentum reflectuntur & pone vaſcula craſſiores fiunt, ſtriati & glabri, inferiore parte exiguis & vix conſpicuis pilis obſiti.

Annua eſt & Auguſto menſe nobiſcum floruit hæc ſpecies, orta ex ſeminibus e

Batavia



Convolvulus cæruleus minor, folio subrotundo.

P. 99. F. 95.



Convolvulus flore minore lacteo, fundo atro-rubente

F. 96.



F. 96.



Convolvulus flore purpureo, calyce punctato.

Batavia acceptis, nomine Convolvuli Zeylanici folio Aſari, flore albo, macula purpurea notato. Verum folia nec figura, nec craſſitie Aſari foliis reſpondebant. In Paradiſi Bat. Prodr, inter Addenda vocatur, Convolvulus Sirinamenſis flore pallido, umbone violaceo, & in Catalago ad finem Paradiſi Batavi, Convolvulus Scammonei folio ſubrotundo, flore albo, umbone nigro, ut tum Phytophylacium Sherardinum, tum figuræ Parad. Bat. ineditæ, teſtantur. Unde conſtat, utriuſque Indiæ indigenam eſſe hanc Convolvuli ſpeciem. Ceteroquin floris fundus nec niger eſt, nec violaceus, ſed ſaturanter purpureus.

Conſiderent lectores, an huc referri debeat, Herba cui nomen non adſcriptum eſt, humi ſerpens apud *Marcgr. Lib. I. Cap. 9. p. 19.* Figura ſatis bene reſpondet, niſi quod folia nimis parva exhibeantur. Sed is error forte eſt, cum videamus & calycem floris omitti. Quod vero non lacteſcat, prout in deſcriptione dicitur, veriſimile non eſt; Convolvuli enim ſpeciem, quæ omnes lac fundunt, quamvis omnes non æque copioſum, eſſe conſtat.

Tiru Tali *Hort. Mal. Part. XI. Tab.* 53. *p.* 109. valde accedit noſtræ ſpeciei, ſed differt floribus nonnihil majoribus, pluribus juxta ſe in ſummis viticulis prodeuntibus, coloris purpuraſcentis, & quod folia ſuprema angulata obtineat.

CONVOLVULUS FLORE PURPUREO, CALYCE PUNCTATO T. LXXXIII. F. 96.

SARMENTA ex eadem radice emittit plura, cubitalia & bicubitalia, teretia, coloris obſcure purpurei. Folia varia ſunt, nunc enim non niſi ſubrotunda & cordata, nunc & cordata & angulata, hederacea nempe & ſubrotunda in eadem planta promiſcue obſervantur, viridia, ſubtus nonnihil pallidiora, ſubhirſuta & pilis tenuibus crebris aſperſa, cujuſmodi etiam pilos, ſed longiores, flagella, florum & foliorum, exceptis imorum foliorum, pediculi obtinent. Calyces vero magis ſunt hirſuti & pilos crebriores longioreſque habent, punctis vel tuberculis crebris nigris notati, qualia in aliis ſpeciebus, præterquam in Convolvulo cæruleo minori, folio ſubrotundo, (in quo tamen puncta minus conſpicua ab initio ſunt, ut & poſtea, quoniam colore cum calyce eodem gaudent) nondum obſervaſſe memini. Ceterum calyces in quinque ſegmenta, tria latiora & tria anguſtiora, diviſi ſunt.

Pediculi florum communes nunc breviores, nunc longiores ſunt, in quibus plures, quatuor nempe vel quinque, pediculis privatis brevioribus hærent flores, coloris ab initio ſaturanter purpurei & ad violaceum tendentis, cum fundo albicante, per vetuſtatem autem & ubi marceſcunt, pallide purpuraſcentis. Mediæ magnitudinis ſunt hi flores & oras habent nec multum angulatas, nec rotundas valde & æquales. Vaſcula ſubrotunda ſunt, per maturitatem deorſum flexa, in tria loculamenta diviſa, quæ tria naturaliter ſeminum paria continent, ſed pauca ſaltem, duo nempe, vel tria tantum ad maturitatem perducunt. Septum capſulas diſtinguens ſeorſum appictum eſt ad figuram 96. ſuperiorem, quæ eandem hanc cum inferiori plantam deſignat.

Annua eſt planta. Floruit ſubinde æſtivis menſibus, ſubinde vero ſerius, pro ſationis nempe & tempeſtatis ratione. Orta vero fuit e ſeminibus Mexicanis.

A Con-

A Convolvulo purpureo folio ſubrotundo *C. B.* differt flore minore, colore ſaturatiore prædito, & foliis, quæ in acutiorem mucronem producuntur. Deinde me non obſervaſſe memini in illo alia folia, præter ſubrotunda & cordata. Verum præcipua in calyce differentia eſt, quo ab omnibus aliis facile diſtingui poſſe exiſtimo.

CONVOLVULUS FOLIO CORDATO GLABRO, FLORE VIOLACEO T. LXXXIV. *F.* 97.

VALDE ſimilis eſt hæc ſpecies Convolvulo flore purpureo, calyce punctato, verum folia minora ſunt, pilis adeo raris & inconſpicuis donata, ut glabra potius, quam hirſuta, dicenda ſint. Porro flores pauciores, quam illius, ſaturatiores & nonnihil majores viſi ſunt, tota autem planta minor eſt minus alte ſurgit; calyces, quæ præcipua differentia, punctati non ſunt. Sarmenta vero ſeſqui & bipedalia tantum emittere nobis obſervata eſt, gracilia, teretia, glabra, pili enim, quibus omnino non deſtituitur, adeo tenues & caulibus tam appreſſi ſunt, ut vix compareant; calyces ceteroquin pilos magis conſpicuos habent, quamvis minus, ac illius, iis abundent. Folia cordata ſunt, (uniformia tantum obſervavi) ſuperne viridia, ſubtus e viridi albicantia, e quorum alis in pediculis uncialibus flores naſcuntur mediæ magnitudinis, coloris vividiſſime violacei, fundo albicante, pediculis ab initio erectis, ad vaſculorum augmentum incurvis & deorſum flexis, in ſingulis pediculis modo ſinguli, modo gemelli, de mane ad meridiem expanſi, mox, aliorum hujus generis inſtar, oris in ſe volutis fatiſcentes. Calyces in quinque æqualia ſegmenta dividuntur: vaſcula globoſa tricapſularia, duo naturaliter in ſingulis loculamentis ſemina continent: pediculi verſus vaſcula ad eorum incrementum intumeſcunt.

Majo menſe floruit hæc ſpecies, orta e ſeminibus inter Oryzam Carolinenſem repertis. Annua eſt planta.

A Convolvulo purpureo, folio ſubrotundo *C. B.* differt, quod humilior ſit, quod folia minora, glabra & flores minores violaceos, cum illius ſimpliciter purpurei ſint, obtineat.

Lectorum ſit judicare, an Mecapatli *Hiſt. Mex. L.* 8. *C.* 62. *p.* 304. ad hanc melius, vel ad præcedentem ſpeciem referatur. Flores ſolitarii & folia huic magis congruunt, at patria illi magis favet.

CONVOLVULUS FOLIO HEDERACEO, ARVENSIS FLORE DILUTE PURPUREO T. LXXXIV. *F.* 98.

E Seminibus etiam inter Oryzam e Carolina delatam (unde arvenſem eſſe colligitur) repertis natus hic Convolvulus, caulibus tenuibus rufeſcentibus, ad radicem præcipue & genicula piloſis, reliqua parte magis glabris, cujus folia, tam quæ in caulibus inferioribus, quam quæ in ſuperiori eorum parte naſcebantur, variam obtinebant figuram, alia enim integra erant & cordata, alia & pleraque, Hederæ helicis inſtar, minus crebro tamen, in tres nempe lobos tantum diviſa erant, alia inter utraque ambigebant. Folia ſubhirſuta, tenuibus nempe & vix conſpi-

cuis

Universidade de Coimbra
JARDIM BOTANICO

P. 100. F. 98. T. LXXXIV.



Convolvulus folio hederaceo, arvensis flore dilute purpureo.

F. 97.

Convolvulus folio cordato glabro, flore violaceo.



Convolvulus megalorrhizos. flore amplo lacteo, fundo purpureo.

cuis pilis obſita, marginibus lævibus, e quorum alis flores modo ſinguli, modo gemelli oriebantur, pediculis fere uncialibus, ligulis aliquot cinctis, inſidentes, Convolvuli vulgaris arvenſis minoris figura & magnitudine, coloris dilute purpurei, quorum ſtriæ inter plicas decurrentes ſubtiles erant & vix conſpicuæ.

Vaſcula globoſa, in ſummitate piloſa, bicapſularia tantum viſa ſunt, quatuor tamen valvis dehiſcentia, duo in ſingulis loculamentis ſemina glabra fuſca, aliis Convolvulis ſimilia, continentia. Hæc cum calyce figura marginali prima, ſecunda ſine calyce, tertia ſeptum intergerinum, quarta ſemina ſeparatim expreſſa ſunt.

Seminibus primo vere ſatis Sole Virginem tenente floruit, & ſeminibus perfectis exaruit in ſolo libero, in Hybernaculo vero repoſitus ſuperſtitit.

Huic reſpondere videtur deſcriptio Convolvuli folio hederaceo anguloſo, flore dilute purpureo *Sloan. Cat. Jam. p.* 56. *Hiſt. Vol. I. p.* 155. *n.* 13. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 382. *n.* 91. niſi quod radix grandis longaque & folia nonnihil majora dicantur.

CONVOLVULUS MEGALORRIZOS, FLORE AMPLO LACTEO, FUNDO PURPUREO T. LXXXV. t. 99.

EX radice perenni, craſſa & oblonga, Carotam æmulante, flagella emittit prælonga, gracilia, vix ſemiculmum craſſa, perticas & quæcunque apprehenderit dextroverſum, ut aliæ hujus generis ſpecies ſolent, ſcandentia, foliis ab imo ad ſummum uſque veſtita figuræ variæ; inferiora enim & ſuperiora integra ſunt, Phaſeolinis ſimilia, media Panduræ inſtar ſinuata obſervantur, alia ſubinde profundius angulata obſervantur. Folia inferiora palmari plerumque diſtantia ab invicem removentur, ſuperiora vero propius ſe contingunt & glabra ſunt, ut & juniora illa ex alis grandiorum enaſcentia, dilute virentia & venis magis conſpicuis exarata, cum media & inferiora folia ſubhirſuta, lanugine tenui, tactu magis, quam viſu perceptibili, obſita ſint. Ob quam tamen lanuginem non incana fiunt, ſed viridia manent, ſaltem inferiora folia aliquanto ſordidius virent, quam reliqua.

Flores e foliorum alis in pediculis tenuibus oblongis naſcuntur modo ſolitarii, modo gemelli, modo terni, ampli & venuſti, oris mox, poſtquam explicati ſunt, repandis & in quinque angulos diviſis, coloris lactei, fundo floris eleganti purpureo colore diſtincto, unde plicæ & lineæ ſtelliformes, ut in aliis Convolvulis, in oras procurrunt. Stamina in tuba floris locantur quinque, quibus apices oblongi, albi, farinoſi, ſtylum capitatum ambientes, inſident; in fundo floris liquor melleus conditur. Flores hi promiſcue, nullo obſervato certo diei tempore, & tam interdiu, quam noctu aperiuntur, & brevi tempore emarceſcunt, calyce ad baſim excepti quinquefolio, cujus duo folia exteriora breviora & anguſtiora, tria interiora latiora & longiora ſunt, florem arcte ambientia, tenuiora & pallidiora, quam ſunt exteriora folia. Embryo bicapſularis tantum & diſpermos apparuit. Semina hirſuta ſunt.

Figura primaria folia media & ſuperiora, ſuperior num. primo folium magis ſinuatum, inferior num. ſecundo folium inferius monſtrat, tertio vero numero vaſculum deſignatur.

Perennis eſt, ut ex radice conjicere licet. Æſtate quotannis floruit elegans hæc ſpecies, nata ex ſeminibus e Carolina tranſmiſſis.

Ob nimiam obſcuritatem Auctorum aſſerere non auſim, an hæc ſpecies ſit Mechoacanna *Monard.* Primus ejus figuram dedit *Lobelius Obſ. p.* 345. ubi Bryoniæ ſimilem plantam Peruvianam Mechoacæ Provinciæ vocat, radicem nempe pinxit & integram, & conciſam, qualis in Officinis paſſim proſtat: in *Iconibus p.* 625. Mechoacam Peruvianam vocat, & folia appingit ſecundum plantam, quam in Horto Coldenbergii vidit, quæ figura ſimilia plane habet inferioribus noſtræ plantæ foliis. *Hiſt. Lugdun. p.* 1902. florem pingit ex Monarde, quem nec in Editione Hiſpanica, nec Latina Cluſii reperio. Quem florem & figuræ ſuæ, ex Lobelio, addidit *J. Bauhinus Hiſt. Plant. Tom. II. L.* 15. *p.* 149. apud quem, quicquid de hac planta ab aliis ſcriptum, legi poteſt. Figura autem illa calycis potius, quam floris eſt, & juſto major facta videtur. Quæ de fructu racematim cohærente ſcribit Monardes, ex aliorum relatione incerta collecta ſunt, ni videatur is diverſas plantas Mechoacannæ nomine propoſuiſſe.

An Jeticucu ſeu Radix Mechoacan *Marcgr. p.* 41. eadem cum Monardis & Lobelii ſit, ut *Rajus* exiſtimat *Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 723. *n.* 4. certum non eſt; Marcgravius folia inferiora nimis anguloſa & Hederaceis ſimilia pingit, deſcriptio aliena non eſt.

Ceteroquin Lobelius inepte vocat Mechoacam Peruvianam, & Peruvianam Mechoacæ Provinciæ; altera enim eſt Auſtralis, altera Septentrionalis Americæ Provincia. Uſu autem venit olim, ut plantas Americanas a Provinciis, vel quæ mitterent, vel quod ibi primum inventæ fuerint, denominarent, ut præter Mechoacannam Tabacum monſtrat & Chelapa vel Jalappa; quod de poſteriori recte annotat *Parkinſonus Theatr. Bot. p.* 180. Cujuſmodi provincias & loca, Mechoacannam, Tabacum, Chiapam, Chelapam & Xalapam dari ex Geographicis notum eſt.

An Convolvulus Carolin. cordato folio, Stramonei flore Hort. Sicc. Pet. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 243. *n.* 66. noſtro idem ſit, nec affirmarim, nec negarim. Folia inferiora quidem cordata ſunt, ſed non reliqua; flos figura & magnitudine Stramonio non valde diſſimilis eſt. Vero non diſſimile, eſſe eundem.

CONVOLVULUS MEGALORRHIZOS, FLORE AMPLO PURPUREO T. LXXXVI. F. 100.

EX radice oblonga craſſa, Carotæformi, perenni, ſarmenta emittit plura, prælonga, teretia, dextrovorſum, ut in aliis, ſcandentia, glabra, crebris foliis glabris virentibus veſtita; in quibus varietas aliqua obſervatur, alia enim integra ſunt & ſubrotunda, cordis, qualis vulgo pingi ſolet, figura, alia obiter ſine ordine ſinuata, alia verſus extremitates proceſſus aliquot prominentes habent, & veluti tridentata ſunt. Flores pediculo communi innaſcuntur tres quatuorve, ampli, non pallidi, ſed ſaturatiore purpura tincti, præſertim oras verſus, fundus vero pallidior eſt, & dilutius purpuraſcit. Calyces glabri ſunt, coloris obſcure viridis.

Orta nobis eſt hæc ſpecies e ſeminibus ex Cuba inſula allatis. Sero & ſub Auctumni finem floruit, ſemina vero nondum perfecit.

Convol-



Convolvulus megalorrhizos, flore amplo purpureo.

F. 101.

F. 101.

F. 102.



Convolvulus ſtellatus, arvenſis folio glauco.

Convolvulus ſtellatus, Periplocæ rotundioris folio.

Convolvulus major folio ſubrotundo, flore amplo purpureo *Sloan. Cat. p.* 55. *Hiſt. Vol. I. p.* 154. *n.* 11. *Tab.* 98. *f.* 1. (ubi flos ex ſicca depictus) huic idem videtur. An vero Mecapatli Mecatlanenſis *Hiſt. Mex. p.* 304. huc referri debeat, dubito, ob radicis diverſitatem, & florum parvitatem.

Convolvulus ampliſſimo folio cordiformi, flore maximo purpuraſcente *Plum. Cat. p.* 1. *Inſt. R. Herb. p.* 83. ſecundum Delineationes ejus ineditas, folia habet duplo majora, longioribus pediculis inſidentia, florum autem pediculos breviores, ipſos flores nonnihil majores.

CONVOLVULUS STELLATUS, ARVENSIS FOLIO GLAUCO T. LXXXVII. F. 101.

AD cubitalem & altiorem naſcitur altitudinem, cauliculo tenui, folia alterna oblonga, arvenſis vulgaris minoris Convolvuli figura, emittente, e quorum alis in pediculis oblongis tenuibus, ſeſqui & biuncialibus flores parvi carnei, dilutiſſime nempe purpuraſcentes, naſcuntur, figura & magnitudine Speculi veneris, in quinque ſegmenta brevia expanſa diviſi, & tubo brevi, intra calycem latente, donati. Calyx autem e quinque foliis convolutis & arcte invicem impoſitis conſtat. Flores paucis ſaltem horis, Sole nempe circa meridianum verſante, explicantur.

Vaſcula ſubnaſcuntur ſubrotunda, modo tricapſularia, modo quadricapſularia, totidem, quot ſunt loculamenta, ſemina continentia. Quæ vaſcula ſeorſum in margine figura prima, ſecunda, tertia, cum & ſine calyce, figura quarta & quinta (figura ſexta florem inapertum demonſtrat) diſſecta appoſita ſunt; ubi figura prima folium ad pediculum angulatum ſimul exhibetur, cujuſmodi folia in eadem planta obſervari ſolent. Nimirum ab initio folia plana ſunt, minuſque anguloſa, Convolvulo minori arvenſi valde ſimilia, dein magis anguloſa fiunt, cujuſmodi eſt folium illud ſeorſum figura marginali prima appictum; ubi vero planta (nam perennis eſt) annoſior fit, tum folia majora, magis concava, verſus pediculum magis adhuc angulata acquirit, Convolvuli majoris albi *C. B.* inſtar, rami etiam craſſiores & tota planta robuſtior fit, florum pediculi privati breviores; cujuſmodi eſt ramus in medio Tabulæ abſque pedamento appictus, altera vero eſt plantæ junioris, quæ ex ſeminibus Mexicanis nata primum floruit Majo menſe, ſequentibus vero annis tota fere æſtate. Tota planta ſubglauca eſt & glabra.

Non memini quenquam Botanicorum hujus ſpeciei feciſſe mentionem.

CONVOLVULUS STELLATUS, PERIPLOCÆ ROTUNDIORIS FOLIO T. LXXXVII. F. 102.

CAULES huic ſunt pedales & bipedales, leviter anguloſi, humi procumbentes, niſi adminicula, quæ ſcandat, inveniat: folia cordata, in mucronem producta, figura & magnitudine Periplocæ Monſpeliacæ, foliis rotundioribus *Inſt. Rei Herb. p.* 93. viridia, lacunulis ſuperficialibus prædita, pediculis uncialibus & ſemuncialibus inſidentia, e quorum alis in pediolis brevibus flores naſcuntur plerumque ſolitarii, quandoque gemini, parvi albi, oris leviter purpuraſcentibus, in quinque ſegmenta acuminata expanſi. Flos figura inter Convolvuli & Quamoclit flores ambi-

ambigit, tubo tamen breviore ab hoc recedit & ad illum magis accedit: porro ſtamina & apices minus extant & ſibi propius adjacent, quam in Quamoclit floribus, unde conficitur hanc & præcedentem ſpeciem ad Convolvulum potius, quam ad Quamoclit pertinere. Stamina vero in tubulo floris quinque ſunt, & ſtylus ſimplex capitulo teſticulato terminatus. Calyx in quinque ſegmenta æqualia dividitur.

Vaſculum in duobus loculamentis quatuor ordinarie continet ſemina, altero latere convexa, altero plana. Ceterum vaſculum ſummitatem verſus leviter piloſum eſt, reliquæ vero plantæ partes pilis carent. Folia ſeminalia bina ex adverſo alata, Aceris fructus figura naſcuntur, quæ cum ſeminibus ſeorſum in margine figura prima & ſecunda appicta ſunt.

Annua eſt planta, quæ ſponte naſcitur non tantum in Virginia, ſed & in Carolina; unde ſemina miſſa in Horto Elthamenſi creverunt.

Eſt Scammonea rotundifolia Virginiana *Park. Theatr. Bot. p.* 164. *n.* 5. qui breviter deſcribit, non figurat: Convolvulus Virginianus cordato folio, flore obſoleto *Tradeſc. Muſ. p.* 104. ſolent autem flores per ſiccitatem obſoletum colorem acquirere: Convolvulus Scammoneæ majoris folio ſubrotundo, flore albo minore ex Virginia *Pluk. Mant. p.* 54. (Scammonea major, eſt Periploca Monſpeliaca, foliis rotundioribus *Inſt. Rei Herb. p.* 93. cujus folia huic apte reſpondent): Convolvulus Carolinianus, flore parvo ſingulari, ex alis foliorum Hort. Sicc. Petiv. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 243. *n.* 65.

CONYZA AFRICANA TENUIFOLIA SUBFRUTESCENS, FLORE AUREO BOERH. IND. ALT. PAG. CXVI. N. VII. *T. LXXXVIII. F.* 103.

FRUTICULUS eſt humilis, dodrantalem & pedalem altitudinem nobiſcum non ſuperans, caule lignoſo, digitum craſſo, qui mox verſus medium ſui in plures abit ramulos lignoſos, cortice fuſco veſtitos, & hi in alios minores virentes abeunt, quibus folia peranguſta, reflexa, ſubhirſuta, pilis nempe ad margines tenuibus aſperſa, alternato ordine brevibus intervallis apponuntur, in ſummitate vero horum ramulorum verſus æſtatis finem pediculis tenuibus oblongis, foliolis aliquot tenuibus cinctis, capitula naſcuntur virentia, ab initio ſubrotunda (non hirſuta) dein longiora & verſus extremitatem contracta, e plurimis ſquamulis anguſtis virentibus & floſculis exiguis flavis, in quinque pertenues lacinias diviſis, conflata, ſtylo tenui bicorni præditis & ſeminibus inſidentibus parvis, pappo tenui piloſo terminatis. Floſculi figura marginali prima, magnitudine naturali, ſecunda per lentem vitream aucta magnitudine, tertia ſemina ſeorſum exhibentur. Tum florum pediculi, tum ramuli extremi virentes, pilis tenuibus, foliorum inſtar, obſiti ſunt. Planta ob frequentes ramulos & denſa folia frondem capitatam nanciſcitur. Auguſto & Septembri menſibus floret.

Conyza Africana humilis, Coridis folio perennis *Vaill. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1719. *p.* 301. *n.* 35. i. e. Coma aurea Africana fruticans, foliis Linariæ anguſtioribus minor *Hort. Amſtel. Part. II. p.* 89. non eſt eadem, ſed diverſa a noſtra planta. Differt autem noſtra ab illa, quod tota planta minor ſit & frondem capitatam gerat, quod rami breviores & folia nonnihil breviora ſint & anguſtiora denſiuſque congeſta. Florum etiam capitula nonnihil minora ſunt.

Coma



Conyza Afr. tenuifolia subfrutescens, flore aureo Boerh.

Conyza Marilandica, flore purpureo.



Coma aurea Africana fruticans, foliis Linariæ anguſtioribus, minor *Hort. Amſt.* a majori *Ejuſd. Horti* differt, quod non tam alta fiat, quod folia minus ſurrecta ſint, & quod ea per margines piloſa ſint, quod omiſſum in figura *Hort. Amſtel.* Major enim folia glabra habet & non piloſa. Florum ceteroquin capitula eadem in majori & minori ſpecie.

Aſteris parvi Æthiopici, Chamæmeli floribus, Tamaricis Ægyptiæ foliis tenuiſſime denticulatis figura 4. *Phytogr. Pluken. Tab.* 271. non parum habet ſimilitudinis cum noſtra planta. Mihi quidem iſtiuſmodi vera Aſteris ſpecies nota non eſt. Capitula noſtræ in ſicca, ut pingit Plukenetius, explicantur.

CONYZA MARILANDICA, FLORE PURPUREO T. LXXXVIII. F. 104.

CONYZÆ Americanæ fœtidiſſimæ ſimilis eſt, ſed humilior, cubitalem in fictili altitudinem non multum ſuperans, cum illa ad duorum & trium cubitorum altitudinem etiam in fictili aſſurgat, caule tereti, digitum minorem verſus baſim craſſo, obſcure purpureo, inde ſenſim anguſtiore & ex tereti nonnihil anguloſo, e quo ab imo ad ſummum uſque folia alterna ſerie naſcuntur, inferius ampliora, ſuperius minora, fœtidiſſimæ ſimilia, ſed nonnihil minora, pallidiora & molliora, tenui nempe lanugine utrinque obſita & fere ſubincana, fœtida quidem, ſed minime æque, ac illius, graveolentia, e quorum alis dodrantali & pedali a faſtigio diſtantia ramuli enaſcuntur palmares, dodrantales & pedales, foliis anguſtioribus amicti, quorum ſummitati flores innaſcuntur plures in corymbis rarioribus diſpoſiti, e purpureo ad violaceum colorem inclinantes, capitulis ab initio rotundioribus, dein longioribus & cylindraceis conſtantes, quibus continentur floſculi duplicis generis; exteriores nempe perquam numeroſi ſunt & filamentoſi, adeo tenues, ut nudis oculis eorum ſtructura decerni nequeat, per vitream vero lentem in pertenues aliquot lacinias (tres ni fallor) in ſummitate diviſi videntur, e quibus ſtyli prominent tenuiſſimi bicornes, farina & folliculo carentes, ut fœminini cenſendi ſint hi floſculi, eorum vero ſinu continentur minus, ac illi, numeroſi floſculi, majores & magis ventrioſi, in quinque lacinias diviſi, quibus ſtylus eſt nonnihil, ac illis, craſſior & ſimplex, ſeu in cornicula non diviſus, utriculo inferius cinctus ſubfuſco, farinam albicantem fundente, unde hos floſculos maſculos eſſe apparet. Utrique floſculi, quin & calycis ſquamæ, demptis inferioribus, quæ ſubvirent, colore ſuperius memorato gaudent. Ceterum calycis ſquamæ anguſtæ ſunt & non admodum frequentes. Semina parva gracilia pappo tenui terminantur.

Caules, ramuli & florum capitula tenui villo, foliorum inſtar, obſiti ſunt. Folia inferiora ab iis, quæ figura noſtra habet, non differunt, niſi quod nonnihil latiora ſint. Flos & floſculi utriuſque generis ſeorſum in margine figuræ primariæ, nempe figura ſecundaria prima flos, ſecunda floſculi interiores majores & maſculi, tertia exteriores filamentoſi & fœminei appicti ſunt.

Septembri floret, liberius ſane & maturius, quam fœtidiſſima, a qua foliis molliorıbus, nonnihil minoribus, minus virentibus, odore minus fœtido, capitulis non æque numeroſis, & quod planta non æque alta ſit, differt. Ceterum tam hæc, quam illa, perennes ſunt.

Petiverus in Act. Philoſ. Lond. Num. 246. *p.* 401: *pl.* 22. Baccharin Marianam, flore pulchro rubente, dixit: Petiverum ſequitur *Vaillant*, Conyzam Marianam, flore pulchre rubente, vocans in *Comm. Acad. Reg. Scient. Anno* 1719. *p.* 299. *n.* 15. ex quo conſtat, nec huic, nec illi plantam virentem viſam, cum purpureo-violacei in virente planta flores ſint, qui dein in ſicca rubeſcunt.

CONYZA AMERICANA FRUTESCENS, FOETIDISSIMA VAILL. COMM. AC. R. SC. A. MDCCXIX. P. CCXCIX. N. XIII. *T. LXXXIX. F.* 105.

„ EUPATORIUM Americanum fruteſcens fœtidiſſimum *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 190. *n.* 37. Folia, inquit Rajus, in ſicca a D. Sherard exhibita, inferiora habebat media parte quatuor fere uncias lata, duplo longiora, acuminata, circa margines inæqualiter dentata, pediculis uncialibus: quæ caulem obſident duplo anguſtiora, oblonga, acuminata, & Jaceæ vulgaris fere figura, alternatim adnaſcentia. Caules ramoſi, ſtriati. In ſummis caulibus & ramulis flores copioſi velut in corymbum aut umbellam parvam congeſti, nudi, breves & latiuſculi, colore purpuraſcente." Horti Beaufortiani alumna erat hæc planta, nunc in Horto Elthamenſi colitur, ex quo virentis deſcriptio ſequentem in modum ſe habet.

Ad tricubitalem & altiorem uſque altitudinem ſurgit, caulibus rectis, craſſis, leniter anguloſis, foliis ab imo ad ſummum uſque veſtitis alternis, e quorum alis longa ſerie ramuli enaſcuntur ſurrecti, ſimilibus, ſed minoribus foliis veſtiti, quibus ut & ſummo cauli capitula innaſcuntur plura, denſe congeſta, ſubrubentia, quæ ob ingruens frigus, ſero enim & Novembri demum menſe ad flores proferendos ſe accingebat, ſiderata perierunt, ut de florum figura nobis non ſatisfactum ſit. Folia autem longa, pendula, per margines obiter & inæqualiter crenata ſunt, in medio latiora, extremitatem verſus ſenſim anguſtiora, ab initio & ubi primum erumpunt ſubincana, dein obſcure virentia ſuperne, inferne vero pallidiora, lanugine tum fere diſparente. Caules ad baſim pollicem circiter craſſi ſunt, in ſummitate vero culmi craſſitiem vix æquant, nec teretes exacte, nec prorſus anguloſi, lenibus nempe angulis ad foliorum & ramorum ortum decurrentibus inæquales fiunt, nec proprie ſtriati ſunt, niſi in planta ſicca. Caules ex eadem radice plures naſcuntur, non lignoſi, nec ſparſi valdeque ramoſi, ut inde fruteſcens dici mereatur, ſed ob proceritatem ſaltem, puto, ita dicta eſt. Tota planta, etiam non contrectata, graviter olet, odorem ſpirans Sclareæ, cui fœtor quidam hircinus commixtus eſt.

Sequenti anno 1729. in fictili plantata & cum æſtas præteriiſſet in Caldario repoſita bicubitalem altitudinem non ſuperavit; caules tenuiores erant, folia breviora facta, non pendula, ſed leniter ſurrecta, concinnius per margines dentata, capitula magnitudine quidem aucta, ſed non ad maturitatem producta; cum enim mediam magnitudinem adepta eſſent, flaccida perierunt, ſive quod locus eſſet juſto calidior, ſive quod nimis ſero, Novembri nempe menſe prorumperent. Hujuſmodi ramulum cum folio inferiore figura marginalis prima & ſecunda monſtrat.

Specimen

P. 106. F. 105 T. LXXXIX.



Conyza Americana fruteſcens, fœtidiſsima Vaill.



Coral Carolinenſis haſtato folio Petiv.

Specimen in Horto Beaufortiano collectum folia habet tenuiora, viridiora & magis glabra, cum floribus in ſummis tantum caulibus corymbatim diſpoſitis, reliquis, qui e foliorum alis naſcuntur, nondum explicatis. Eſt vero aliud ſpecimen in Phytophylacio Sherardino ex Carolina allatum, cum foliis nonnihil craſſioribus & magis averſa parte hirſutis, floribus e foliorum alis frequentiſſimis, corymbatim, ceu & in ſummo caule, diſpoſitis, cujuſmodi & noſtra futura fuiſſet planta, ni frigus obſtiterit. Hujuſmodi corymbum ex ſicca adjicere neceſſe habui, quoniam recens non ſuppetebat (vid. figuram marginalem tertiam). Calycis ſquamæ & pappus in ſicca obſcure rubeſcunt, &, quam præcedentis ſpeciei, breviores ſunt.

CORAL CAROLINENSIS, HASTATO FOLIO

HORT. SICC. PET. N. LXXXII. RAJ. HIST. PLANT. TOM. III. APP. P. CCXLIII. *T. XC. F.* 106.

CORAL arbor vulgaris & reliquæ, quantum conſtat, ſpecies arboreſcunt, ita ut obſervante Marcgravio Hiſt. Nat. Braſ. Libr. III. Cap. 13. Tunamtiiba Braſilienſium, quæ vulgaris hujus generis ſpecies exiſtimatur, locis natalibus in Mali ſylveſtris amplitudinem excreſcat; hincque factum eſt, ut Corallodendri nomen confinxerit Tournefortius. At hæc ſpecies humilis eſt & herbacea, caulibus pedalibus tantum & ſeſquipedalibus, junceis & fungoſis, calamo non craſſioribus, ſingulis annis emorientibus. Ceterum plures hujuſmodi caules ex eadem radice, quæ huic ſpeciei craſſa eſt, Bryoniam æmulans, quotannis enaſcuntur, non ramoſi, virides, glabri ſeu non ſpinoſi, in quibus folia, pediculis oblongis gracilibus, ad baſim nodoſis teretibus, alternatim longiuſcule ab invicem orientibus, inſidentia naſcuntur, trina in ſingulis pediculis, medio ſeu extremo folio reliquis ampliore, a baſi derepente in latum explicata, inde in ſinum levem & hinc in obtuſum mucronem deſinentia, haſtæ quodammodo figura, plana, aut leniter ſaltem in medio concava, horizontali ſitu expanſa, glabra (non tamen ſplendentia), parte ſupina ex luteo virentia, prona pallidiora & ſubglauca, non lanuginoſa (ne Phaſeolis accedens Coral arbor Floridana trifoliata, foliis ſubtus argentea lanugine villoſis *Pluk. Amalth. p.* 169. exiſtimetur eadem), nervo medio tenui & venis aliquot obliquis exarata, unde aliæ minores invicem connexæ, quæ in extremo & majori folio præcipue conſpicuæ, producuntur. Verum præter pediculos illos longiores & communes, alii longe breviores & privati ad ſingula folia obſervantur, oblique ſurrecti, ex illis velut e geniculo orientes, colore ſimpliciter viridi, cum illi e viridi ſubfuſco colore tincti ſint.

Flores in ſummis caulibus naſcuntur plures, terni alterna ſerie prodeuntes, pediculis nixi brevibus teretibus, ex umbellata in ſpicatam figuram faſtigiati, enſis modice incurvi figura, compreſſi, colore ſanguineo ſuperbientes, tenuibus lineis ſecundum longitudinem ſtriati, e quibus ſtamina vix prominent gracilia, apicibus parvis oblongis flaventibus terminata, & inter hæc ſtylus latet oblongus ſimplex. Atque hæ ſunt partes, quas flores exterius viſi exhibent, vexillum nempe tantum & ſtaminum ſummitates obviam ſunt; quod ſi vero vexillum explicetur & ſtamina ſtyluſque extrahantur, tum alæ & carina ſimul in conſpectum veniunt: hæ nempe

parvæ

parvæ ſunt, ad vexilli baſim abſconditæ, ſtylum atque ſtamina obvolventes, convolutæ, teneræ, coloris purpuraſcentis, quæ ſeorſum figuris, nempe prima & tertia alæ, ſecunda carina, quæ tam ad baſim, quam in apice diviſa eſt, & facile ab invicem ſecedit, exhibentur. Ceteroquin ſtamina verſus medium a ſummitate coëunt, & vaginæ inſtar ſtylum ambiunt; ſunt vero pro petalorum floris numero duplicata, quinque nempe longiora & totidem breviora. Stylus, ut dictum, ſimplex, acuminatus, purpureus, verſus medium craſſior & vireſcens: hic figura quinta, illa (ſtamina) quarta deſignantur e flore extracta. Calyx monophyllos, obſcure purpureus, rudimenta ſaltem inciſurarum in ſummitate monſtrat.

Radice tuberoſa, ſtatura humili, caulibus non lignoſis, ex eadem radice pluribus enaſcentibus & quotannis emorientibus, foliorum item figura a vulgari & reliquis ſpeciebus differt & diverſa eſſe ſpecies cognoſcitur.

Pluribus annis Majo menſe in Caldario Elthamenſi floruit, nata primum e ſeminibus Carolinenſibus, dein e Miſſiſipica regione allatis & Pariſiis a D. Juſſieu tranſmiſſis.

CORNUS PUMILA HERBACEA, CHAMÆPERICLYMENUM DICTA T. XCI. F. 107.

PLANTULA hæc Chamæpericlymeni nomine vulgo nota eſt, cujus deſcriptionem & figuram, præter eam, quam Cluſius Hiſt. p. 60. exhibuit, apud Herbariæ rei Auctores non invenias; qui enim aliquid de ea tradidere, ex Cluſio tranſcripſerunt. Saltem Rajus in Hiſt. Plant. Tom. I. p. 655. & Syn. Stirp. Brit: Ed. II. p. 146. III. p. 261. plantam eſſe ſingularem advertit, ſiquidem uni flori tetrapetalo plures ſuccedant acini, non in unam veluti baccam conſtipati, ceu in Chamæmoro, ſed ſuis ſinguli disjunctis pediolis hærentes, & hinc ipſi peculiare Caput & genus in Hiſtoria adſcripſit, quale autem ſit, non determinavit.

Enimvero qui Rajo flos viſus, perianthium potius eſt, in cujus medio plurimi hærent flores veri exigui, quos cum in exemplaribus plantæ ſiccis olim advertiſſem, Corni ſpeciem eſſe ſuſpicatus fui; ſed quoniam loca Britanniæ natalia mihi adire, & plantam florentem & fructus ferentem examinare nondum licuit, dedi id negotii D. Ol. Celſio, Theol. & Ling. Orient. in Univerſ. Upſal. Prof. Celeb. & Botanices cultori felici, ut nempe & flores & fructus curatius obſervaret, ex cujus obſervatione ſequentia didici.

„ Flos, ut in literis Jul. 29. 1731. ad me datis, refert, quatuor petalis majo-
„ ribus albis, floſculos perplurimos, ſuis ſingulos pediculis inſidentes, continet,
„ eoſque tetrapetalos, obſcure purpureos, ſuis cum ſtaminibus, apices luteolos
„ gerentibus, & piſtillo in medio nigello, unde fructus formatur in Catalogo meo
„ deſcriptus.” Scripſit nempe Clar. vir Floram Uplandicam, ſed typis nondum exſcriptam, cujus etiam ante aliquot annos pro humanitate ſua copiam fecit, in qua ſequentia habet: „ Meſomoræ flos eſt tetrapetalos, regularis, nudus, roſaceus, (perianthium olim cum Cluſio & Rajo pro flore habuit) „ embryones in medio
„ continens, qui in baccas excreſcunt plurimas, ſimplices, globoſas, ſingulas ſin-
„ gulis pediolis inſidentes. Cuivis fructui oſſiculum ineſt unicum, cordiforme, ſepto
„ intermedio oſſeo in duo loculamenta, ſingula unicum nucleum continentia, di-
„ viſum.”



Cornus pumila herbacea, Chamæpericlymenum dicta.



F. 108.

Corona Regalis Lilii folio, crenato.

viſum." Ex quibus quis Corni eſſe ſpeciem amplius dubitet? Accedunt folia, quæ figura & venis ſuis Cornum non male repræſentant. Porro non tantum hujus plantæ ſpecimina belle ſiccata cum floribus & fructu, ſed & imaginem præterea idem miſit, quam, quoniam Cluſii figura fructum male repræſentat, flore autem plane deſtituitur, æri ut incidatur, eo magis dignam judicavi.

Flores ſeorſum figura prima, ſecunda, tertia & quarta, magnitudine naturali, quinta, ſexta & ſeptima aucta magnitudine, octava, nona & decima officula, quæ ſecundum longitudinem ſtriam, loculamenti indicem, habent, exhibentur.

Plures naſcuntur in Americæ Provinciis Septentrionalibus Corni ſpecies, quæ perianthium habent amplum & ſpecioſum, a Plukenetio & Rajo enumeratæ, duæ vero novæ ſunt in Phytophylacio Sherardino, humiles, ut noſtra, & repentes, perianthio ſimili, ſed floſculis luteolis præditæ, quarum altera a Sarraceno tranſmiſſa, & Cornus pumila repens, Herbæ Paris facie, dicta fuit, ideo quod folia ſuperiora, illius inſtar, diſpoſita ſint; altera vero Sarraceniana adhuc minor eſt, biuncialem & triuncialem altitudinem non ſuperans, foliis, præter ſuperiora, quæ quaterna & ſena ex eodem principio, Herbæ illius inſtar expanſa, deſtituta, quæ ex terra Sinui Hudſonio adjacente allata fuit.

Ceterum noſtræ ſpeciei ſynonyma ſunt: Periclymenum humile *C. B. Pin. p.* 302. Periclymenum parvum Prutenicum Cluſii *J. B. Hiſt. Plant. Tom. II. L.* 15. *p.* 108. *Chabr. p.* 114. Periclymenum humile, fructu rubro minore *Munt. Cult. p.* 158. Periclymenum humile, flore flori innato *Th. Barth. Act. Hafn. Vol. II. p.* 346. Alſine baccifera Suecorum *Rudb. Patr. Hort. Upſal.* Periclymenum humile, flore ſuper florem *Kylling. Vir. Dan. p.* 119. Periclymeno accedens planta monanthos noſtras *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 535. *n.* 4. Herba Paris flore magno, polycoccos, edulis *Rudb. Fil. Lapp. Illuſtr. p.* 11. Meſomora alba, baccis in corymbo rubris *Ejuſd. Act. Lit. Suec. A.* 1720. *p.* 98.

In Northumbriæ montibus Chevioticis in latere occidentali ſeptentrionalis partis montis altiſſimi, & in Pentlandicis montibus Scotiæ copioſe naſci refertur in Raji Hiſtoria & Synopſi Edit. III. p. 261. In Fionia annotante Burſero in Horto Sicco (ſignificante D. Celſio) & teſtante Kyllingio in Vir. Dan. magna ejus copia: in Smolandia, Helſingia, Geſtricia, aliiſque terris borealibus ubertim gliſcit, referente eodem Celſio. In Horto Elthamenſi plantata nec flores nec fructus adhuc dedit.

CORONA REGALIS LILII FOLIO, CRENATO T. XCII. F. 108. *T. XCIII. F.* 109.

CUJAS ſit ſpecioſa hæc Bulboſa, equidem compertum non habemus, ſuſpicamur tamen e regionibus Tropico Capricorni ſubjectis advectam fuiſſe, & natale ſolum ipſi forte eſſe Promontorium Bonæ Spei, unde tot novæ & inauditæ plantæ prodierunt, cum florendi tempus ea temporis periodo, qua Capenſes, noſtro cælo nondum prorſus aſſuefactæ, flores ferre ſolent, circumſcribatur, nempe hieme noſtra, qua in contraria globi parte æſtas viget.

Sole Cancrum ingrediente nova protrudit folia ſubrotunda, atro-virentia, & coronam illam foliaceam (de qua mox) a primo ſtatim ortu oſtentat, quæ ſenſim len-

teque, tam folia, quam corona illa, magnitudine augentur, & Novembri vel Decembri menſe ea circiter magnitudine & figura ſunt, quam Figura 108. monſtrat. Quo vero perfectioni propius accedit planta, eo folia magis elongantur, magis ſplendent & magis dilute virent. Semper vero terræ ipſique fictili arcte accumbunt & veluti apprimuntur, pluraque folia in orbem ſparſa jacent, non valde tenuia, nec admodum craſſa, Lilii albi foliis junioribus & inferioribus non abſimilia, adverſo ſitu proxime orientia & decuſſatim ſibi invicem, ſi ad baſim examinentur, reſpondentia, lævia & eleganti virore ſplendentia, figura, quando caulis erumpit, linguæformi, multis venis rectis, ſecundum longitudinem ductis, inſcripta, per margines vero crenis minutis albicantibus, Sempervivorum & Saxifragarum aliquot inſtar, ſerrata.

Ex hoc foliorum orbe lento gradu procedit caulis, ita ut Martio demum & Aprili complementum adipiſcatur, altitudine circiter trientali, craſſitie digito minori minore, geſtans omni eo tempore in ſuo faſtigio, Coronæ Imperialis, vel Ananæ potius inſtar, coronam quandam folioſam, e plurimis foliolis, ſibi invicem ſquamatim impoſitis, conſtructam, quæ quo longius ab apice recedunt, eo ſenſim minora fiunt, ita ut pedetentim inter flores, quibus ſingulis iſtiuſmodi foliolum, tanquam calyx quidam, ſupponitur, diſpareant. Foliola hæc verſus baſim latiora, verſus extremitatem anguſtiora ſunt, venis rectis donata & per margines, reliquorum foliorum inſtar, minutis denticulis inciſa.

Flores, coronæ hujus folioſæ inſtar, multiplici ſerie caulem undique cingunt, ſitu horizontali, vel nonnihil nutante, conſiſtentia, diſpoſitione & ſpecie Anblati *Cordi*, coloris ex herbaceo pallentis, in ſex æqualia ſegmenta ad unguem uſque diviſi, ſed in fundo cohærentes & integri, e quibus ſegmentis baſim verſus ſtamina oriuntur ſex, e ſingulis nempe ſegmentis ſingula, brevia, apice luteolo craſſiuſculo terminata, ex ipſo autem floris fundo embryo egreditur trigonus, ſtylo brevi ſimplici recurvo donatus, qui diſſectus vaſculum triloculare, binis in ſingulis loculis ſeminum ordinibus fœtum, indicabat. Ulterius examinare non licebat, cum ſemina ad maturitatem non pervenerint. Flores nudi ſunt, coloris, ut antea dictum, ſubvirentis, margines nempe ſegmentorum albicant, media autem pars ſubviridis eſt. Atque hæc, corona nempe folioſa & flores dimidiam, aut paulo amplius, caulis partem occupant, reliqua ejus pars ad baſim uſque nuda eſt. Ceterum flores ſemper connivent, nec unquam explicantur, quos ſeorſum exhibitos vide figura prima, ſecunda & tertia; qui vero figura quarta expanſus pingitur, vi explicatus eſt, ut interiora compareant, quo in ſtatu, ob diductionem petalorum, ſtamina incurvantur, quæ alias recta ſunt. Figura quinta embryo integer, ſexta & ſeptima diſſectus exhibetur.

Si diadema illud herbaceum colore aliquo florum inſigni diſtingueretur, poſſet cum Hæmantho, poſſet cum multis aliis Bulboſis de primatu certare hæc planta, quamvis naturæ hic defectus videri queat non minus ſingularem hoc ipſo eam feciſſe. Defectum iſtum, ſi quidem talis dici queat, auget odor, qui nullus notatu dignus percipitur: ſapor amarus eſt.

Radix porro peculiaris eſt, & ab omnibus mihi viſis diſtincta. Ea conſtat ex ſimplici tubere pyramidato, multis annulis, tranſverſa ductis, diſtincto, & plurimis fibris e baſi tuberis dependentibus, quæ non ſparſim & promiſcue, ſed e

ſulco

Corona Regalis *Lilii folio, crenato.*



F. 109.



ſulco quodam circulari, ſemunciali fere ab exteriori margine diſtantia oriuntur, crebræ ſatis, ſed non multum diviſæ, coloris albicantis & nonnihil, quam reliqua radix, pallidioris. Ceterum tuberis pars ima media, quæ fibris includitur, plana eſt & æqualis, ac ſi cultro quodam exciſa & applanata eſſet.

Tot ſingularitatibus diſtinctam plantam debet Hortus Elthamenſis Horto Dn. Blaithwaits, Dirhami in Comitatu Gloceſtrienſi.

Ceterum cum Coronam habeant Botanici Imperialem, quidni hanc Regalem vocemus, cujus appellationis rationem thyrſus coronatim digeſtus facile vendicabit.

An cuiquam deſcripta ſit, anceps hæreo. Lectores, quibus licet, aſpicere poterunt figuram illam *Petiveri Gazoph. Tab.* 85. *n.* 6. quæ non parum ſimilitudinis habet cum thyrſo noſtræ plantæ. At nomen *Petiveri* plane contrariatur; vocat enim *Cat. num.* 500. Orchideam Capenſem, Tulipæ flore roſeo, Raphani radice. Debuiſſet dicere, quid ſit Orchidea: Tulipæ flores non comparent in figura, nec radix Raphani: Spica eſt folioſa cum ſubjectis aliquot vaſculis, & quam radicem vocat, caulis potius ſiccatus videtur: deſunt folia: figura & nomen videntur ad ſpecimen ſiccum fabrefacta.

Apud alios Auctores nil noſtræ plantæ ſimile reperio, præter figuram Hyacinthi Africani bulbo craſſo, facie Hyacinthi Peruviani *Swert. Flor. Libr. I. Tab.* 18. Quæ tamen figura in eo recedit, quod duo folia media erecta pingantur, quod latitudo juſta deſit reliquis foliis, quod radix non plene pyramidata ſit, noſtræ inſtar, & quod non appareat corona foliacea, quare cum & caule deſtituatur figura, ne dubitando quidem noſtræ plantæ Swertianam jungere audemus. Ceterum Hyacinthus hic Swertii planta eſt incognita, a nemine, niſi ex Swertio, memorata, ſi unum excipiamus *Jo. Hermannum*, qui in *Horti* ſui *Catal.* Hyacinthi peregrini bulbo maximo nomine ejus mentionem feciſſe videtur.

Conſiderent etiam Lectores, an Radix tuberoſa, facie Rhodiæ Promont. Bonæ Spei, collo eximie craſſo *Ejuſd. Swert. Libr. I. Tab.* 66. huc queat referri. Swertius geminam (quod forte accidentarium) pingit radicem & longiorem, fibraſque omnes non ex imo, ſed ſupra baſim egredientes exhibet. Forte ita ſe habet radix antequam floret. Mihi non, niſi poſtquam defloruit, ne planta, quod una, detrimentum caperet, eam aſpicere licuit.

CORONA SOLIS MINOR, DISCO ATRO-RUBENTE

T. XCIV. F. 110.

A Cubitali ad ſeſqui & bicubitalem, ſubinde vero majorem altitudinem aſſurgit, longe tamen, quam vulgaris & pleræque reliquæ ſpecies, humilior eſt, caule ex eadem radice plerumque ſolitario, verſus terram calamum olorinum craſſo, tereti, obſcure purpureo, pilis creberrimis albidis hirſuto, ad cujus baſim folia in orbem ſtrata jacent plana, hirſuta, iis, quæ in medio caule naſcuntur, nonnihil minora, nec undata, ſed, ut dictum, plana; reliqua quæ dein geniculis (quæ tria, ſubinde quatuor & quinque ſunt, palmari & ſeſquipalmari diſtantia locata) apponuntur, verſus extremitatem plerumque contorta & undata, majora, latiora nempe & longiora ſunt, excepto ſuperiori geniculo, cujus folia nonnihil

minora

minora rurſus fiunt; cetera vero, quæ ſupra hoc geniculum alterna ſerie progrediuntur, longe minora & minus crenata ſunt, e quorum alis ramuli prodeunt, huc illuc diſtenti, in quibus flores naſcuntur ſtatim deſcribendi, poſtquam, quæ ad folia pertinent, reliqua annotavi. Folia vero in medio ampliata, verſus extremitatem in inferioribus obtuſius, in ſuperioribus acutius contracta ſunt, ad baſim vel ſubito, in inferioribus nempe geniculis, vel pedetentim, videlicet ima circa caulem ſtrata & quæ ſuperiora genicula ambiunt anguſtata; ſuprema vero alternatim orientia repente contrahuntur, ſeſſilia & pediculis deſtituta, reliqua conjugatim naſcentia, præſertim verſus inferiorem caulem, pediculos habent longiores alatos ſeu folioſos; quamvis pediculi proprie dici nequeant, cum ala foliacea, nervo medio appoſita, ipſius folii tantum continuatio ſit. Ceterum, folia aliarum ſpecierum inſtar, tres nervos præcipuos habent, a quibus venæ quædam minores procurrunt. Omnia per ambitum ſerrata ſunt, aſpera, crebris nempe pilis obſita, in inferioribus foliis rigidioribus, e punctis vel tuberculis parvis naſcentibus, in ſuperioribus non æque duris, abſque punctis conſpicuis prodeuntibus.

Rami & pediculi, ut ſupra demonſtratum, in latera diſtenti ſunt, in quibus flores naſcuntur, minus, quam in plerisque reliquis ſpeciebus, ampli, quorum radius flavus eſt, diſcus vero atro-rubet: ſemifloſculi lineis aliquot longitudinalibus ſulcati ſunt, cuſpidati & integri, ſubinde, in vetuſtioribus nempe floribus, in lacinias aliquot ſecti, nullo ad baſim ſtylo donati, floſculi autem ſtylum gerunt in duo cornicula diviſum, ipſi vero floſculi in quinque lacinias atro-rubentes dividuntur: præterea hi floſculi & ſemina eis ſubjecta crebris ſquamulis ſubfuſcis, oblongis, concavis, ut in aliis hujus generis ſpeciebus, cinguntur, ſemina vero in duas ligulas ſeu tenuia foliola deſinunt. Calyces ſquamoſi ſunt, coloris e viridi nigricantis.

Figura marginali prima ſemifloſculus ſeorſum, ſecunda & tertia floſculi & ſemina, quarta ſquamæ floſculis interpoſitæ exhibentur: figura quinta folium e mediis geniculis, ſexta ex inferiori geniculo, ſeptima unum ex iis, quæ in terra circa caulem ſtrata ſunt, ſiſtit; cetera figura primaria habet.

Coronæ Solis elegans genus totum originis eſt Americanæ & noſtra hæc ſpecies e Carolina ad nos pervenit. Septembri & Octobri menſibus floret: in ſecundum tertiumve durat annum.

COTYLEDON CAPENSIS, FOLIO SEMIGLOBATO T. XCV. F. III.

CAULICULI carnoſi lenti ſunt, non recta protenſi, ſed incurvi & plerumque tortuoſi, læves, ſpadicei, variis lineis cinereis, nunc rectis, nunc tranſverſis, nunc inæquali ordine connexis diſtincti, quibus hinc inde folia ſingularia, in ſummitate vero plura temere appoſita ſunt, levi tactu decidentia, glabra, ex viridi cinerea & in ſubglaucum tendentia colorem, tenuibus punctis undique notata, craſſa: inferius, ſeu ad baſim cauliculorum, rotundiora, ſuperius ſeu verſus ſummitatem magis plana, lenius nempe parte interiori elevata, exteriori vero, ut in illis, protuberante & pulvinata, ſucculenta, ſapore acerbo & adſtringente prædita.

A pal-



Corona Solis minor, disco atro-rubente.

F. 111.



Cotyledon Capenſis, folio ſemiglobato.

F. 112.



Cotyledon Cret. folio oblongo fimbriato.

A palmari ad dodrantalem & pedalem ſubinde naſcitur altitudinem, & caules carnoſo-lignoſos, magis ramoſos acquirit, ſed longo temporis ſpatio indiget, ut ad hanc altitudinem perveniat; lente enim naſcitur, & facile ob ſuccoſitatem putreſcit.

Porro flores ægre fert, nec eos una vice amplius vidiſſe memini, eoſque imperfectos: ſcapus erat dodrantalis ſubteres, glaber, obſolete vireſcens, ſecundum cujus longitudinem gemmæ quædam tenues, in ſummitate vero flores oblongi ſex ſeptemve naſcebantur, quinque lineis impreſſis notati, vireſcentes, in extremitate purpuraſcentes, calyce monophyllo, in quinque lacinias diviſo excepti, & hujus ope ſcapo annexi, tenui ligula ad baſim præditi, qui quales futuri eſſent, dicere non habeo, cum apertos videre non contigerit, ſecundum longitudinem autem diſſecti, in extremitate in quinque breves cuſpidatas lacinias purpuraſcentes diviſi erant (vid. figura marginalis prima), cetera parte tubulus integer erat, e cujus lateribus ſtamina duum ordinum, quinque ſuperiora provectiora, & quinque inferiora juniora egrediebantur, apicibus albicantibus capitata, in florum autem fundo embryo hærebat, e quinque (vid. figuram marginalem ſecundam) filiculis conflatus, ceu in reliquis Cotyledonis ſpeciebus ſolet fieri. Hæc Auguſto menſe obſervare licuit.

Sedum Africanum, folio rotundo minori *Boerh. Ind. Prim. p.* 121. *n.* 9: Cotyledon major arboreſcens Afra, foliis minoribus craſſiſſimis viridioribus, minutiſſime punctatis *Ejuſd. Ind. Alt. p.* 287. *n.* 5. Cotyledon Africana arboreſcens, foliis minoribus craſſiſſimis viridioribus minutiſſime punctatis *Vat. Cat. Hort. Wittemb. p.* 23. alia eſt planta & noſtra major, foliis prædita amplioribus, orbicularibus, magis glaucis & magis conſpicue punctatis, minus vero craſſis; an vero & quonam nomine a quoquam annotata ſit noſtra, mihi non conſtat.

COTYLEDON CRETICA, FOLIO OBLONGO FIMBRIATO T. XCV. F. 112.

HANC Sedi ſpeciem fecit, & Sedum Creticum ſaxatile latifolium, flore purpuraſcente vocavit *Tournefortius Cor. Inſt. R. Herb. p.* 19. ego vero Cotyledonis potius generi annumerandam cenſeo. Etenim flos monopetalos verius eſt, quam polypetalos, paulo ultra medium quidem & profundius, quam aliæ ſpecies, in quinque ſegmenta, non tamen ad baſim uſque, Sedorum inſtar, diviſus, nec illorum inſtar expanſus, ſed magis tubuloſus, e cujus tubuli lateribus ſtamina pro ſegmentorum floris numero duplicata enaſcuntur, plane ut in Cotyledonis floribus fieri ſolet, cum in Sedi genere ſtamina ad petalorum baſim inter hæc & embryonem egrediantur. Flores autem purpuraſcente colore præditi ſunt, in oblongam ſpicam diſpoſiti, & modo ſinguli, modo duo & tres, immo quatuor & quinque in communi pediculo naſcuntur, nimirum quo faſtigio magis appropinquant, eo pauciores, quo baſim magis reſpiciunt, eo plures in eodem pediculo hærent. Calyces in quinque ſegmenta ad fundum fere dividuntur, & ſiliculæ ſingulos flores ſubſequuntur quinæ, ſemina continentes parva.

Caules modo ſolitarii, modo plures ex eadem radice oblonga fibroſa naſcuntur, foliis cincti ad baſim crebrioribus & latioribus, in orbem poſitis, in ipſo vero

caule anguſtioribus & paucioribus, alternatim poſitis, parvis per margines crenis inciſis. Folia craſſiuſcula ſunt & plana.

Cetera & totius plantæ habitum figura demonſtrat, cui figura marginali prima flos calyce extractus, ſecunda vero fructus ſeorſum appictus eſt. Sole Geminos peragrante & ſubinde ſerius nobiſcum florere ſolet.

CRASSULA ALTISSIMA PERFORATA

T. XCVI. F. 113.

NOVUM pando & amplum plantæ Africanæ genus, inter Sempervivum, Anacampſerotem, Sedum & Cotyledonem medium, cujus ſpecies alii partim ad Cotyledonem, partim ad Sedum, quin & ad Aloën ac Meſembryanthemum retulerunt. Id excuſationem admittit in iis, quarum flores & fructus Auctoribus viſi non erant, quæ vero flores tulerant, debebant diligentius examinari. Hoc genus paucis ita diſtinguo: A Sedo quidem & Anacampſerote petalis ad ungues cohærentibus, in pleriſque ſpeciebus in tubulum, Cotyledonis inſtar, ſurrectis, in quibuſdam roſacee expanſis, ſtaminibus paucioribus, totidem nempe, quot ſunt petala, cum in Sedo & Anacampſerote duplicata obſerventur: a Cotyledone vero flore profundius & ad baſim uſque diviſo, ut pentapetali videantur flores, ſtaminibus item paucioribus, iiſque ad baſim petalorum enaſcentibus, cum in Cotyledone ea e floris latere medio prodeant, eaque pro ſegmentorum floris numero duplicata. His addi poſſunt folia conjugata, quibus ab utriſque, non viſis & examinatis floribus, diſtingui poteſt. Cotyledonis quidem una alterave Africana ſpecies conjugata gerit folia, at pleræque reliquæ conjugata non habent. Præterea in hoc genere flores denſe ac nunc velut umbellatim, nunc in muſcaria conglomerati ſunt, qui in Cotyledonis genere laxius & ſpicatim plerumque diſponuntur. Aliquæ hujus generis ſpecies folia Sedorum inſtar ad radicem crebra habent denſaque, accuratius tamen inſpicienti per paria & ex adverſo ſibi impoſita obſervabuntur. Quibus obſervatis, ut ab Aloë & Meſembryanthemo diſtinguatur hoc genus, ne opus quidem eſt, ut ulla faciamus verba.

Primam, quam damus hujus generis, ſpeciem deſcripſit & figuram ejus a planta juniore dedit *C. Commelin in Præl. Bot. p.* 74. *f.* 23. Aloës Africanæ cauleſcentis perfoliatæ, glaucæ & non ſpinoſæ titulo, abſque floribus, quos eo tempore nondum protulerat. Hos vero nobis primum anno 1725. Octobri menſe, dein ſingulis fere annis in Horto Elthamenſi videre licuit numeroſos, in ſummo caule denſe & velut umbellatim digeſtos (ſeorſum figura marginalis prima & ſecunda expreſſos ſiſtit), candoris lactei, in quinque petala ad fundum uſque diviſos, unde oriuntur ſtamina quinque, apicibus ex croceo rubentibus capitata, quibus quinæ in medio ſuccedunt ſiliculæ juxta ſe poſitæ & in unum veluti congeſtæ, ſeminibus parvis repletæ. Florum pediculi tam privati, quam communes, leviter lanuginoſi ſunt, quod diſparet ſenſim in inferiori eorum parte.

Folia glauca, craſſa & rigida ſunt, quæ ex adverſo ſibi brevibus intervallis decuſſatim reſpondent & a caule tranſadiguntur. Parte ſupina modice ſecundum longitudinem excavata ſunt, prona convexa, tactu non glabra, æquabili licet ſuperficie prædita, ſed veluti ſubhirſuta, aſpectu ſicco. Quæ in ſurculis floridis naſcuntur multo reliquis minora ſunt.

Caules



Craſsula altiſsima perforata.



Craſsula . Anacampſerotis folio.

Caules recti a pedali ad bicubitalem, tricubitalem & longiorem ſubinde altitudinem protenſi, foliis ab imo ad ſummum uſque veſtiti, præ quorum onere, licet ſatis craſſi ſint, ni pedamento fulciantur, ipſi ſe vix ſuſtentare poſſunt. Non ramoſi plerumque ſunt caules, ſubinde tamen verſus ſummitatem ramos aliquot proferunt.

Craſſulæ nomen inter Synonyma Anacampſerotis & Sedi occurrit, quod huic generi proprium feci, quoniam folia craſſa & ſucculenta denominationi apte reſpondent, nec obſtat, quod Anacampſeros, Sedum & alia ejuſmodi obtineant folia, ob rationem alio loco dictam.

CRASSULA ANACAMPSEROTIS FOLIO
T. XCVII. F. 114.

PEDALES & cubitales aliquot ex eadem radice huic naſcuntur caules, lenti, fungoſo-lignoſi, non multum ramoſi, inæquales & tortuoſi, &, ni ſuſtententur, procumbentes, foliis ad medium uſque vidui, & pluribus geniculorum veſtigiis inæquales, digitum minorem craſſi, coloris ſubfuſci, cetera parte & in ramis foliati. Rami autem, quos minus frequentes habet, ſatis craſſi ſunt, virentes, frequentibus geniculis intercepti, ad quæ folia brevibus intervallis conjugata naſcuntur, cruciatim ſibi reſpondentia, glabra, craſſa & rigida, Anacampſeroti perquam ſimilia, ſed per margines non ſerrata (quamvis & vulgaris Anacampſeros cum foliis integris non raro reperiatur), utrinque læte virentia, minutis & vix conſpicuis, parte præſertim inferiore, punctis notata. Qui rami in faſtigio breviores aliquot conjugato ordine emittunt, ſimilibus, ſed minoribus foliis cinctos, e quibus unus alterve (medius plerumque) ſurculum longum teretem profert, foliorum anguſtiorum & a præcedentibus diverſorum conjugationibus aliquot cinctum, in cujus faſtigio in pediolis adverſis plurimi naſcuntur flores parvi, muſcoſi, albidi, odorem tenuem melliformem ſpirantes, racematim in aliis pediolis conjugata ſerie prodeuntibus naſcentes, clauſi, nec unquam aperti, in quinque petala exigua, in mucronem deſinentia, ad baſim uſque diviſi, calyce brevi quinquefolio excepti. Quæ petala, ſi ab invicem ſeparentur, in ſummitate in apiculum deſinunt, in medio latiora ſunt, baſim verſus rurſus contracta, Betulæ fructus ſquamarum figura. E fundo floris, ad petalorum interſtitia, quinque naſcuntur ſtamina brevia, e flore non prominentia, apicibus exiguis luteolis terminata, in medio vero ſiliculæ ſedent quinque, preſſe in capitulum junctæ, quæ nobiſcum ad maturitatem non pervenerunt.

Hæ partes ſeorſum, nempe figura prima flos totus cum calyce, qui ad baſim fere in quinque exigua foliola dividitur, & ligula, quæ ſingulis capitulis ſubjicitur: figura ſecunda flos evolutus: figura tertia petala floris: figura quarta capitula cum flore marcido: figura quinta idem capitulum remoto flore & calyce, ut ſiliculæ appareant, & figura ſexta ſiliculæ exhibentur.

Sole Cancrum & Leonem tenente floret. Sponte naſcitur, ut reliquæ hujus generis ſpecies, circa Promontorium Bonæ Spei.

Videtur eſſe Sedum Capenſe Craſſulæ folio Petiv. Hort. Sicc. n. 36. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 248. & Cotyledon major arboreſcens Afra, foliis minoribus oblongis, atro-viridibus *Boerh. Ind. Alt. p.* 287. *num.* 6.

CRAS-

CRASSULA CÆSPOSA LONGIFOLIA
T. XCVIII. F. 115.

EX radice craſſiuſcula ſubfuſca, in plurimas fibras tenues deſinente, plantulæ naſcuntur ſeſſiles, ex innumeris foliis conjugatis, cæſpitis inſtar congeſtis, conflatæ, e quorum medio media plerumque in Hibernaculo hieme cauliculi naſcuntur herbacei, teretes, palmum, dodrantem & pedem ſubinde alti, geniculis aliquot, quaternis foliolis cinctis, diſtincti, e quibus in media & ſuperiore coliculorum parte pediculi naſcuntur, unciam ſeſquiunciamque in longioribus cauliculis, in brevioribus vero vix ſemunciam longi, nunc bino, nunc terno, ordinarie vero quaterno ordine prodeuntes, in quibus capitula naſcuntur e pluribus floribus parvis, muſcoſis, herbaceis & inapertis compacta, ſingulis floribus e quinque petalis bracteatis herbaceis, apiculo vel capitello ex herbaceo albicante terminatis, compoſitis, calyce comprehenſis quinquefido, in quibus ſtamina ſunt quinque brevia, ad petalorum baſim (qua parte obiter cohærent) orientia, apicibus parvis luteolis prædita, & ſiliculæ totidem preſſe junctæ; qui flores & ſiliculæ Craſſulæ fruteſcenti Anacampſerotis folio plane ſimiles ſunt, ſed odorem, quo illa gaudet, in floribus percipere potui nullum.

Folia ex tereti compreſſa, minutis foveolis ſubinde exarata, glabra, ex viridi ſubincana, ſucculenta, fragilia (humore deficiente flaccida, obſequioſa & magis incana), Tunicæ hortenſis non abſimilia & ſimili more congeſta, ſed craſſiora, in florente planta magis, quam in non florentibus, expanſa, ſapore prædita auſtero, ſubacido.

Ubi longiores ſunt ſurculi floridi, plura obtinent genicula & plura capitula, pluribus pediculorum paribus, ternariis & quaternariis, inſidentia; ubi breviores, pauciora omnia. Porro ubi annoſior fit planta, ſublignoſos aliquot acquirit cauliculos, ſed breves & deformes, foliaque in his denſius in faſciculos congeſta naſcuntur.

Noſtra figura juniorem plantam & cauliculum breviorem repræſentat, in qua ad marginem figura prima flores cum calyce & ſquamulis, quæ iis adhærent, ſecunda petala, tertia ſtamina & apices, quarta ſiliculæ ſeorſum exhibentur.

Diu fuit hæc planta in hortis Curioſorum, an vero & quo nomine aliis innotuerit, me latet. Ortum autem debet, reliquarum hujus generis inſtar, Promontorio Bonæ Spei.

CRASSULA CAULESCENS, FOLIIS SEMPERVIVI CRUCIATIS T. XCVIII. F. 116.

FOLIA Sempervivum vulgare figura, niſi quod nonnihil obtuſiora ſint, colore, conſiſtentia & pæne magnitudine (ſaltem enim nonnihil minora ſunt) exacte referunt, per margines, illius inſtar, ciliis albis creberrime fimbriata, ſitu autem differunt, nam, ut reliqua hujus generis, conjugatim cruciato ſitu & quidem denſe ſatis ſibi imponuntur, craſſiuſcula, glabra, utrinque virentia, plana & avenia.

Radix tenuis fibroſa eſt, e qua caules naſcuntur breves, in ramulos aliquot foliatos deſinentes, qui in ſurculos elongantur dodrantales, teretes, ſimilibus foliis,



F. 115.

F. 116.

Craſsula cæſpoſa longifolia.

Craſsula cauleſcens, foliis Sempervivi cruciatis.



Craſsula Meſembryanthemi facie, foliis longioribus aſperis.

foliis, ſed longius ab invicem diſtantibus, cincti, in geminos plerumque pediculos diviſi, quibus flores innaſcuntur Craſſulæ altiſſimæ perfoliatæ ſimiles, ſed minores, colore præditi luteolo, quantum ex ſicca cognoſcere licet; quomodo enim recentes ſe habeant, memoria excidit, nec recordor quo tempore florere ſoleat, cum diu ſit, quod florentem viderim.

Planta eſt tenera & ſe ipſam vix ſuſtentare poteſt, minime tamen Craſſulæ orbicularis repentis, foliis Sempervivi inſtar repit, & ad illius differentiam cauleſcens nobis dicitur; licet enim caules ſint parvi, ii tamen craſſiores ſunt, erectiores & foliati, cum illa nunquam attollatur, ſed humi repat, foliis in extremitate congeſtis, reliqua funiculorum parte nuda.

Eſt Sedum Afrum montanum, foliis ſubrotundis, dentibus albis ſerratis, confertim natis *Boerh. ind. Alt. Part. I. p.* 286 *n.* 6. & forte Sedum Capenſe floribus parvis luteis, marginibus foliorum piloſis Pet. Hort. Sicc. n. 40. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 248.

CRASSULA MESEMBRYANTHEMI FACIE, FOLIIS LONGIORIBUS ASPERIS T. XCIX. F. 117.

QUONIAM, priuſquam flores profert, Meſembryanthemo non diſſimilis eſt, nemo mirari debet, hanc plantam dictam fuiſſe, Ficoides Afrum fruteſcens, foliis aſperis longis, anguſtis acutis, cruciatim poſitis *Boerh. Ind. Alt. Part. I. p.* 292. *n.* 11. Convenit autem cum iis, præcipue facie externa, Meſembryanthemi ſpeciebus, quæ fruticeſcunt & perennant. Folia oblonga acuta ſunt, in plantis junioribus plana, a caule recta exſtantia, in annoſioribus & in ramis, qui floribus deſtituuntur, crebriora, reflexa, in ramulis floridis autem breviora ſunt & latiora, minuſque reflexa, nec tam denſe ſibi ſuperimpoſita. Adverſo ſitu decuſſatim ea naſcuntur, ad baſim a caule perforata, craſſiuſcula, verſus extremitates acuminata, reliqua parte plana, nec niſi verſus baſim levi ſulco prædita, multis undique tuberculis & pilis aſperis obſita: caules ſimilibus pilis reflexis aſperi fiunt.

Flores ex herbaceo flaveſcunt, in ſummis ramulis plures velut umbellatim digeſti, in quinque petala ad unguem fere diviſi, qua parte leviter cohærent & ſtamina inde egrediuntur quinque albicantia, apicibus croceis capitata. Siliculæ quinæ in capitulum collectæ ſunt, in extremitate nonnihil reflexæ, quæ figura marginali prima, ſecunda vero flos abſque calyce, tertia idem petalis diductis exhibentur. Hæc nobis olim Decembri menſe oſtendit in Hibernaculo Elthamenſi, & cujuſnam generis eſſet monſtravit. Sequentibus annis liberius æſtivis menſibus floruit & flores longe plures, quam figura noſtra, quæ hyeme facta, dedit, colore tinctos pallidiore, erantque tum petala ſubinde plura, quam quinque.

Quatuor ſunt aliæ ſpecies valde ſimiles, quas *Rajus* ex communicatione D. Guil. Sherardi ſuæ *Hiſtoriæ Plantarum Supplemento p.* 364. intulit. Prima eſt, Sedum Africanum fruteſcens, Ficoidis facie, foliis & ramulis craſſioribus glaucis, floribus majoribus; quam noſtræ eandem dicerem, ni folia haberet altero tanto breviora, eaque non reflexa, ſed vel exſtantia (inferiora nempe), vel (ſuperiora) ſurrecta. Secunda dicitur, Sedum Africanum fruteſcens, Ficoidis facie, foliis aſperis glaucis, floribus parvis umbellatis; quæ folia habet præcedentis plane ſimilia, nec

ab ea aliter differt, quam floribus nonnihil minoribus, & quod tota planta minor ſit, ſemipedalem altitudinem non ſuperans; an ſpecies ſit vere diſtincta, vel varietas, loco ſteriliore lecta, ex planta ſicca determinari nequit: utraque faciem habet ſylveſtrem, & videntur exemplaria loco natali lecta, unde fit ut credam, utramque noſtræ plantæ eandem eſſe. Tertia audit, Sedum Africanum fruteſcens, Ficoidis facie, foliis brevibus glaucis, floribus minoribus. Hæc ſpecies vere diſtincta videtur: caules habet graciliores, ſed glabriores & magis lignoſos, folia gracilia brevia, culmum longa, exſtantia, ſubinde nonnihil incurvata: flores noſtræ inſtar diſpoſiti, aliquantum minores ſunt. Quarta ſpecies a reliquis omnibus differt, floribus in capitula Globulariæ inſtar collectis: folia crebra ſunt, ſurrecta, vel modice recurva, carinata, Kali ſpinoſum exſiccatum referentia, marginibus minutim crenatis, reliqua parte glabra. Ea dicta fuit, Sedum Africanum fruteſcens, Ficoidis facie, foliis oblongis acutis, floribus minimis, in capitula rotunda compactis *Rajo* loco citato. Quos flores vocat minimos, capitula ſunt vel ſiliculæ petalorum inſtar extantes e capitulis, ut ſpecimen monſtrat in Phytophylacio Sherardino adhuc dum aſſervatum.

Et quoniam ad harum ſpecierum recenſionem devenimus, non alienum erit & reliquas, quæ hujus generis ſunt, vel eſſe videntur, ſpecies recenſere. Exiſtimo autem huc referri debere (1) Cotyledonem Africanam fruteſcentem, flore umbellato coccineo *Comm. Plant. Rar. p.* 24. (2) Sedum Africanum umbellatum majus, foliis hirſutie fimbriatis *Pluk. Alm. p.* 340. *Tab.* 314. *f.* 3. (3) Sedum Africanum umbellatum, flore flaveſcente glabrum *Pluk. Ibid. f.* 2. (4) Cotyledonoides Africanum *Bradl. Plant. Succ. Dec: V. p.* 18. *f.* 41.

Suſpicor etiam hujus generis ſpecies eſſe (5) Telephium fruteſcens, floribus ſpicatis minimis, folio triangulari craſſo glauco, Ficoidis facie *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 363. *n.* 8. cujus flores proprie ſpicati non ſunt, ſed glomeratim in ſummis ramulis in pediculis brevibus digeſti. (6) Sedum Africanum umbellatum album *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 552. (7) Sedum Africanum annuum, Centaurii minoris facie, flore aureo *Ejuſd. Ibid.* (8) Ficoides Africanum annuum centauroides *Ejuſd. Par. Bat.* 169. (9) Ficoides Africanum annuum minimum muſcoſum *Ejuſd. Ibid. p.* 170. (10) Telephium Africanum procumbens, foliis ſubrotundis conjugatis, floribus amplis *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 363. *n.* 9. quod eſt, Centaurium minus luteum, folio ſubrotundo membranaceo tranſparente Cap. Bon. Sp. *Pluk. Mant. p.* 43. *Tab.* 343. *f.* 2.

Obſervandum porro, an huc referri debeant, Sedum anthylloides Capenſe, floſculis in ſpicas graciles verticillatim poſitis *Pluk. Amalth. p.* 192. & figuræ illæ quinque *Petiveri*, nempe quinta, ſexta, ſeptima, octava & nona *Gazoph. T.* 89. pro Sedis & Spiræis poſitæ, nempe Sedum Capenſe Pinaſtri folio, flore ſpecioſo aureo *Cat. num.* 471. *f.* 5. Spiræa Capenſis, flore albo ſparſo *Cat. n.* 474. *f.* 6. Sedum Capenſe umbellatum, flore albido *Cat. n.* 472. *f.* 7. Spiræa Capenſis comoſa, flore albo *Cat. n.* 473. *f.* 8. Spiræa Capenſis, Saturejæ folio *Cat. n.* 475. *f.* 9.

Pergamus & deſcribamus reliquas ſpecies.

F. 118.

T. C.



Craſsula orbicularis repens, foliis Sempervi-vi.

F. 119.



Craſsula Portulacæ facie, repens.



CRASSULA ORBICULARIS REPENS, FOLIIS SEMPERVIVI T. C. F. 118.

FOLIA habet hæc ſpecies Sempervivi vulgaris foliis ſimilia, ſed in extremitate obtuſiora & rotundiora, verſus baſim vero anguſtiora, tenuiſſimis ciliis albidis, illius inſtar, in ambitu fimbriata, in ſuperficie autem ſua ſuperiore crebris punctis notata, inferne iis deſtituta, lævia, nullis omnino venis utraque parte prædita. Craſſa ſunt & ſucculenta hæc folia, ſaporis adſtringentis, cui aciditas quædam commixta eſt. Ceterum folia hæc in orbem admodum regulariter diſponuntur, quorum exteriora majora, interiora vero minora ſunt, cumque plurima hoc modo congerantur, cauliculi vero tenues ſint & infirmi, fit, ut præ gravitate ſua humo ſemper incumbant glomeres illi folioſi. Cauliculi ceu funiculi ſunt, e foliorum alis hinc inde emiſſi, teretes, e viridi pallentes & pellucidi ab initio, procedente vero tempore luteſcentes & lignoſi, quibus planta hæc invicem cohæret, & radiculis in terram demiſſis ſui propagationem peragit. Porro ipſa primaria radix non niſi iſtiuſmodi funiculus eſt, ſub humo reptans, cui ad genicula inferiora, quibus olim folia ſederant, crebræ radices fibroſæ enaſcuntur.

Surculi flores gerentes in primaria planta naſcuntur ex ipſius medio, in ſecundariis vero illi adhærentibus ad latera ſemper pone folia prodeunt, trientem longi, teretes, geniculis aliquot & foliis ad genicula adverſis, exiguis, oblongis donati, quorum faſtigio plurimi flores muſcoſi verticillatim, vel potius eo modo quo in Valeriana paluſtri minori, quæ ſemina profert, denſe congeſti naſcuntur, in pediculis nempe ex adverſo ſitis, qui dein in alios pediculos valde breves dividuntur & his plures flores arcte ſibi invicem juncti inhærent, non decidui, aliorum hujus generis inſtar, in quinque petala ad fundum uſque diviſi, coloris interne pallide ſtraminei & levi ad extremitates purpura tincti, externe ſtria latiuſcula purpurea, ſingula petala percurrente, diſtincti, ſtaminibus donati quinque, inter petala & ſiliculas egredientibus, quibus inhærent apices parvi flavicantes, ſiliquæ autem ſuccedunt quinæ (vid. figura marginalis prima) preſſe junctæ, ſeminibus aliquot parvis repletæ. Flores tenuem non inſuavem ſpirant odorem, ad Orchidem militarem minorem accedentem. Florum verticilli decuſſatim ſibi reſpondent. Seorſum flores aliquot congeſti figura marginali ſecunda, tertia & quarta ſeparatim appicti ſunt. Pro tempeſtatis ratione, aliarum Capenſium inſtar, diverſo tempore floret; nunc enim ocyus, Majo menſe, nunc ſerius, Julio & Auguſto menſibus, florere vidimus.

Eſt Sedum Afrum ſaxatile, foliolis Sedi vulgaris, in roſam vere compoſitis *Boerh. Ind. Alt. P.* 1. *p.* 287. *n.* 24. Et forte Sedum montanum, flore odorato Syen *Breyn. Exot. Plant. Cent. p.* 180.

CRASSULA PORTULACÆ FACIE, REPENS T. C. F. 119.

NON tantum in Hortis Angliæ, ſed & in tranſmarinis ſatis frequens eſt hæc planta, & Portulaca Africana ob exteriorem ſimilitudinem quibuſdam dicitur. Cauliculi ei ſunt teretes, glabri, palmares, dodrantales & pedales, dilute rubentes

bentes & fere pellucidi, nervo intus rubro firmati, procumbentes, ad genicula terræ immersâ radices fibrosas tenues demittentes, ad ea vero genicula, quæ aëri exponuntur, & per reliquos cauliculos folia nascuntur conjugata, crassa & succulenta, quam in Portulaca, magis acuminata, & per margines denticulis quibusdam, aut valde exiguis & vix advertendis, obiter incisa. Quæ folia antequam floret & in juniore planta sunt majuscula, semunciam circiter longa lataque, a caule transadacta, parte anteriore & posteriore angustata, avenia, plana, aut leniter saltem concava, dilute viridia, saporis aquosi & leniſſime adstringentis, in adulta vero & florente planta exarescunt & penitus corrugata decidunt, remanentibus saltem superioribus & iis, quæ ex inferiorum alis arcte sibi imposita enascuntur. Figura nostra utriusque generis ramum monstrat.

Flores e summis ramulis in pediculis e foliorum alis adversis nascuntur, solitarii, bini ternive, in summis autem cymis plures deinde juxta se prodeunt, & parvam veluti umbellam constituunt. Sunt autem flores pentapetali, ex albido purpurascentes, petalis nempe ad basim candicantibus, a medio ad extremitatem usque diluto vivido purpureo colore tinctis; inter quæ petala & filiculas stamina egrediuntur quinque brevia, apices parvos flaventes, in petalorum interstitiis locatos, gerentia: flores, aliorum hujus generis instar, non decidui: calyces in quinque angusta segmenta ad fundum usque dividuntur. In medio florum filiculæ quinæ (quæ cum seminibus seorsum figura prima & secunda appictæ sunt) presse junctæ sedent, quæ per maturitatem semina aliquot (duo triave) parva, teretiuscula fundunt.

Majo Junioque & tota fere æstate floret, prout nempe favet aëris temperies modo ocyus, modo serius florere incipit, aliarum Africanarum ex Promontorio Bonæ Spei instar.

An Sedum Africanum fruteſcens, caule pellucido, folio subrotundo *Boerh. Ind. Prim. p.* 121. *Alt. T. I. p.* 286. *n.* 5. Nostra perennis quidem est, sed fruteſcens proprie dici nequit planta.

CRASSULA PORTULACÆ FACIE, ARBORESCENS T. Cl. F. 120.

PORTULACA arboreſcens, & a quibusdam Ficoides Portulacæ folio dicitur, & in multis Curiosorum Hortis ornatus gratia colitur hæc planta, quæ licet satis vulgaris sit & a multis retro annis innotuerit, ejusque plantæ satis annosæ passim obſerventur, non memini tamen flores ejus vel a me, vel ab aliis adhuc obſervatos esse, hujus autem generis speciem esse ex facie & plantæ habitu colligo.

Ea annorum aliquot spatio in caudicem satis crassum (in Horto Elthamensi brachii crassitudine stirpes aliquot sunt) excreſcit, altitudine cubitali & bicubitali, multos ab imo ad summum usque ramos adverso situ emittentem, e quibus alii minores contrario situ progrediuntur, oblique surrecti, in quibus & per omnes ramulos folia nascuntur conjugata, crassa, læte virentia & splendentia, avenia, subrotunda, ex angustiore basi in latum repente diducta, Portulacæ facie & crassitie, succosa, saporis acerbi & adstringentis.

Caules & rami frequentibus geniculis distinguuntur, quæ genicula inferiora versus, quoniam folia abscederunt, nuda sunt. Ceterum caules & rami lenti sunt &

motui



Craſsula Portulacæ facie, arboreſcens.



motui obſequioſi, quamvis, ſi ad angulum acutum ducantur, rumpi ſoleant. Subſtantia eorum ex pauco ligno & multa carne vireſcente fungoſa conſtat, cui cuticula tenuis, tenuiter rimoſa, cinereis nempe ſtriis diſtincta, inducta eſt, in caudice præſertim & ramis inferioribus, nam ſuperiores rami fere unicolores, nempe ex rufo ſpadicei ſunt, inferior autem pars, ob dictas ſtrias, ex ſpadiceo-cinerea eſt: ſummi, ſeu juniores ramuli vireſcunt. Radix fibroſa eſt, in latera ſparſa, coloris ochrei pallidioris.

Figura noſtra ad plantam juniorem, ex ramo depacto, quibus facile propagatur, natam, facta eſt.

Ad hanc plantam forte referri debet, Telephium Portulacæ folio Prom. Bon. Sp. *Muſ. Pet. n.* 984.

CROTALARIA LOTI FOLIO, FLORE PARVO VARIEGATO T. CII. F. 121.

CROTALARIÆ generis & nominis rationem dedit *P. Hermannus* in *Hort. Lugd. Bat. p.* 196. A ſiliquis nempe crotali inſtar ſonitum edentibus, longioribus, quam in Anonide, & magis tumidis,hoc genus ipſi natum eſt, cujus quatuor recenſuit ſpecies, unam trifoliam, tres unifolias. Ab ejus vero tempore plures tum triphyllæ, tum monophyllæ ſpecies innotuerunt, partim a Plukenetio, partim a Rajo enumeratæ. Tournefortius nullas in hujus generis ſocietatem recipit, præter eas, quæ folia gerunt ſingularia; hinc Crotalariam fruteſcentem Americanam triphyllam, foliis firmioribus glabris, flore purpureo *Pluk.* & Crotalariam Aſiaticam fruteſcentem trifoliam, floribus luteis amplis *Hort. Lugd. Bat.* ad Anonidem refert; quod mea ſententia facit contra naturam rei. Nam ab Anonide non tantum ſpica longiore nuda, ſiliqua longiore & tumidiore, ſed & toto habitu recedunt hæ ſpecies, ſuntque Laburno & Cytiſo propiores, quamvis ſiliquis magis inflatis ab iis differant. Mihi folia parvi fiunt ad genera Plantarum determinanda, quapropter in hujus generis conſortium recipio trifolias æque, ac unifolias ſpecies, modo ſiliquas obtineant longiores & tumidiores, quam Anonidis. Præter ſiliquæ figuram alia notatu digna differentia advertitur, nempe quod in Crotalaria ſiliquæ pendulæ ſint, longiore pediculo hærentes, quodque ſpinis deſtituatur hoc genus, & folia non ſerrata obtineat, quodque foliorum pediculi non ſint foliati inſtar Ononidis. Quod ſi in trifoliis aliquot Crotalariæ ſpeciebus ſiliquæ brevioribus pediculis hærere videantur, ea tum differentia obſervatur, quod flores & ſiliquæ in ſpicas digerantur longiores, eaſque foliis viduas, ut pro pediculo communi habendæ ſint hæ ſpicæ, cum in Anonide, ſi quæ ſpicatæ videantur, folia ſpicas ſatis lata interrumpant, ut flores verius ex alis egredi cenſendi ſint. Si quis porro objiciat, Anonides quaſdam flores & ſiliquas e longiore pediculo pendentes habere, is per me licet referat eas ad Crotalariam, vel novum exinde cum Rivino Natricis genus faciat.

Mihi quidem Crotalariæ ſpecies videtur hæc planta, cui caules ſunt ſarmentoſi, graciles & infirmi, culmum circiter craſſi, inferius rigidiores & lignoſi, ſuperiora verſus teneriores & herbacei, teretes, a pedali ad cubitalem & amplius longitudinem excreſcentes, circa ſui medium in ramos diviſi, oblongos, minus crebros,

quibus brevibus intervallis folia adnaſcuntur trifoliata glabra, Loti paluſtris magnitudine & figura, duabus laciniis vel ligulis ad pediculum cincta, e foliorum vero alis hinc inde in pediculis minus, ac in aliis, longis flores naſcuntur tres quatuorve, lutei, Loti vulgaris ſimiles, quorum vexillum reliquas partes magnitudine ſuperat & reflexum eſt, (margines vero denuo interiorem floris partem verſus inflexi ſunt) lineis parte poſtica crebris ſanguineis, ita ut hac parte totum quaſi puniceum appareat, variegatum, parte antica vero ſeu interna ſtriæ ſunt pallidiores & minus conſpicuæ: alæ & carina immaculatæ ſunt, luteo nempe alæ gaudent colore, carina vero e luteo viret. Ceterum alæ invicem connivent & carinam protegunt.

Floribus evanidis ſiliquæ ſubnaſcuntur in eodem communi pediculo modo duæ, modo tres, modo una tantum, ſubhirſutæ, tumidæ, quæ ubi maturitatem adeptæ ſunt, ob ſeminum liberum concurſum, ſtrepitum commotæ edunt.

Nata fuit ex ſeminibus Americanis, Havanenſibus an Mexicanis incertum, & Sole Libram occupante floruit. Planta eſt perennis.

Crotalaria trifolia fruticoſa, foliis glabris, flore e viridi luteo minore *Sloan. Cat. Jam. p.* 141. *Hiſt. Vol. II. p.* 33. *Tab.* 176. *f.* 1. & 2. huic reſpondere videtur, quam ſuæ Crotalariæ fruteſcenti Americanæ triphyllæ, foliis firmioribus glabris eandem ſuſpicatur *Pluk. Mant. p.* 58. quæ an eadem ſit, ſimiliter quæritur in Hiſtoria Jamaicenſi. Mihi *figura* 7. *Pluk. Phyt. T.* 169. folia noſtra latiora & magis acuminata, flores vero minores ſpicatim in extremitate diſpoſitos repræſentare videtur, eaque non tam Crotalariæ, quam Hedyſari ſpeciem, deſignari ſuſpicor.

CROTALARIA PERFOLIATÆ FOLIO

T. CII. F. 122.

PECULIARIS eſt in hoc genere ſpecies, foliis Perfoliatæ vulgaris, ſeu Bupleuri perfoliati rotundifolii annui *Tourn.* perquam ſimilibus, a caule illius inſtar perforatis, & non tantum ob hæc folia, ſed & quod flores e ſingulis foliorum alis ſinguli naſcantur, ſingularis ſit & ab omnibus diſtincta ſpecies, cujus ſemina ter quaterve in Horto Elthamenſi quidem pullularunt, ſed non diu duraverunt plantæ, nam, vix palmarem altitudinem adeptæ, interierunt.

Quam jacturam a ſiccatis exemplaribus e Phytophylacio Sherardino ſupplere & figura, quam potui bene, inde illuſtrare anniſus ſum. Rami autem in dicto Phytophylacio ſunt pedales & aliquanto longiores, bifurcati, lignoſi, qua folia tranſeunt nonnihil craſſiores, cortice fuſco glabro veſtiti, quos eodem verſu ambiunt folia inferius trientalia & quadrantalia, ſuperiora verſus pedetentim minora, nullo pediculo prædita, ſed cauli connata & a ramis tranſadacta, Perfoliatæ vulgaris inſtar, cujus & figuram habent & magnitudinem, ſed rigidiora ſunt & magis venoſa, e quorum commiſſuris flores naſcuntur ſolitarii, Piſi pæne magnitudine, vexillo latiuſculo, alis & carina etiam ſat amplis, coloris in virente, ut M. Cateſby retulit, flavi, quos ſiliquæ ſequuntur breves, turgidæ, glabræ, cartilaginoſæ in ſicca & ſubfuſcæ. Ramus ſiliquis gaudens, folia, quam floridus, habebat nonnihil minora. Et tantum, & quod fruteſcens videatur planta, ex ſiccatis dignoſcere licuit. Vere autem non fruteſcere, ſed quotannis ramos perire refert memoratus M. Cateſby, & narrat bipedali altitudine creſcere locis ſylvoſis apertis, bis centum circiter milliaria Anglica trans colonias Anglorum in Carolina.

F. 121.

F. 122.

Crotalaria Loti folio, flore parvo variegato.

Crotalaria Perfoliatæ folio.



Doria Africana arboreſcens, floribus ſingularibus.

DORIA AFRICANA ARBORESCENS, FLORIBUS SINGULARIBUS T. C. III. F. 123.

DIFFERENTIA, quam inter Solidaginem & Jacobæam conſtituit Vaillant in Comment. Acad. Reg. Scient. Ann. 1720. p. 292. & p. 296. in foliis tantum conſiſtit, quæ in illa vel plane integra, vel ſerrata ſaltem; in hac laciniata ſunt. At hæc differentia lubrica eſt; nam inter utraque folia certos limites ponere difficile eſt, cum ſint quædam ſpecies, quarum folia inter laciniata & ſerrata ambigunt, v. gr. Jacobæa montana major, ab alis ſurſum ſemiperfoliata, laciniata, craſſo folio *Hort. Cath. Suppl. II. p.* 41. *Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1720. *p.* 297. *n.* 14. Jacobæa pumila, ſubrotundo Bellidis folio Sicula *Bocc. Muſ. App.* 9. *Comm. Ibid. n.* 17. Jacobæa Orientalis, foliis oblongis non laciniatis, incanis *Cor. Comm. Ibid p.* 299. *n.* 35. Jacobæa erecta incana, Lycopi folio *Comm. Ibid. n.* 36. Jacobæa cineraria, Lampſanæ foliis *Hort. Cath. Suppl. III. Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 179. *n.* 58. *Comm. Ibid. n.* 37. ſuntque antepenultimæ præſertim ſpeciei folia non magis inciſa, quam Solidaginis fruteſcentis Anacampſerotis foliis, floribus fere umbellatis D. Sherard *Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1720. *p.* 293. *n.* 8. Ut non memorem differentiam a foliis petitam ad nova genera facienda admittendam non eſſe.

Quoniam vero petalorum numerus in floribus ſimplicibus magni ſemper habitus fuit ab Auctoribus Rei Herbariæ, minuſque variat, quam folia, quidni & determinatum aut minus ſaltem variantem in floribus Compoſitis ſemifloſculorum numerum præferamus incertis a foliis petitis differentiis? E paucioribus nempe, & ordinarie quinque vel ſex ſemifloſculis Doriæ flores componuntur, cum Jacobææ longe plures ſemifloſculos obtineant. Qua de cauſa Doriæ ſpeciem facio præſentem raram & elegantem plantam, ex Capite Bonæ Spei, ut ex florendi tempore, naſcendi more & habitu plantæ conjicio, primum advectam, quæ ſex retro annis florum capitula quidem oſtendit, ſed loco calidiore ab Hortulano nimis curate repoſita, ea marcida amiſit; & licet ſequentibus annis eadem ſubinde monſtraret, ea tamen vel cæli inclementia, vel aliis de cauſis perficere nequivit, donec hoc, quo hæc ſcribo, anno 1729. temperata ſatis hieme eodem cum Meſembryanthemis Hibernaculo repoſita plura non tantum, quam antehac, capitula efferret, ſed & poſt longam moram, nam lente naſcitur, ad florum complementum perduceret, e quibus conſtitit de Plantarum flore Compoſito, ſpeciatim Doriæ, genere eſſe hanc plantam.

Arbuſcula autem, cum floreret, erat quinquennis, pedali altitudine prædita, caudice digitum craſſo, Sedi arboreſcentis facie & illius inſtar carnoſo-lignoſo, (ſed nunquam ea altitudine & craſſitie) lento, cortice e cinereo ſubfuſco veſtito, parum rimoſo, non aſpero, ſed glabro potius, tuberculis velleroſis candidis, quod ei peculiare, hinc inde obſito, quibus & rami, quos in latera oblique incurvatos emittit, ſcatent, quin & extremitates ramorum & foliorum baſes tenui lanugine, non tamen conglobata, ſed ſparſa, obſiti ſunt. Rami vero aliquouſque nudi ſunt, ſublignoſi, eodem cum caudice cortice veſtiti, extremitatem verſus e fuſco virentes, teneriores & herbacea ſubſtantia præditi, in quibus folia alterna ſerie brevibus intervallis naſcuntur oblonga, verſus extremitatem latiora & obtuſa, baſim

verſus

verſus contracta, Lychnidi Auriculæ Urſi facie *C. B.* ſimilia, utrinque virentia, nonnihil micantia & veluti farinoſa, Auriculæ Urſi inſtar, plana, craſſiuſcula ſucculenta & glabra, avenia, nervo ſaltem medio albicante, ſubtus extante, in ſuperiore parte baſim verſus nonnihil excavato, prædita.

Inter folia hæc in extremitatibus ramulorum pediculi naſcuntur nunc ſolitarii, nunc gemini, teretes, teneri, pallide glauci, ab initio breviores, dein longiores, lacinia lanoſa verſus medium adhærente, quibus inſident capitula ſubrotunda, quæ aliquot menſium decurſu longiora fiunt & calycem efficiunt oblongum, quinque ſubrotundis angulis diſtinctum, ad baſim cohærentem, in extremitate in quinque lacinias dehiſcentem, e quibus flos prodit flavus, e quinque ſemifloſculis oblongis & ſatis latis, in extremitate ſinuatis & tenuiter in medio crenatis, paulo poſtquam explicati fuerunt revolutis, & plurimis floſculis quinquefidis compoſitus, utriculum emittentibus e flavo ſubfuſcum, farinam flavam fundentem, ſemifloſculi autem ſtylum tantum habent, e duobus corniculis croceis conſtantem, & his ſemifloſculis ſemina ſubjiciuntur craſſiuſcula brevia, oblongo-rotunda (ab initio albicantia, per maturitatem ſubfuſca) pappo brevi copioſo ſubfuſco terminata, floſculi autem ſeminibus inſident longioribus, gracilibus teretibus, exſuccis & infœcundis, pappo tenuiore albicante terminatis; qui floſculi & ſemifloſculi inferius in margine figuræ ſeorſum appicti ſunt, figura nempe prima ſemifloſculus explicatus & non revolutus, figura ſecunda, tertia & quarta floſculi. Ceterum calyx e viridi glauceſcit, craſſus & ſucculentus, ſulcatus & profundius, quam in aliis Doriis, angulatus, in quinque tantum ſegmenta ad ſui medium diviſus, quo a Doriis reliquis nonnihil recedit; ſed hæc differentia minor eſt, quam ut ea de cauſa ab iis diſtingui debeat.

Planta eſt lenti progreſſus: æſtate abſque foliis veluti emortua apparet, Auguſto menſe nova emittit folia, quæ per omnem hiemem retinet, e quorum alis in extremis ramulis capitula & flores ſuperius deſcripti lentiſſime naſcuntur, nam circa Novembris finem primum comparent, & demum Januario medio & circa ejus finem explicantur. His peractis circa ver folia pedetentim amittit & velut emoritur planta, donec auctumno inſequenti denuo revireſcat.

Huc referri, ni fallor, debet, Cotyledon Afra arborea, craſſo caudice, folio Auriculæ Urſi anguſtiore *Boerh. Ind. II. p.* 288. *n.* 9. ubi, flore, inquit, nondum viſo, facies tamen magis Cotyledonem referre videtur, quam Sedum. Alia Synonyma non proſtant.

DORIA AFRICANA ARBORESCENS, FOLIIS CRASSIS ET SUCCULENTIS, ATRIPLICEM REFERENTIBUS BOERH. IND. ALT. P. XCVIII. N. VII. T. CIV. F. 124.

BICUBITALI & tricubitali naſcitur altitudine, caudice pedali & ſeſquipedali, craſſitie in annoſioribus plantis fere brachiali, cortice craſſo rimoſo fuſco veſtito, unde rami lenti & fungoſi, nonnihil inæquales & tortuoſi, naſcuntur, ad pedalem, ſeſqui & bipedalem longitudinem protenſi, ſimili cortice ſed minus profunde rimoſo veſtiti, & hinc alterna ſerie juniores æſtate ſurculi pedales & longiores prodeunt, teretes, virentes, non rimoſi, in quibus alternatim ex brevibus

intervallis



Doria Afric. arboreſcens, foliis craſsis et ſucculentis Atriplicem referentibus Boerh.



Doria, quæ Jacobæa orient. Limonii folio Tourn. Boerh.

intervallis folia naſcuntur crebra ſubrotunda, glabra, craſſa & rigida, per margines dentata, plana, ſed non plane explicata, verum plerumque nonnihil inflexa & veluti contorta, figura inter Bellidem & Anacampſerotem, quæ Rhodia radix dicitur, media, facie autem & aſpectu Atriplicis maritimæ (quoniam nempe incana lanugine arcte adhærente, averſa præſertim parte & juniora folia, obducta ſunt), venis levidenſibus obliquis exarata, nervo medio plano & nec averſa, nec adverſa parte notabiliter prominente.

Flores Julio menſe in ſummis ramulis naſcuntur plurimi aurei, velut in umbella digeſti, numero nunc magis, nunc minus abundante, diſcoidei & radiati, e floſculis nempe parvis quinquefidis & ſemifloſculis brevibus integris (figura marginali prima & ſecunda ſeparatim pictis) conflati, ſemifloſculorum numero incerto, nunc enim quatuor & quinque, nunc ſex ſeptemve, & ſubinde plures adſunt.

Calyx verſus baſim nonnihil craſſior fit, & ligulis aliquot cingitur, quibus & florum pediculi gaudent. Ceterum is Jacobææ plane ſimilis eſt. Semina parva gracilia pappum tenuem ſericeum gerunt, & his ſeminibus, præter flores minores, diſtinguitur a Chryſanthemo arboreſcente Æthiopico, foliis Populi albæ *Breyn. Cent. I. p.* 155. quod ſuperius eſt deſcriptum, cui alias foliis (niſi quod ea nonnihil minora & crebrius dentata ſint) & naſcendi modo valde ſimilis eſt; ſemina nempe illius ſubrotunda ſunt & craſſa, calva, quæ cauſſa eſt, ut diſtinctum inde ab aliis plantæ genus inſtituerit *Tournefortius Comm. Acad. Reg. Sc. Ann.* 1705. *p.* 237. quod Chryſanthemoides vocavit, quod nomen *Vaillant. Comm. Dict. Ann.* 1720. *p.* 289. cum Moniliferæ commutat nomine, non neceſſarie ſane; poterat enim, ſi diſpliceret illud & Uvedaliæ *Petiveri* denominatio, eligere Oſteoſpermi *Commelini*, vel Oſteocarpi *Plukenetii* nomen non improprium; ſunt enim plerarumque hujus generis ſpecierum ſemina ſolida & dura.

Ceterum Solidago fruteſcens Anacampſerotis foliis, floribus fere umbellatis D. Sherard *Vaill. Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1720. *p.* 293. *n.* 8. noſtræ eadem eſt planta. D. Sherard non dederat hoc nomen plantæ, nec eam diverſam fecerat a Boerhavii planta, ſed Vaillant Sherardinam nominavit, quod eam a D. Guil. Sherard communicatam habuit.

DORIA, QUÆ JACOBÆA ORIENTALIS, LIMONII FOLIO TOURN. COROLL. P. XXXVI. BOERH. IND. ALT. P. XCVIII. *T. CV. F.* 125.

HUMANAM æquat & non raro ſuperat altitudinem, foliis ad radicem in orbem ſparſis longis latiſque, craſſis, Lepidii figura, per ambitum modice & irregulariter dentatis, ſuperne glabris, viridibus, ſubtus pallidioribus & ſubincana lanugine ſubhirſutis, venis obliquis tenuibus a nervo medio albicante excurrentibus prædita, inter quæ caulis ſurgit dictæ altitudinis, digitum craſſus inferius, virens, nonnihil ſtriatus & hac parte aliquantum piloſus, in ſuperiori vero glaber, ex tereti nonnihil angulatus, cui folia alterna & rariore ſerie adnaſcuntur anguſtiora & profundius dentata, craſſa item, quæ verſus ſuperiorem partem ſenſim minora fiunt, & parte inferiore plane glabra obſervantur, in quibus venæ adeo tenues ſunt, ut vix obſervari queant.

Summus caulis in plures ſe laxat ramulos teretes virentes, quorum alis foliola quædam ligularum inſtar adnaſcuntur, & hi in pediculos abeunt, ligulis tenuibus ſecundum longitudinem adnaſcentibus cinctos, quibus flores Julio & Auguſto menſibus innaſcuntur flavi, calyce ſtriato, ad baſim ligulis aliquot tenuibus prædito, excepti, e duobus, tribus, quatuor & quinque ſemifloſculis, in apice tenuibus aliquot crenis inciſis, & pluribus floſculis majuſculis quinquefidis, compoſiti, ſeminibus pappoſis gracilibus, figura marginali prima, ſecunda, tertia & quarta, cum ſemifloſculis & floſculis ſeorſum expreſſis, inſidentes.

Doria Narbonenſium ſimilis huic, ſed in eo diverſa, quod planta ſit altior, humanam altitudinem longe ſuperans, caulibus robuſtioribus, profundius ſtriatis, foliis longioribus, minus craſſis, tenuius crenatis, floribus longe numeroſioribus & magis ſparſis.

Hanc plantam Solidaginem Succiſæ folio glabro vocavit *Vaill. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1720. *p.* 293. *n.* 6. Quam Succiſam velit, debuiſſet dicere; mihi nulla eſt cognita, cui folia apte comparari queant.

ELEPHANTOPUS CONYZÆ FOLIO

VAILL. COMM. ACAD. R. SCIENT. A. MDCCXIX. P. CCCIX. N. I. *T. CVI. F.* 126.

EST ſub hoc nomine in Phytophylacio Sherardino cum autographo Vaillantii planta, quam modo deſcribendam ſumimus. Seſqui & bipedali ea plerumque eſt altitudine, caule rigido, tereti & piloſo, digitum minorem inferiori parte craſſo, quem folia baſi ſua amplectuntur valde quam rugoſa & hirſuta, pilis non tam in marginibus, quam per omnem ſuperficiem obſita, Conyzæ vulgaris, Baccharis dictæ, figura, ſed non conſiſtentia, minime enim æque craſſa & mollia ſunt (prona tamen pars ſupina mollior eſt), per margines ſerrata, ſerraturis ob rugoſitatem & flexuram ſæpe minus conſpicuis, e quorum alis ſuperiora verſus ramuli naſcuntur in latera diſtenti, ut ea de cauſa tortuoſa fiat planta, quorum cymis capitula hærent foliata, e floſculis faſciculatim congeſtis conſtructa; ſinguli nempe flores totales duo triave, calycis communis loco, ſubjecta habent folia, quorum ſinu continetur ipſe flos, cujus calyces privati e plurimis ſquamis anguſtis, cuſpidatis & pungentibus conflati ſunt, in quibus ſingulis continentur floſculi aliquot, nempe tres, quatuor aut quinque, dilutiſſime purpuraſcentes, tubuloſi, in quinque plerumque anguſtas lacinias diviſi, e quorum tubulo capillamentum vel ſtylus naſcitur bicornis, ad baſim vero ſemina ſubjecta ſunt ex tereti compreſſa, pappi loco laciniis exſuccis candidis terminata. Floſculi regulariter & æqualiter non explicantur, ſed lacinias plerumque commixtas & confuſas habent, ſuntque veri floſculi, a Scabioſæ floribus plane diverſi, capillamento nempe bicorni, quod utriculus farinifer ſtaminum loco ambit, donati. Calyces (privati) & florum faſciculi plures in unum capitulum congeruntur. Ceteroquin calyces hi Echinopo plane ſimiles ſunt, verum ii non ſolitarios, ut in Echinopo, ſed plures continent floſculos: præterea non quoquoverſum porriguntur calyces & floſculi, Echinopi inſtar, verum ſurrecti omnes ſunt, nec in Echinopo capitula æque foliata ſunt, ſed nuda fere, pilis nempe breviſſimis coronata,

F. 126.



Elephantopus Conyzæ folio Vaill.



ronata, & hac præcipue ratione Elephantopus differt ab Echinopo. Cur vero Vaillantius Echinopum & Elephantopum ad diverſa genera, illum nempe ad Capitatas, hunc ad Corymbiferas plantas referat, rationem non video.

Elephantopi nomen impoſuit Vaillant, imitatus *Ana-Schovadi* Malabarorum, quod veſtigium pedis elephantis explicant Horti Malabarici Auctores, & de foliis inferioribus dictum autumat Vaillant, quæ exiſtimentur in ſpeciem pedis elephantis diſponi in Ana-Schovadi, quam cum hac planta eandem putat. Enimvero ſecundum iconem Horti Malabarici Ana-Schovadi non alia, quam quæ ad radicem ſparguntur, folia habet, caules vero & rami foliis carent, noſtra vero planta tam multa ad radicem in orbem ſparſa folia non habet, caules vero foliatos habet, nec capitula, ut ibi pinguntur, noſtræ bene reſpondent. *Plukenetius Alm. p.* 133. Ana-Schovadi vocat, Echinophoræ Indicæ affinem, ſemine & floribus in capſulis, ſeu potius capitulis lævibus in caulium cymis prodeuntibus, in *Mant.* porro *p.* 66. recenſet Echinophoræ affinem Marianam, Scabioſæ pratenſis folio integro, capitulo ſplendente lævi ſummo caule coronatam, quam forte eandem cum illa exiſtimat, cujus figura *Tab.* 388. *n.* 6. & Plukenetium ſequitur Vaillant, utraque illius nomina Ana-Schovadi ſubjungens. Verum noſtræ capitula, tantum abeſt, ut lævia ſint & ſplendentia, ut potius hirſuta & non ſplendentia obſerventur. Potiori jure huc referenda eſt, Scabioſæ affinis anomala ſylvatica, Enulæ folio, ſingulis floſculis albis in eodem capitulo perianthia habentibus, ſemine pappoſo *Sloan. Cat. Jam. p.* 127. *Hiſt. Vol. I. p.* 263. *Tab.* 156. *fig.* 1. 2.

Vulgo Scabioſæ Indicæ *Bontii* nomine venit, nec modus naſcendi a *Bontio Libr.* 6. *C.* 61. expreſſus refragatur, ſed folia illius inferiora profundius laciniata ſunt; & hac de cauſſa diſtinguit Vaillant Bontii plantam, quam Elephantopum folio ſinuato vocat dicto Commentariorum loco.

Perennis eſt planta: floret ſub æſtatis finem & auctumni initio. Figura marginali prima & ſecunda floſculi ſeorſum extracti, tertia plures congeſti cum ſuo calyce, quarta ſemen cum ſuo pappo foliato exſucco exhibentur.

ELICHRYSUM AFRICANUM FOLIO OBLONGO ANGUSTO, FLORE RUBELLO, POSTEA AUREO

BOERH. IND. PRIM. P. XLII. N. XII. ALT. P. CXXI. N. XIII. *T. CVII. F.* 127.

PERENNE eſt & pedali ſeſquipedalique naſcitur altitudine, caulibus teretibus lignoſis cinereis, vix culmum craſſis, in plures ab imo ſurculos pedales & longiores abeuntibus, graciles, teretes, incanos, in quibus folia naſcuntur oblonga & anguſta, utrinque ex cano glauceſcentia, lanugine tenui arcte adhærente veſtita. Flores in ramorum cymis Julio & Auguſto menſibus naſcuntur plurimi, ab initio magis ſparſi & veluti paniculati, capitulis brevioribus & tenuioribus, e flavo rubentibus, dein ſurrecti & umbellatim digeſti, capitulis tum longioribus, ad baſim ex argenteo flavicantibus, in ſummitate vero eleganti aureo colore tinctis. Singula vero capitula quatuor & quinque continent floſculos exiles aureos, quinque laciniis tenuibus diviſos, e quibus ſtyli emicant tenuiſſimi bicornes, ſeminibus inſidentes tenuibus, tenui raroque pappo terminatis. Unius tantum generis floſculos,

floſculos, hos nempe quinquefidos, ſtylodes vero vel capillaceos non obſervavi. Ceterum capitula id peculiare habent, quod gracilia & in ſummitate magis, quam in quacunque alia ſpecie, cuſpidata ſint. Qui flores & floſculi ſeorſum naturali & aucta magnitudine figura marginali prima, ſecunda & tertia appicti ſunt, ramus etiam (anterior) cum floribus junioribus brevioribus rubellis, & cum floribus perfectis (poſterior) longioribus in icone expreſſus eſt. Flores odorem ſpirant mellis, contriti vero nonnihil unguinoſum.

Huic idem facit Vaillant Comm. Acad. Reg. Scient. Ann. 1719. p. 293. n. 24. Elichryſum Æthiopicum numeroſis & anguſtis Stœchadis citrinæ foliis minus albicantibus, florum ſquamulis carbunculi in modum ſcintillantibus *Pluk. Alm. p.* 134. *Tab.* 279. *fig.* 1. ſed nimis ſecure. Plukenetius folia pingit nonnihil anguſtiora, capitula vero magis turgida, quæ in noſtra ſunt longe graciliora. Dein capitula hujus ſpeciei ab initio ſaltem rubellum illum colorem obtinent, quo tempore capitula valde parva ſunt, a figura capitulorum Plukenetii multum diverſa, & eſt in Phytophylacio Sherardino planta figuræ Plukenetii melius reſpondens, a noſtra planta longe diverſa.

Chryſocome anguſtifolia Africana Ten Rhyne Breyn. *Exot. Plant. Cent. p.* 179. an huic vel illi *Plukenetii* plantæ eadem ſit, Clar. Filius docere poteſt.

ELICHRYSUM AFRICANUM FOLIO OBLONGO, SUBTUS CANO, SUPRA VIRIDI, FLORE LUTEO BOERH. IND. PRIM. P. XLII. N. XI. ALT. P. CXXI. N. XII. *T. CVII. F.* 128.

PERENNE eſt & cubitali plerumque naſcitur altitudine, caulibus lignoſis teretibus, culmum craſſis, in plures ab imo pedales ramos abeuntibus, teretes, incanos, in quibus folia naſcuntur ſatis crebra, nunc obliqua, nunc reflexa, nunc ſurrecta, Geniſtæ tinctoriæ figura, ſubrigida, concava, ſuperne læte virentia & ſplendentia (quod huic ſpeciei peculiare), inferne incana, duabus venis ſecundum nervi longitudinem decurrentibus exarata, tomento inferiori foliorum parti & ramis arcte appoſito, ut glabra videantur folia & rami.

Sole in Cancro & Leone verſante ſurculos profert floridos, in quibus folia naſcuntur, ceteris in ramis non florentibus naſcentibus magis mucronata, lata baſi, ut illa, ramos amplectentia, in ſummitate vero flores numeroſi prodeunt, umbellatim digeſti, ex perianthio ſeu capitulis parvis oblongis ſquamoſis, ex argenteo flavicantibus, compoſiti, quibus continentur plures floſculi lutei exigui, in quinque pertenues lacinias diviſi. Unius tantum generis, nempe hi tantum floſculi quinquefidi, non vero alii ſtylodes mihi obſervati ſunt in hac ſpecie, quos ſeorſum in margine ſubter umbellam naturali & aucta magnitudine figura prima, ſecunda & tertia appinxi. Semina parva gracilia pappo pertenui candido terminantur.

Flores & folia contrita odorem ſpirant gratum, talem, qualis in Abrotano vulgari hortenſe obſervatur.

Hanc ſpeciem & Elichryſum Africanum luteum, Polii folio Oldenl. *Tourn. Inſt. Rei Herb. p.* 454. ſynonymas facit Vaillant Comm. Acad. Reg. Scient. Ann. 1719. p. 292. n. 91. Quod ſi ex auctoritate Herbarii ſicci Tournefortiani fecit,

minus

F 127.

F. 128.

F. 129.



El. frutesc. Polii folio, utrinque lanuginoso.

El. chrysum A. fol. oblongo angusto, flore rubello, postea aureo Boerh.

El. A. fol. oblongo, subtus cano, supra viridi, flore luteo Boerh.



minus bene denominata fuit hæc ſpecies, quoniam folia ejus cum Polio parum habent ſimilitudinis, niſi diſcrimen ſit magnum inter plantam ſpontaneam & in horto cultam. Ego quidem in Phytophylacio Sherardino ſub hoc nomine trium, ut videntur, plantarum diverſarum reperio ſpecimina in Africa lecta: primam minus lanuginoſam & parum incanam, foliis anguſtioribus, Polii montani repentis ſimilibus: alteram foliis latioribus, utrinque, ſed præcipue inferiori parte, lanugine ſubfulva obſitis, per ambitum obiter inciſis, Polii Monſpeſſulani quodammodo figura, ſed latiore baſi præditis: tertiam ſimilibus foliis præditam, ſed per ambitum non, aut obiter ſaltem, inciſis, parte ſuperiori glabris. Omnium flores parvi ſunt & compacti, & primæ quidem ſpeciei capitula, quam ceterarum, longe minora & magis lucida ſunt: color ubique idem, nempe ex luteo ad phœniceum inclinans, quod ex ætate contingere videtur; nam & noſtræ ſpeciei flores aliquot annorum ſpatio ſubphœniceum acquirunt colorem, cum ab initio lutei eſſent. Quænam ex his Oldenlandii ſit ſpecies, non niſi ex collatione Herbarii Tournefortiani determinari poteſt. De ſecunda mihi conſtat, eſſe Chryſocomem Africanam flore phœniceo, ſerratifoliam *Breyn. Faſc. p. xx.* cui procul dubio idem eſt, Elichryſum Æthiopicum foliis latioribus denticulatis, ſubtus tantummodo lanuginoſis, floribus phœniceis *Pluk. Mant. p.* 67. qui folia ſubtus tantum lanuginoſa dixit, quod hac parte ea magis, quam altera, lanuginoſa ſint. Tertiam cum noſtra hac eandem habeo. Specimen palmum longitudine æquat, in ramulos aliquot diviſum, foliis amictos crebris, præſertim ſubter flores, brevioribus & nonnihil anguſtioribus, quam in hortenſi planta, floribus in corymbos pyramidatos denſe congeſtis, quoniam videlicet plantæ præmature lectæ ſunt. Ceterum ſtrigoſitas & foliorum ex breviori diſtantia frequentia loco natali debetur. Ad hanc refero, Gnaphalium minus Æthiopicum, latiore folio vireſcente, floribus ſanguineis conglomeratis *Pluk. Alm. p.* 171. *Tab.* 298. *fig.* 7. quæ figura vitioſa eſt, a plantæ ſiccæ & minus perfectæ particula provecta; nec vere ſanguineus color vel in hac, vel in alia ſpecie obſervatur.

Alia vero & a noſtra reliquiſque plane diverſa ſpecies a pluribus annis in Horto Elthamenſi colitur, quæ folia habet Poliomontano & vulgari magis ſimilia, breviora nempe, obtuſiora & utrinque incana, quæque ideo nobis dicitur,

ELICHRYSUM FRUTESCENS POLII FOLIO, UTRINQUE LANUGINOSO T. CVII. F. 129.

HÆc ſpecies planta eſt robuſtior, lignoſior & magis fruticoſa, caulibus bi & tricubitalibus, digitum minorem tamen craſſitie non facile ſuperantibus, cortice cinereo ſtriato veſtitis, ab imo ad ſummum uſque magis, quam præcedens illa, ramoſa, ramis palmaribus dodrantalibus & pedalibus, in quibus folia naſcuntur, Polii vulgaris montani ſimilia, ſed nonnihil obtuſiora, lanugine incana utrinque veſtita, in ramis minoribus breviora & verſus baſim horum ramulorum rotundiora, in ramis majoribus & ad alas ramorum minorum longiora, venis, præter nervum medium, carentia, odore ac ſi quis ſemen Staphylini & Lamii folia commiſceat, ſapore ſicco, ſubadſtringente & ſubamaro, colore in inferioribus cineraceo aut ex cinereo rufeſcente, in reliquis candicante. Hujus ramum priori abſque floribus, quoniam eos per annos aliquot denegavit, adjicere neceſſe habui.

ELICHRYSUM GRAVEOLENS ACUTIFOLIUM, ALATO CAULE T. CVIII. F. 130.

CUBITALI & majore ſurgit altitudine, in multos ramos diviſum, quibus folia adnaſcuntur oblonga, extremitatem verſus mucronata, ad baſim latiora, caulem & ramos amplectentia & ſecundum eos aliquouſque producta, alarum inſtar, per margines undata, ſuperne viridia, ſubtus cana lanugine obducta.

In ſummis ramulis capitula plurima parva congeſta hærent, calycibus parvis argenteo nitore reſplendentibus, quibus continentur floſculi flavi minimi, quos lynceus vix diſtinguat, duplicis per lentem vitream inſpecti figuræ; exteriores nempe velut ſtyli nudi, in duo exilia cornicula diviſi apparent, interiores minimi etiam ſunt, in quinque exiliſſimas lacinias diviſi, ſeminibus inſidentes exiguis, teretiuſculis, pappo brevi tenuiſſimo piloſo coronatis, qui floſculi & ſemina ſeorſum magnitudine naturali, figura prima & ſecunda, & nonnihil aucti figura tertia, quarta ſemina appicta ſunt.

Tota planta, contrectata præſertim, odorem ſpargit fortem, non prorſus ingratum, minime tam fœtentem, ac Elichryſum Africanum fœtidiſſimum alato caule *Inſt. R. Herb.* a quo planta eſt longiſſime diverſa, ceu quæ capitula habet multo grandiora & rariora, folia lata non alata, cauleſque magis robuſtos, propius vero accedit ad Elichryſum latifolium villoſum, alato caule odoratiſſimum *Pluk. Alm. p.* 134. *Tab.* 173. *fig.* 6. inter quod & noſtrum ea differentia intercedit, quod illius folia per extremitatem obtuſiora ſint, utrinque lanuginoſa, quod caules minus ramoſi ſint, & quod flores aureo colore reniteant, in corymbum denſiorem & majorem congeſti. Ceterum folia illius non adeo lata ſunt, ut latifolii titulum mereatur, & melius, ad differentiam hujus, obtuſifolium dicitur.

Annua eſt planta. Sole in Leone exiſtente floret. Africanæ eſt originis; an vero ex Promontorio Bonæ Spei, vel alia Africæ Provincia allata ſit, pro certo non habemus, cum ex Batavia Elichryſi Africani titulo acceperimus.

ELICHRYSUM OBTUSIFOLIUM, CAPITULIS ARGENTEIS CONGLOBATIS T. CVIII. F. 131.

QUONIAM hujus plantæ figura, quæ in *Hiſtoria Oxonienſi* proſtat, non ſatisfacit, aliam ejus exhibere volui. Habetur autem figura illa *Part. III. Sect. VII. Tab.* 10. *fig.* 19. (pro 21.) Helichryſi annui majoris erecti Virginiani titulo, & deſcriptio extat *p.* 88. *num.* 21. ubi Helichryſum, ſive Chryſocome gnaphaloides Virginiana annua, foliis obtuſioribus, capitulis argenteis conglobatis vocatur, & pro Gnaphalio Luſitanico comis argenteis *Pluk. Alm. p.* 171. *Tab.* 31. *fig.* 5. habetur; & reſpondet ſane figura Plukenetii plantæ ſiccæ bene, præſertim quoad capitula, quæ melius, quam in figura Bobarti, repræſentantur, ceu in qua ea nimis parva ſunt, nec extremitates capitulorum recte deſignatæ ſunt. Hirſutia autem ſeu pili, qui foliis & cauli appinguntur, debebant abeſſe, cum lanugo adhærens vel non exſtet ita, vel, floccorum tenuium inſtar, hinc inde ſaltem a caulibus & foliis abſcedat.

A pedali hoc Elichryſum ad bipedalem aſſurgit altitudinem, caulibus rectis, plures

F.130.



Elichrysum acutifolium, graveolens alato caule.

F.131.



Elichrysum obtusifolium, capitulis argenteis conglobatis.



plures ramos mox ab imo emittentibus, teretes, lanugine cana obductos, in quibus folia alterna ſerie naſcuntur, ab anguſtiore principio ſenſim dilatata, & in obtuſum mucronem terminata, per margines leviter undata (quod & in figura Plukenetii & Bobarti omiſſum eſt) ſuperne virentia, inferne e viridi caneſcentia, & tenui hac parte lanugine obducta.

Flores in ramorum ſummitatibus in pediculis uncialibus & biuncialibus plures congeſti naſcuntur, e capitulis obtuſe pyramidatis conſtantes, quorum ſquamæ aridæ ſunt, argenteo nitore reſplendentes, diſcus autem parvus eſt, flavus, e floſculis minutiſſimis duûm generum conſtructus; exterior enim ordo velut e ſtylis tenuiſſimis, in extremitate bifurcis, conſtructus eſt, interiores vero floſculi (hi maſculi, illi fœmelli) in quinque exiles lacinias diviſi ſunt, utriculum farinoſum e medio emittentes. Qui ambo floſculi ſeorſum per lentem vitream aucti figura 1. 2. 3. 4. 5. 6. appicti ſunt. Semina utriſque floſculis ſubjiciuntur valde quam tenuia, pappoſa. Odorem folia & capitula trita ſpirant tenuem, ad Elichryſum vulgare Germanicum accedentem.

Septembri menſe floruit, natum ex ſeminibus e Nova Anglia acceptis; primum vero e Virginia innotuit, ut ex nomine Bobarti liquet.

Valde ſimile eſt Elichryſo latifolio erecto, floribus conglobatis *Inſt. R. Herb. p.* 453. ſed folia habet viridiora, inferius minus incana, in extremitatem minus acutam terminata. Minus bene autem illud vocatur latifolium, niſi forte reſpectu aliorum, quæ folia multo anguſtiora habent.

Suſpicatur Plukenetius idem eſſe Gnaphalio majori, anguſto oblongo folio, alteri *C. B.* At hoc idem eſt cum Gnaphalio majori, anguſto oblongo folio *Ejuſd. C. B.* a quo noſtrum longe differt. Similius eſt Gnaphalio ſylveſtri latifolio, capitulis conglobatis *C. B.* quod tamen, quod in ſummitate minus ramoſum ſit, & quod folia habeat utrinque multo magis incana, in medio minus ampliata, a noſtro differt.

Per Elichryſum Carolin. Gnaphalii Americani facie *Petiverus Hort. Sicc. n.* 6. apud *Rajum Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 244. vel noſtram plantam, vel Elichryſum latifolium erectum, floribus conglobatis *Tournef.* intelligit.

ELICHRYSUM SPICATUM OBTUSIFOLIUM, BASI ANGUSTIORE T. CIX. F. 132.

EX radice tenui fibroſa & annua, quam inutilem vulgo vocaverunt Botanici, caules profert dodrantales & pedales, nunc erectos & non ramoſos (quem ſtatum noſtra figura repræſentat) nunc reclinatos & in ramos aliquot abeuntes, graciles, incano tomento obſitos, quibus folia adnaſcuntur ex viridi caneſcentia, parte caulis inferiore latiora (mox areſcentia) ex anguſto principio dilatata & in obtuſam extremitatem deſinentia, parte autem caulis ſuperiore folia anguſtiora fiunt & tandem inter ſpicas plane anguſta redduntur. Spicæ autem ſummos caules terminant breviores, quam vulgaris Elichryſi anguſtifolii ſpicati, quarum capitula colore præterea differunt, purpuraſcunt nempe, cum illius capitula ſubſpadicea ſint: folia etiam, quam illius, latiora obſervantur. Ceterum ſubter ſpicam capitula aliquot e foliorum ſuperiorum alis per intervalla naſcuntur, reliquis ſimilia, ſed minora, quoniam nempe ſerius & poſt illa prodeunt. Plantæ, quæ reſupinatos

habent

habent cauliculos, in ſingulis ramulis iſtiuſmodi ſpicas, ſed media & primaria ſpica minores, proferunt.

Æſtate & Auctumno floret. E Carolina allatum fuit cum aliis quibuſdam plantis vivis; e ſolo nempe, quicum illæ afferebantur, ſponte ſua propullulavit.

Hujus loci ſuſpicor, Gnaphalium ſpicatum majus, non ramoſum, erectum Virginianum, foliis obtuſioribus *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 92. *n.* 2. „Quod cum proxime antecedente (Elichryſo vulgari anguſtifolio ſpicato, i. e. Gnaphalio majori, anguſto oblongo folio *C. B.*) inquit *Bobartus*, convenit, folia vero rarius cauli appoſita, unciam unam aut alteram longa, ex anguſto principio latiora & obtuſa fiunt. Flores exigui e foliorum ſupremorum alis arcte abſque pediculis cauliculi juncti protruduntur ſpicamque conſtituunt." In qua deſcriptione omnia reſpondent, niſi quod in titulo minus bene majus vocetur. Porro Filago Carolin. flore rubente Hort. Sicc. Pet. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 244. *n.* 17. hujus loci eſſe videtur.

ELICHRYSUM SPICATUM OBTUSIFOLIUM, BASILATIORE T. CIX. F. 133.

RADIX tenuis fibroſa caulem emittit pedalem, teretem, pallide vireſcentem, lanuginoſum, in quo folia alterna ſerie naſcuntur oblonga obtuſa, baſi ſatis lata cauli annexa, utrinque viridia, ſed ob incanam telam tenerrime ſuperinductam albicantia, per margines obiter undata, e quorum alis alia minora pullulant, verſus caulis vero ſummitatem capitula ſquamoſa pyramidata, e viridi nunc ſubfuſca, nunc leviter purpurantia & nonnihil lucentia, plura faſciculatim in glomeratam ſpicam diſpoſita naſcuntur, quorum floſculi, ceu in reliquis, tenerrimi & vix conſpicui ſunt, dilutiſſime purpurantes.

Ad baſim caulis ſurculi aliquot ſubrigidi folioſi naſcebantur, ac ſi planta eſſet perennis, & per hiemem etiam ſubinde durat, plerumque vero floribus & ſeminibus peractis perit.

Caule craſſiore, foliis ad baſim latioribus, capitulorum colore obſcuriore, a præcedente ſpecie ſatis diſtinguitur.

Ceterum eodem, ac prior, modo e terra Carolinenſi orta eſt hæc ſpecies, ſed tempore diverſo floruit, æſtate enim prodiit & Januario demum menſe in Hibernaculo floruit, quod accidentarium eſt; ſequentibus enim annis mature ſata utraque eodem tempore, Junio nempe menſe, flores tulit.

ERIOCEPHALUS SEMPERVIRENS, FOLIIS FASCICULATIS ET DIGITATIS T. CX. F. 134.

QUAM ob fruticandi & foliorum cum Comis aureis, in Horto Amſtelodamenſi a C. Commelino deſcriptis & depictis, ſimilitudinem, Comam auream Africanam fruticantem, foliis glaucis ſucculentis, digitatis odoratis in *Indice Alt. p.* 122. *n.* 8. vocavit *Herm. Boerhaave*, ea annis aliquot in Horto Elthamenſi media hieme, ut ſolent, ſi in Hibernaculo convenienti reponantur, Capenſes pleræque plantæ, flores protulit, quibus diverſi prorſus generis eam eſſe conſtitit. Hi enim

F. 132.



Elichryſſum ſpicatum obtuſifolium, baſi angustiore.

F. 133.



Elichryſſum ſpicatum obtuſifolium, baſi latiore.

P. 133.

T. CX.

F. 134.



Eriocephalus ſempervirens, foliis faſciculatis & digitatis.

enim ſummis ramis innaſcebantur figura & ſpecie Ptarmicæ humilis incanæ, foliis laciniatis, Abſinthii æmulis *H. L. Bat.* i. e. Abſinthio Alpino umbellifero *Cluſ.* proxime æquales, unde hujus potius, quam Comæ aureæ generi annumeranda videtur hæc planta. Tamen accuratius inſpicienti nec cum Ptarmicæ genere exacte convenire videbuntur flores. Nam neque calyce donantur proprie ſquamoſo, neque foliola ſeminibus interponuntur, quin potius capitula delicata lanugine peculiari modo farcta obſervantur, quod nec in Ptarmicæ, nec in Millefolii genera, ſi quidem ea diverſa concedamus, quadrat; quapropter novo generi ſtruendo hæc planta merito inſervit, præſertim quod facie & habitu externo ab utriuſque genere multum recedat. Id Eriocephali nomine cum Plukenetio, qui primus denominavit hanc plantam, indigito. Neque curo quod alii generi, Carduo nempe capite tomentoſo, id tribuat Vaillant Comm. Ac. Reg. Scient. Ann. 1718. p. 160. Quod ſi enim Cardui illi genus ab aliis diſtinctum mereantur, malim id antiquum & uſitatum Coronæ fratrum nomen retinere, quam Eriocephali, quod & re & tempore denominationis noſtrum ſibi vendicat genus.

Flores autem hæc planta in ſummis ramulis profert ſex, ſeptem, octo & plures, ſingulos ſingulis pediculis inſidentes, coloris in margine candidi, cui dilutiſſimus quidam rubor permixtus eſt, in diſco vero obſcure purpurei. Barbulæ quidem marginales latiuſculæ breveſque ſunt, obtuſæ, in tres, ſubinde in quatuor retuſas lacinias diviſæ, ſtylo brevi ſimplici, qua angulum patiuntur & in pediculum tenuantur, donati, quæ ſeminibus inſident oblongis, compreſſis, nudis. Floſculi vero in quinque acutas lacinias dividuntur, coloris obſcure purpurei, quibus ſtylus ineſt, in duo exilia cornicula diviſus & utriculo luteſcente circumdatus. Qui floſculi ſeminibus vel nullis, adeo tenuia ſunt, vel infœcundis & inanibus inſident. Numerus barbularum admodum incertus mihi obſervatus, modo enim ternæ, modo quaternæ, modo quinæ erant, poſteriorem tamen numerum magis naturalem exiſtimo, cum calyci reſpondeat in quinque ſegmenta diviſo. Floſculi ſex, ſeptem, plureſque ſunt, & una cum barbulis calyce clauduntur duplici, e quinque nempe foliolis exterioribus carinatis virentibus, & quinque interioribus ſquamulis planis, exſuccis albidis, verſus extremitatem ſubfuſcis, conſtructo. Quod præcipue notabile eſt, lanugo candida inter utraque hæc ſegmenta hæret, & pauca quædam præterea inter ſemifloſculos & floſculos ſpargitur. Seminibus vero, ut dictum, lanugo vel pappus nullus inhæret. Præterea corpuſcula quædam nigricantia, rigida, compreſſa & veluti geminata (ſingula ſingulis inſidentia) ad ſquamularum interiorum baſim hærent, quæ nec ad calycem pertinere, nec pro ſeminibus habenda videntur. Capitula cum Partheniaſtro quædam habent communia, in multis tamen ab eo recedunt, nec habitu inter ſe conveniunt hæc genera, ut deſcriptiones & icones utriuſque conferenti patebit.

Quæ ut clarius perſpiciantur, more noſtro ſingulas partes ſeorſum appinximus: nempe figura marginali prima faſciculum capitulorum maturorum lanuginoſorum, ſecunda & tertia capitula ſolitaria, quarta ejuſmodi capitulum cum calyce exteriori, ut interior compareat, explicato, quinta calycis interioris ſquamam, ſexta & ſeptima floſculos naturali, octava aucta magnitudine, nona, decima & undecima ſemifloſculos, duodecima, decima tertia & decima quarta corpuſcula nigricantia ad ſquamarum baſim hærentia.

Ceterum planta hæc lignoſa eſt, ita ut ramis inferioribus reſectis aliquot annorum ſpatio in arbuſculam ſatis proceram aſſurgat. Altitudine vero plerumque eſt bicubitali & tricubitali, ramis crebris rectis, non multum ſparſis, pedalibus & longioribus donata, ternis utplurimum ab eodem principio, aut non longe ab invicem, enaſcentibus, quos longa ſerie folia faſciculatim orta veſtiunt, craſſa & oblonga, (unciam plerumque longa, vix culmum lata) ſubteretia, parte nempe interiore, qua ſe mutuo ſpectant, plana, exteriore ſeu in dorſo leniter elevata, avenia, nullis pediculis donata, nec hirſuta, nec glabra, ſempervirentia, coloris e cinereo glauci, odoris & ſaporis aromatici, veluti ſi quis Crithmum & Abſinthium Romanum inter ſe commiſceat. Folia hæc, ut ſupra demonſtratum eſt, per faſciculos naſcuntur, quorum ea quæ exterius, ſeu in parte inferiore, locantur, breviora & in tres plerumque partes diviſa ſunt, ea vero quæ centrum occupant, longiora & indiviſa obſervantur. Subinde tamen fieri ſolet, ut exteriora folia integra, interiora in plures partes, quinque nempe, diviſa ſint. Porro folia in plantis junioribus longiora, in annoſioribus breviora obſervantur, & nova folia verno tempore enaſcentia (vid. figura 15.) piloſa ſunt, quæ lanugo procedente tempore ita diſparet, ut nec glabra, nec villoſa vel hirſuta dici queant. Ceteroquin folia, quæ extremos ramulos occupant, minus crebra denſaque ſunt, ſub umbella vero, vel ad florum baſim denuo multiplicantur, & hic veluti radius ſedet foliorum, e quo florum pediculi oriuntur. Caudex quinquennii & ſexennii ſpatio unciam & ſeſquiunciam in diametro habet, cortice veſtitus ſtriato, cinereo, & rami ſimiliter ſtriati ſunt, coloris e cinereo in ſubfuſcum vergentis. Radix fibris copioſis nigris abundat, & multa gaudet aqua, unde conjicere licet, aquaticam eſſe plantam, aut non longe ab aquis remotam naſci.

Animadvertendum eſt in plantis ſpontaneis, quales ſervantur in Phytophylacio Sherardino, folia eſſe breviora & plerumque integra, barbulaſque marginales minus eſſe viſui obvias, quoniam in ſiccis ſpeciminibus eæ vel comprimuntur, vel lanugine, quæ poſt exſiccationem calyce egreditur, obteguntur. Quo minus quis dubitet, quin huic eadem ſit, Eriocephalus Bruniades Africana, Lariceis argenteis & ſericeis foliis, capitulis ſtaminibus refertis, globulorum inſtar cavis & denſa lanugine tectis *Pluk. Mant. p.* 69. *Tab.* 347. *fig.* 7. ubi barbulæ deſunt, & notandum, quæ ſtamina vocat Plukenetius, non niſi floſculos eſſe, qui in ſicca ſubfuſci apparent: folia, ut in ſiccis & ſpontaneis plantis ſit, noſtris longe tenuiora ſunt. Ceterum delectatur Plukenetius pleonaſmis; poterat enim ſufficere nomen vel Eriocephali, vel Bruniadis, ſi quidem id bene derivavit a *Brown*, cui mittenti hac in re gratum animum denominatione illa teſtari voluit. *Rajo Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 233. *n.* 10. vocatur, Abrotanum Africanum foliis argenteis anguſtis, floribus umbellatis, capitulis tomentoſis, ut teſtatur Hortus Siccus Guil. Sherardi, in quo ſpecimen, quod Rajus vidit, adhuc aſſervatur.

Hujus porro generis ſpecies videtur, Abrotanum Africanum, foliis argenteis anguſtis, floribus ſpicatis, capitulis copioſo tomento donatis *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 233. *n.* 9. Quoniam tamen folia in eo non faſciculatim, quamvis & id non neceſſarium ſit, ſed potius vel conjugatim, vel ſolitarie enaſcuntur, nec niſi ſiccam vidi, in qua nec floſculi, nec ſemifloſculi clare comparent, nil determino. Quæ ſpecies non confundenda eſt cum Eriocephalo Bruniade Ericæformi Monomotapenſi,

F. 135.



Eruca Monensis laciniata, flore luteo majore.



penſi, capitulis globulorum inſtar cavis & denſa lanugine tectis *Pluk. Alm. p.* 69. *Tab.* 347. *fig.* 5. in qua capitula ſunt longe rariora, nec folia incana, ſed potius hirſuta, Ericæformia. Fides ſit penes Plukenetium, an hæc hujus generis vera ſpecies ſit; capitula quidem, ſi recte picta ſint, quadrant, at ſpecimina, quæ vidi, ſicca, diverſi potius eſſe generis ſuadebant. Sane mihi conſtat, Eriocephalum Bruniadem Æthiopicum, Corios tenuiſſimis foliis & caule piloſiſſimis, ſuffruticem peramœnum *Pluk. Alm. p.* 69. *Tab.* 347. *fig.* 6. non eſſe de hac familia, cum ſingula capitula flores gerant ſingulos monopetalos, Ericæ vulgari quodammodo ſimiles, in quatuor lacinias ſectos, e quibus numeroſa prominent ſtamina.

ERUCA MONENSIS LACINIATA, FLORE LUTEO MAJORE T. CXI. F. 135.

NUMEROSA in orbem ſpargit folia, ſpiſſa & glabra, ad coſtam uſque mediam laciniata, ſegmentis quibuſdam ea parte qua pediculorum ortum ſpectant, leviter dentatis, pleriſque vero integris, Burſam paſtoriam, cui profundius inciſa ſunt folia, figura proxime referentia. Ea quidem, quæ primum ex radice exeunt folia, reliquis breviora, in pauciora latioraque ſegmenta diviſa ſunt, quæ vero poſt hæc & ex eorum ſinu naſcuntur, pinnas habent crebriores & anguſtiores. Pediculi folia ſuſtentantes oblongi ſunt, verſus baſim purpurei, folia autem ſaturato virore reſplendent, inodora, ſapore acri.

E foliorum medio, Junio menſe & Julio, cauliculi prodeunt teretes, glabri, reſupini, uno alterove folio plus minuſve laciniato donati, quibus in pediculis brevibus flores innaſcuntur, pro plantæ ratione ſatis magni, pallide flavi, e quatuor petalis obtuſis ſtriatis, e regione poſitis, conflati, perianthio tetraphyllo piloſo deciduo excepti, non expanſo, ſed contracto, Raphaniſtri lutei inſtar, cui & flores figura valde ſimiles ſunt, niſi quod petala, illius inſtar, cordata non ſint. Floribus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ (biunciales) teretes, ab initio glaucæ, cujuſmodi ſunt & caules, per maturitatem albicantes, e quibus ſemina modice protuberant, ſimplici ſerie utrinque diſpoſita.

Hæc eſt planta illa, quæ naſcitur ad fretum Abermenajenſe circa domum ubi eſt ſtatio navicularum pro trajiciendo freto, ſolo arenoſo, tenui gramine veſtito, ubi eam indigitante Lhwydio obſervavi anno 1726. Auguſto menſe, nec me alibi in Mona inſula vidiſſe memini, unde plantas aliquot Londinum detuli & in Hortum Elthamenſem contuli, ubi ſequenti anno paulo maturius, Majo nempe menſe, floruit, & ſeminibus perfectis exaruit, quamvis ob radicem prolixam & lignoſam, foliaque ſempervirentia perennis mihi viſa fuerit. Magnitudine variat, nam in Horto & loco etiam natali minus ſterili major naſcitur, in aridis vero minor eſt, & folia elegantius pinnata habet; & quamvis pumila ſit, flores tamen juſtæ magnitudinis profert. Utramque in tabula expreſſimus.

An quæ in Monœda ad Ramſay & reliquis locis a Rajo memoratis naſcitur, eadem huic ſit, determinare non poſſum, quoniam loca illa adire mihi nondum licuit. Rajus nullam nobis lucem affert, quoniam nullibi deſcripſit. In Catalogi Plantarum Angliæ & Synopſis Editione prima & ſecunda Erucam Monenſem laciniatam luteam vocat, & an ſit Eruca ſylveſtris minor lutea Burſæ paſtoris folio

C. B.

C. B. quærit: Quis vero hoc ex ſolo nomine Raji determinet? Similiter ſe habet in *Hiſt. Tom. I. p.* 809. *n.* 5. ubi Erucam illam verbis C. Bauhini deſcribit; & quæritur, inquit, an Eruca Monenſis laciniata lutea ab ea differat. *C. Bauhinus in Pr. p.* 39. *n.* 2. ſuæ caulem brachiatum ſubaſperum, folia ſimiliter ſubaſpera & ſiliquas breves tribuit, quod noſtræ minime competit. An hæc Monœdenſi quadrent, obſervatione eget. Quam *Plukenetius Ph. Tab.* 86. *f.* 7. & *Petiverus Herb. Brit. Tab.* 46. *f.* 7. pro hac figurarunt, nec cum noſtra, nec cum Eruca pumila Sicula, Burſæ paſtoris folio *Bocc. Rar. p.* 19. *Tab.* 10. convenit. Sicula caules habet aphyllos, & foliorum alas obtuſiores, quibus a Plukenetiana & Petiveriana differt; a noſtra vero diſtinguitur, præter caules aphyllos, ſiliquis gracilioribus & brevioribus, dimidiam ſaltem noſtræ longitudinem obtinentibus, & floribus parvis. Et quoniam C. Bauhinus ſuæ flores ſatis magnos adſcribit, conficitur & Siculam, quæ tum ex figura Bocconi, tum ſecundum ſpecimina a Boccono G. Sherardo communicata, flores parvos habet, ab utraque & noſtra etiam diſtinctam ſpeciem eſſe. Cum Sicula eadem eſt Eruca minimo flore Monſpelienſis *J. B. Hiſt. T. II. L.* 21. *p.* 862. ſi corrigas folia, quæ J. Bauhinus juſto acutiora facta queritur. Hanc in muris & inter ſaxa naſci & Bocconus & J. Bauhinus referunt; noſtra vero maritima eſt. Petiveriana & Plukenetiana figura ab invicem non diſcordant: Petiverus omiſit flores, quos Plukenetius valde parvos appingit, quibus, ut & ſiliquis brevioribus, gracilioribus, foliiſque in caulibus pluribus, cum noſtra conciliari nequit. Si Plukenetius legiſſet deſcriptionem C. Bauhini, flores ſatis magnos longis pediculis inſidentes tribuentis, non fuiſſet abuſus ejus nomine & pro ipſius planta figuram ſuppoſuiſſet ſuam. Animadvertitur etiam differentia inter figuram Plukenetii & Bocconi in *Synopſis Stirp. Brit. Editione tertia p.* 297. Nimis tamen ſecure ex Plukenetii auctoritate ſynonyma ibi recenſita ſunt. Quum ea imprimeretur editio, Editori relatum erat, Siculam eſſe eam ſpeciem, quæ in Britannia ſponte naſcitur.

Ex quibus conficitur novam plane eſſe hanc Lhwydianam ſpeciem, quæ pro Rajana habita inventori fuit, nec immerito, cum tam parum fuerit nota, cumque eandem eſſe vel ſolum nomen Raji ſuadere poterat. Si qui Herbariæ rei gnari in Euboniam ſeu Monœdam navigabunt, vel Cumbriæ oram maritimam adibunt, obſervent diligentius, quænam ibi naſcatur planta, quæ ſi eadem ſit cum noſtra, damnandæ erunt icones Petiveri & Plukenetii.

ERVUM ORIENTALE ALOPECUROIDES PERENNE, FRUCTU LONGISSIMO TOURN. INST. R. HERB. COR. P. XXVII. *T. CXII. F.* 136.

RADIX longe lateque repit & perennis eſt, e qua plures ſingulis annis ſurgunt caules recti virentes, ſtriati, calami craſſitie, altitudine cubitali & majore, in quibus ab imo ad ſummum uſque folia naſcuntur e decem & pluribus pinnarum paribus, cum impari in extrema coſta pinna, compoſita, oblonga, venis levidenſibus prædita, ſuperne ſaturanter viridia, inferne ex viridi albicantia & ſericeis pilis aſperſa non hac tantum parte, ſed & per margines & ſuperiore parte, ſed minus hic, ob viriditatem prædominantem, conſpicue. Ceterum caules ab imo non ramoſi ſunt, in ſuperiori vero parte e foliorum alis ramulos aliquot emittunt, ſimilibus foliis, ſed longe minoribus & magis incanis cinctos, ſuprema autem caulis pars

F. 136.



Ervum Orient. Alopecuroides perenne, fructu longissimo Tourn.



pars in ſpicam definit ſatis longam, e pluribus floribus, nec laxe, nec admodum denſe congeſtis, compoſitam, coloris ex herbaceo & dilute flavicante albicantis, quam Galegæ amplioribus, calyce etiam longe ampliore, in quinque obtuſas breveſque lacinias diviſo, non virente, ſed eodem cum floribus colore prædito, figura & facie Aſtragalum magis, quam vel Ervum, vel Galegam, referentibus. Singuli flores oblique ſurriguntur, aut leniter inclinant, minime vero, Galegæ inſtar, pendent, e vexillo latiuſculo oblongo (in floribus pauliſper explicatis retroflexo); alis oblongis conniventibus & carinam compreſſam protegentibus, compoſiti. Quæ carina, ſi flores e calyce extrahantur, in duo petala ſponte dilabitur. Stamina decem oblongo florum ſinu conduntur, ad baſim uſque diviſa, apicibus flavis ſubrotundis terminata: embryo oblongus, gracilis, ſericeus, ſtylo ſimplici præditus, in floribus etiam latet, qui dein in ſiliquam abit ſeſqui & biuncialem, ſimplicem, compreſſam ab initio & argenteam, dein vireſcentem & qua ſemina incrementum ſumunt, intumeſcentem. Pauca vero, nempe unum tantum alterumve ſemen oblongum reniforme ſingulæ ſiliquæ ad maturitatem nobiſcum perduxerunt; ſperamus autem ſiliquas, ubi lætius creverint & maturaverint, ſemina longius excreturas, & iſtiuſmodi ſiliquas exemplar plantæ ſiccatum, a Gundeſheimero nomine Ervi Pontici Alopecuriodis perennis, fructu longiſſimo communicatum, Phytophylacium Sherardinum ſervat, qualis figura marginali octava appicta eſt.

Flores tenuem ſuavemque ſpirant odorem. Sole ex Geminis ad Cancrum tranſeunte in fictili nobiſcum floruit, in ſolo libero ob rependi libidinem flores adhuc denegavit. Figuris marginalibus prima flores aliquot ſeorſum, ſecunda vexillum, tertia alæ, quarta carinæ folia, quinta ſtamina, ſexta embryo & ſtylus, ſeptima & octava ſiliquæ aliquot integræ, nona diſſecta ſiliqua cum ſemine uno perfecto & pluribus abortivis expreſſa ſunt.

Eſt Galega facie Barbæ Jovis, ſericea repens, flore pallide luteo, denſe ſpicato *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 46. *n.* 4. ubi quæritur an ſit, Galega Ægyptiaca, ſiliquis propendentibus longiſſimis & anguſtiſſimis *Herm. Hort. Lugd. Bat.*? i. e. Galega Ægyptiaca ſiliquis articulatis *C. B. Pin. p.* 352.? quod nobis non videtur: Illa enim folia habet anguſtiora, & ab imo ſtatim ramoſa eſt, plureſque e foliorum alis ſpicas florum laxiores profert.

Hanc porro plantam per Glycyrrhizam ſiliquis nodoſis, quaſi articulatis, deſignare videtur *Buxbaum Plant. min. cognit. Cent. III. p.* 25. *Tab.* 46. licet flores exiguos luteolos in ſpicam parvam digeſtos tribuat; ſiliquæ enim figura noſtræ bene reſpondet, ex qua Ervi eſſe ſpeciem facile potuiſſet auctor colligere, nec opus erat, diu eſſe dubium, quorſum, & ob faciem externam tandem ut ad Glycyrrhizam (quæ ſiliquas longe diverſas habet) referret. Ceterum figura ipſius manca eſt & floribus deſtituta.

Aſtragalus Orientalis auguſtifolius, caule pedali, flore e viridi flaveſcente odoratiſſimo *Tourn. Cor. Inſt. R. Herb. p.* 29. planta eſt noſtræ ſimillima, caule & foliis iiſdem, ſpica florum ſimili, & in eo ſaltem diverſa, quod ea pediculo longiore (quadrantali & trientali) nitatur, quodque flores nonnihil minores & magis penduli ſint, ſecundum ſpecimen ſiccum Phytophylacii Sherardini. Verum cum hæc Ervi, illa vero ſecundum Tournefortium Aſtragali ſpecies ſit, differentias recenſere vix opus eſt.

EUPATORIOPHALACRON BALSAMINÆ FOEMINÆ FOLIO, FLORE ALBO DISCOIDE VAILL. COMM. ACAD. R. SCIENT. A. MDCCXX. P. CCCXXIV. N. I. *T. CXIII. F.* 137.

QUo loco hujus generis ſequentes notas characteriſticas tradit: „ Flores in „ quibuſdam ſpeciebus radiatos eſſe, e floſculis androgynis & ſemifloſculis „ fœmellis conſtructos, in aliis diſcoides, qui plerumque e floſculis hermaphroditicis & ovariis petalis deſtitutis (ita enim *fleurs effleurées* ipſe interpretatur *Comm. Ann.* 1719. p. 143.) conſtent: ovaria (cur non ovula, & quid opus eſt ovulis, quamdiu ſemina ſuppetunt?) eſſe nuda ſeu non pappoſa & locari in placenta vel thalamo foliolis vel ligulis referto: calycem ad baſim uſque in plura ſegmenta dividi: folia eſſe conjugata. " Ex quibus colligitur, ſeminibus calvis ab Eupatorio & Bidente, foliis conjugatis, floribus ſecundum caulium & ramulorum longitudinem enaſcentibus, calyce ſimplici ſeu non ſquamoſo, floribus radiatis, aut corona ſaltem radii æmula cinctis, a Santolina differre hoc genus. Conſtat etiam, cur hanc & nonnullas alias, quas dicto loco recenſet, ſpecies flore diſcoide vocet, quoniam nempe radio carent; verum cum, quæ radium obtinent, diſco etiam gaudeant, melius flore nudo, aut flore tantum diſcoide vocaſſet Auctor. Quamvis, ſi ceteræ non radiatæ ſpecies hujus inſtar formatæ ſint, exiſtimem, radio non tam deſtitui, quam minus ſaltem obſervabili, ut ex dicendis apparebit, donari.

Seſqui & bipedales vero ex radice fibroſa huic ſpeciei enaſcuntur caules aliquot, inferiori parte non ramoſi, recti, ex quadrangulari ſubteretes, herbacei, aut ex herbaceo apud nos ſubfuſci, aſperi, quibus ad genicula bina (ſubinde & bina & terna ex eadem radice in diverſis caulibus obſervavi) adnaſcuntur folia oblonga, per margines ſerrata, utrinque viridia & nonnihil ſplendentia, inferiori parte aliquanto pallidiora, venis obliquis exarata, ſubhirſuta, ob crebros nempe pilos rigidos, quibus ea undique ſcatent, in ſicca tamen magis, quam in virente planta, obſervabiles; quoniam nempe pili non exſtant, ſed appreſſi ſunt, ſimiliter ac in caulibus, quorum etiam pili appreſſi ſunt.

E foliorum ſuperiorum alis ramuli exeunt foliati, unciales, bi & triunciales, teretes, e quorum foliorum alis ſuperioribus, ſicut & ex ipſius primarii caulis foliorum alis, flores naſcuntur modo ſolitarii, modo gemelli, brevibus ab initio, dein ad ſeminum perfectionem longioribus pediculis hærentes, candidi, primo aſpectu nudi, at curatius examinati radio non deſtituti, nimirum multiplici ſemifloſculorum ſtamineorum ordine prædíti, quibus floſculi continentur plures exigui, in quatuor, non raro in tres tantum, laciniolas diviſi, & tam hi, quam illi ſtylo tenui bicorni, in his breviori, in illis longiori, gaudent. Ceterum ſemifloſculi tam tenues ſunt, ut ſtylos ipſos craſſitie vix ſuperent, ſed ſtaminum inſtar apparent & ſeminibus inſident, quam floſculi, longioribus, quæ cauſſa eſt, ut hæc fœcunda, illa inania videantur; illa enim floſculis maſculis & fariniferis, hæc fœmellis ſeu ſtyliferis ſemifloſculis ſubjiciuntur. Nuda ſunt ſemina, Bidenti ſimilia, ſed ariſtis deſtituta, in ſummitate nonnihil craſſiora, quam inferius, ex compreſſo quadran-

F. 137.

F. 138.

Eupatoriophalacron Menthæ arvensis folio Vaill.

Eupatoriophalacron Balsaminæ foeminæ folio, flore albo Vaill.



quadrangularia. Floribus, vel potius horum ſemifloſculis & floſculis foliola capillacea virentia, ſquamarum inſtar ſemina diſtinguentia, interjiciuntur. Calyx in decem & plura ſegmenta virentia ad baſim fere dividitur, ſimplex & vix ſquamoſus.

Figura marginali prima flos, ſecunda & tertia ſemifloſculi & floſculi naturali, quarta & quinta aucta magnitudine cum foliolis ipſis appoſitis, ſexta ſemina naturali, ſeptima aucta magnitudine appicta ſunt.

Æſtate & auctumno floret, & ſeminibus ad maturitatem perductis, quod altero a ſatione anno plerumque fit, perit planta.

Prima ejus figura a *Plukenetio* fuit exhibita *Phyt. Tab.* 109. *fig.* 1. ubi & in *Alm. p.* 335. ex *Par. Bat. Prodr.* vocatur, Scabioſa conyzoides Americana latifolia, capitulis & floribus albidis parvis, quo nomine etiam deſcribitur & depingitur in *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 47. *n.* 16. *Sect. VI. Tab.* 13. *ſer.* 3. *fig.* 16. loco anteriore. Deſcriptio brevis eſt, in qua perperam folia digitalis longitudinis æque ac latitudinis dicuntur: figura eſt pars plantæ ſuperior cum foliis anguſtioribus, in quibus foliis ſerraturæ nimis ſuperficiales ſunt, quæ magis exprimuntur in figura Plukenetii, licet quoad reliqua minus, ac illa, bona ſit. Ceterum utraque ad plantam ſiccam efformata eſt. Ad virentem facta & utraque paulo melior ſub dicto nomine habetur inter Icones Broſſæanas, ſed cum ineditæ ſint, noſtram novam hic exhibere volui.

In *Inſt. R. Herb. p.* 462. dicitur, Bidens Americana flore albo, folio non diſſecto, & eſt, ſecundum Vaillantium, After flore minore albo, caule rubente aſpero *Plum. Cat. p.* 10. Cui porro eadem eſt, Santolina Syrinamenſis folio conjugato Chamænerii, calyce minus ſquamoſo, flore albo, ſemine anguloſo umbilicato *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 267.

An ſit Bellis leucanthema conyzoides, Ptarmicæ effigie, Americana *Breyn. Prodr. Sec. p.* 23. ut doceat Cl. Filius, rogamus.

EUPATORIOPHALACRON MENTHÆ ARVENSIS FOLIO VAILL. COMM. ACAD. R. SCIENT. A. MDCCXX. P. CCCXXIV. N. III. *T. CXIII. F.* 138.

PRÆCEDENTI ſpecie aliquanto minor eſt, magis vero ramoſa, ramis inferioribus & caulibus exterioribus, quos longe, quam illa, frequentiores habet, reclinatis & procumbentibus, medio tantum ſurrecto, foliis brevioribus, obſcurioribus ſeu non ſplendentibus, magis hirſutis, caulibus item hirſutioribus & pilis magis extantibus, obſitis, florum radio e ſemifloſculis nonnihil latioribus, ſed brevioribus, bifidis, rarius integris, conſtructo, diſco, quam illius, minore, e floſculis ceteroquin, illius inſtar, quadrifidis compoſito, capitulis, ad ſeminum etiam maturitatem, pediculis ſemper brevibus inſidentibus.

Flores gemelli ex alterutra foliorum ala (Plukenetius bigemellos habet), altera nuda relicta, oriuntur, candidi, & tam ſemifloſculi, quam floſculi ſeminibus inſident & ſtylum pertenuem bicornem habent, ſeminibus ſubnaſcentibus tota capitula implentibus. Figura octava & nona ſemifloſculi & floſculi aliquot ſeorſum appinguntur.

Nata

Nata fuit e ſeminibus ex Cormandelienſi ora allatis & a D. Bern. de Juſſieu benevole communicatis. Tota fere æſtate floret. Dicitur

Chryſanthemum Maderaſpatanum, Menthæ arvenſis folio & facie, floribus bigemellis ad foliorum alas, pediculis curtis *Pluk. Alm. p.* 100. *Tab.* 118. *f.* 5.

EUPATRORIUM SCORODONIÆ FOLIO, FLORE CÆRULEO T. CXIV. F. 139.

CAULES ex radice repente plurimi bicubitales in fictili naſcebantur, teretes, culmum craſſi, inferius virentes, ſuperiora verſus rubentes, pilis crebris brevibus obſiti, ab imo ad ſummum uſque foliis ex adverſo binis crebris veſtiti, e quorum alis ramuli & in iis alia folia minora mox ab imo naſcuntur, rugoſa, ſubhirſuta, per margines obtuſe crenata, dilute virentia, ſubtus nonnihil pallidiora, pilis crebris brevibus, præſertim prona parte, obſita, qui tamen adeo tenues ſunt, ut non niſi ad lucem conſpici queant. Folia hæc alii Scrophulariæ, alii Meliſſæ foliis compararunt, ſed nulli plantæ magis accedunt, quam Scorodoniæ. Si autem Scrophulariam Scorodoniæ foliis intelligas, nec iis valde bene reſpondent, ceu quæ folia latioribus dentibus inciſa habet, Meliſſæ autem folia latioribus ſimul & obtuſioribus inciſcuris ſerrata ſunt, nec folia in noſtra, ubi viret, tenuiora ſunt, ut Petiverus vult, ſed æque craſſa, ſi non craſſiora; ſi vero magnitudinem ſpectes, æque, ac Meliſſæ, magna obſervantur. Petiverus forte ramum lateralem tantum habuit, vel plantam ſteriliore loco lectam, quamvis & in ſpontanea folia minora naſcantur, quam in hortenſi.

In ſummis caulibus & in ſurculis verſus ſuperiorem caulium partem capitula naſcuntur ab initio congeſta, parva, pyramidata, dein pediculis elongatis magis ab invicem remota, oblongo-rotunda, ſquamis peranguſtis obſepta, in quibus floſculi parvi quinquefidi, & ex his ſtyli longi, recti, bifidi exeunt, ſuper floſculis ſe invicem decuſſantes & eos omnes cooperientes, ut toti flores non niſi ex iſtiuſmodi filamentis, horſum vorſum poſitis, conſtare videantur, tum floſculis, tum ſtaminibus colere ex purpureo cæruleo ſatis eleganti præditis, non tamen tanto, ut cæleſtis, vel cæleſtinus cum Plukenetio dici mereatur. Semina parva gracilia pappo tenui piloſo terminantur. Hæc & floſculi figura ſecunda & tertia, prima vero flos totus ſeorſum apponuntur.

Octobri & Novembri menſibus nobiſcum floruit. Natum fuit ex ſeminibus Carolinenſibus: Petiverus & Plukenetius, ut ex ſynonymis modo enumerandis, conſtabit, ex Marilandia habuere, unde probabile eſt & in intermedia Provincia, Virginia, provenire.

Dictum fuit *Petivero*, Eupatorium Marianum, Meliſſæ foliis tenuioribus, floribus purpuraſcentibus, filamentoſis *Act. Phil. Num.* 246. *p.* 400. *pl.* 21. Sed omnia Eupatoria flores habent filamentoſos, & quid de Meliſſæ foliis tenuioribus videatur, demonſtratum eſt ſuperius. *Plukenetius* nominavit, Eupatorium Marianum Scrophulariæ foliis, capitulis globoſis, colore cæleſtino *Mant. p.* 71. *Tab.* 394. *fig.* 4. Quæ figura magni momenti non eſt, ad ſiccam facta, in qua nec flores, nec calyces, nec folia bene exprimuntur. Capitula proprie globoſa non ſunt: quid de foliis & florum colore videatur, dictum fuit ſupra. *Vaillant in Comm. Ac. Reg.*

F. 139.



Eupatorium Scorodoniæ folio, flore cæruleo.

F.140.



Eupatorium Virgin. folio angusto, floribus albis Herm.

Reg. Sc. Ann. 1719. *p.* 303. *n.* 17. Plukenetii nomen retinet, & hujus ſynonymum facit, Conyzam Indicam Scrophulariæ folio, flore purpuraſcente *Tourn. Inſt. Rei Herb. p.* 455. Et procul dubio recte. Conyzæ autem ſpecies ob ſtamina ſilamentoſa & folia adverſa eſſe nequit.

Eupatorium humile Africanum, Senecionis facie, folio Lamii in *Par. Bat.* deſcriptum & depictum huic proxime accedit, ſed non eſt idem: noſtra planta altior eſt, minus brachiata, perennis, & flores diverſos habet.

EUPATORIUM VIRGINIANUM FOLIO ANGUSTO, FLORIBUS ALBIS HERM. CAT. PLANT. AD FIN. PAR. BAT. *T. CXV. F.* 140.

CUBITALI ſurgit caule, tereti, ſimplici ſeu inferius non ramoſo, quem ab imo ad ſummum usque crebra veſtiunt folia, e quorum alis alia juniora folia & ſurculi enaſcuntur, verſus caulis autem ſummitatem, dodrantali nempe a faſtigio diſtantia, plures progrediuntur ramuli, ut tota planta fruticuli elegantis figuram induat, quibus folia apponuntur minora & minus conferta.

Summi ramuli flores geſtant parvos, teretiusculos, calyce nempe oblongo ſquamoſo conſtructos, quo floſculi continentur pauci aliquot, tres nempe vel quatuor tantum, candidi, & pappo candido ſericeo, ut vix ex eo promineant, immerſi. Semina parva gracilia ſunt. Superiores ramuli & cymæ plantæ ſubincanæ ſunt, reliqua plantæ pars & inferiora vireſcunt, tota autem planta ſubhirſuta eſt, quamvis minime piloſa ſit. Inodora eſt, ſed ſaporem habet amarum & ſubacrem.

Folia varia compararunt Auctores, ut ex ſynonymis mox afferendis conſtabit. deſcripſit *Cluſius*, convenire videntur, nec ab iis differunt, niſi quod nonnihil anguſtiora ſint & ſubhirſuta, quodque venas habeant non obliquas, illius inſtar, ſed rectas, alias eandem habent faciem & figuram, & ſimili fere modo progrediuntur. Ceterum folia in medio leniter ſulcata ſunt, & duas habent folia inferiora & majora venas nervum medium comitantes, in ſuperioribus autem foliis, una tantum vena longitudinem folii dividit. Folia in caulibus inferioribus & in ſummis ramulis alterna crebrius, quam adverſa, obſervavi, in ramulis autem reliquis, præcipue junioribus, plerumque conjugata ſunt. Porro folia, quæ caulis partem inferiorem, antequam in ramulos abeat, cingunt, pendula ſunt, ſuperiora vero ad ramulos & per eos poſita minus pendent, & tandem in faſtigio erecta fere ſunt. Obſervatur etiam ſubinde in hac planta, folia quædam denticulata eſſe, Ptarmicæ foliorum inſtar, cujusmodi folium figura marginali quarta, ſecunda vero flos, prima & tertia floſculi ſeorſum appicti ſunt.

Perennis eſt planta. Sponte naſcitur in Virginia, Marilandia & Carolina.

Ni omnes, qui ejus fecerunt mentionem, feciſſent Eupatorii ſpeciem, Conyzis annumeraviſſem, quam non niſi foliis alternis ab Eupatorio diſtinguere norunt Botanici. Nam folia hujus ambigunt & nunc alterna, nunc conjugata ſunt: dein calyx magis ſquamoſus videtur, quam Eupatorii, & ſtylus floſculorum multo brevior eſt & non corniculatus, Eupatorii floſculorum inſtar.

Prima hujus plantæ mentio facta in *Hort. Beaum. p.* 16. ubi Eupatorium Virginianum Lavendulæ foliis, floribus albis vocatur, quod nomen retinet *Vaill.*

Comm. Ac. R. Sc. A. 1719. *p.* 304. *n.* 28. Sed Lavendulæ folia, niſi per ſiccitatem, non admodum ſimilia ſunt hujus foliis. Dein *Plukenetius* dixit, Eupatoriam hirſutam, Hyſſopi foliorum æmulam Virginianam *Alm. p.* 141. *T.* 88. *f.* 2. Quæ figura tam bona eſt, quam potuit ad ſpecimen ſiccum fieri. Per ſiccitatem autem capitula hiſcunt, flores diſparent, & velut in umbellam denſius congeruntur. Hoc nomen retinuit *Rajus Hiſt. Tom. III. p.* 189. *n.* 27. & deſcriptionem brevem ex planta ſicca etiam dedit. Poſtea virentem vidit & deſcripſit *Bobartus Hiſt. Ox. Part. III. p.* 98. *n.* 23. Eupatorii Virginiani flore albo, Hyſſopi foliorum æmuli titulo, nimis tamen ſuccincte. Bene quidem Plukenetius & Bobartus dixerunt eſſe æmulum foliorum Hyſſopi, cum ab iis differant in eo, quod longiora ſint & anguſtiora.

FABAGO CAPENSIS FRUTESCENS MAJOR
T. CXVI. F. 141.



ABAGINIS hujus caudex cinereus lignoſus, ſeſqui & bicubitalis, ramos emittit palmares, dodrantales & pedales, quibus in perbrevibus pediculis bigemella adnaſcuntur folia, craſſa, ſubrotunda, Portulacæ ſimilia, nervo & venis utraque parte craſſiuſculis ſuperficialibus prædita, glabra, viridia, ligulis ad pediculos & foliorum commiſſuras brevibus appoſitis.

Flores gemini, pallide flavi, nulla macula notati, e ſummis tantum ramulis bini Octobri menſe nati ſunt, parvi, petalis brevibus integris, &, quam ſequentis, magis cuſpidatis, idque repente, quod an perpetua ita ſe habeat, ulterius obſervandum; videbantur enim flores minus vegeti, & prima vice erumpebant, nec alii conſpiciebantur præter hos.

Ex Batavia delata fuit pro Fabagine ultima *Boerhaavii*, quæ dicitur, Fabago Afra fruteſcens minor, flore flavo magno, unguibus petalorum fuſcis *Ind. Alt. p.* 319. *n.* 3. quod nomen ſequenti melius reſpondere videtur. *Plukenetius* vocat hanc ſpeciem, Morgſani Syrorum ſimilem plantam fruticoſam, en Prom. Bon. Sp. *Amalth. p.* 147. & Plantam Africanam fruteſcentem, Portulacæ foliis, Morgſani Syrorum, ex brevi pediculo binis *Ibid. p.* 173. cujus figuram imperfectam & abſque floribus a ſicca dedit *Tab.* 429. *num.* 4.

FABAGO CAPENSIS FRUTESCENS, MINOR
T. CXVI. F. 142.

PRIORI humilior eſt & minus robuſta, cortice magis rimoſo prædita, foliorum pediculis brevioribus & fere nullis, ipſis foliis anguſtioribus, obſcurius viridibus, ſubglaucis, venis carentibus, ramulis, ac illius, magis anguloſis, (quadrangularibus, cum illius ſubtereres ſint) floribus majoribus, ſaturanter luteis & fere croceis, petalis oblongis, in extremitate latioribus & crenatis, verſus ungues macula punicante diſtinctis, ſolitarie naſcentibus.

Fructus pendulus, rotundus, brevior, quam latus, ſeu compreſſus eſt, caſei Hollandici inſtar, qui fructus cum deſit in figura Commelini, & quod figura illa totam plantam contracte repræſentet, ramulum naturali magnitudine ad differentiam clarius percipiendam priori addere volui. Ceterum dicta fuit hæc ſpecies:

Fagabo



Fabago Capenſis fruteſcens, minor.

Fabago Capenſis fruteſcens, major.



Ficoidea Hiſpanica annua, folio longiore Vaill.

Fabago Africana arboreſcens, flore ſulphureo, fructu rotundo *Comm. Plant. Rar. p.* 10. *fig.* 10. cujus etiam qualiſcunque figura exhibetur a *Plukenetio Tab.* 429. *n.* 6. & dicitur, Morgſani Syrorum ſimilis planta fruticoſa, foliis multo minoribus *Amalth. p.* 147. & Planta Africana fruteſcens, Portulacæ foliis, Morgſani Syrorum, ex brevi pediculo binis, minor & anguſtioribus foliis *Ibid. p.* 173.

Fabago vulgaris non fruteſcit, ſed herbacea eſt, folia bigemella longioribus pediculis inſident, fructus autem longi ſunt, cylindracei.

FICOIDEA HISPANICA ANNUA, FOLIO LONGIORE VAILLANT BOERH. IND. ALT. P. CCXCII. N. XII. *T. CXVII. F.* 143.

PALMARES ei & dodrantales ſunt caules rigidiuſculi, teretes, humi procumbentes, in multos ramos dichotoma diviſione abeuntes, ita tamen, ut rami non directe contrario ſitu, ſed brevi intercapedine alter ſupra alterum procedant, ad quorum divaricationes folia naſcuntur oblonga, modice lata, craſſa & ſuccu-lenta valde, ita ut, niſi continuus humor affluat, mox flacceſcant, & per ſiccitatem valde contrahantur. Quæ folia præter nervum medium, parte averſa conſpicuum, venis prorſus carent, coloreque gaudent viridi quidem, Sole tamen ſplendente argenteis miculis, averſa præſertim parte, tota reſperſa ſunt, ſuperiora maxime folia, & hinc inferior foliorum ſuperficies magis candicat, quam ſuperior, & minutis præterea poris pertuſa eſt. Quibus ſcintillantibus micis & calyces ſummique ramuli præcipue reſplendent; nam in inferioribus ramis eæ ſenſim oblite-rantur, & in furfuream quandam hirſutiam abeunt.

Ceterum ad divaricationum angulos capitula naſcuntur oblonga, quæ Sole meridiano appropinquante in quinque ſegmenta ſtellatim explicantur, Ornithogali candore & figura, quorum ſinu plurima hærent ſtamina tenuia, e baſi calycis juxta embryonem orientia, apicibus flaventibus embryoni incumbentibus terminata. Debetur autem lacteus ille candor tunicæ cuidam ſubtili, tenuiter ſtriatæ, interiorem calycis ſegmentorum partem obveſtienti, quæ albedo non ultra, quam vigent & explicati ſunt flores, durat; mox enim, poſtquam contrahuntur laciniæ calycis, candor ille perit. Apetalos autem hujus generis flores eſſe ex vulgari Canarienſi hujus generis ſpecie conſtat. Ceterum calyx in baſi integer & monophyllos eſt, & ſegmenta ipſius craſſiuſcula ſunt, coloris externe virentis. Baſi ſua embryoni quidem adhæret, ſed non æque firmiter, ac in Ficoidis genere, in quo vaſculo connaſcitur calyx. Embryo pentagonus eſt, & in ſimile abit vaſculum, ſed tumidius, cui calycis ſegmenta ad vaſculi uſque maturitatem varie torta incumbunt, ſed valde jam contracta. Vaſcula demum per maturitatem quinquefariam dehiſcunt, & e loculis ſuis ſemina fundunt plurima, rotunda, nigra. Solent autem non per ſiccitatem, ſed humore irrigata, velut in Ficoidis genere, dehiſcere.

Sole Leonem tenente floret, ſi ſatis mature ſata fuerit. Videtur eſſe maritima planta, ubinam vero ſpecialiter naſcatur, & quis primo invenerit, non conſtat, nec aliud ejus nomen præter ſuperius recitatum, anno quo hæc ſcribo, 1728. memini adhuc datum, quod bonum; quamvis derivatio bona non ſit, Ficoidis enim malum eſt, unde Ficoideæ melius eſſe nequit.

FLAM-

FLAMMULA SCANDENS, FLORE CORIACEO CLAUSO T. CXVIII. F 144.

CUR Clematis a Flammula diſtinguatur, ſuperius Capite de Clematide eſt demonſtratum; nempe ob ſemina plumoſa Flammulæ hæc ſpecies cenſenda, cujus caules ſarmentoſi, teretes, ſtriati ſunt, provoluti, vel, ſi adminicula ſuppetant, ſcandentes & tortilibus ſuis extremitatibus iis ſe, quin & in ſemetipſos ſe convolventes, ad quorum genicula alæ utrinque enaſcuntur palmares, in quibus ex adverſo folia naſcuntur trilobata, ad pediculum uſque diviſa, Clematidis cæruleæ vel purpureæ repentis *C. B.* plane ſimilia, glabra, viridia ſuperne, ſubtus pallidiora, per margines integra, ſubinde vero, illius inſtar, inciſa, plerumque vero nonnihil ſinuoſa & undata, venis fortuito diſcurrentibus exarata, nervo in lateralibus foliorum lobis non medium, ut in medio lobo, occupante, ſed in alterutrum latus, interius nempe, inclinante.

Ex alarum ſinu in pediculis oblongis, una foliorum conjugatione cinctis, utrinque flores naſcuntur, in ſingulis pediculis ſinguli, nutantes, a Clematide non ſolum illa, ſed reliquis etiam Flammulis pleriſque ſubſtantia & figura plane diverſi; namque corii inſtar craſſi ſunt, oblongi & perpetuo verſus medium clauſi, coloris externe e virente purpurei, interne pallidiſſime virentis, e quibus lanugo & ſtamina vix emicant. Qui flores, aliarum inſtar, nudi ſunt, & in quatuor partes ad fundum quidem, velut ceteræ, dividuntur, ſed nunquam explicantur, niſi per extremitates, ubi non immerito figuram floris roſaceam Tournefortianam quis quærat. Ceterum florum petala externe eminentes quaſdam ſtrias veluti coſtas habent, quibus dilapſis ſemina (inferius ſeorſum appicta) ſubnaſcuntur latiuſcula, plana & compreſſa, capillamentis oblongis incurvis & plumoſis terminata, ab initio virentia, dein ſubfuſca, lanugine coloris e viridi ſubfuſci.

Sole Cancrum & Leonem peragrante floret, ſemina ſub auctumnum maturat. Sponte naſcitur in Virginia.

Dicitur Clematis purpurea repens, petalis florum coriaceis Baniſt. Cat. St. Virg. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1928. *Pluk. Mant. p.* 51. Et forte eſt, Scandens Caroliniana planta, Viornæ folio Pet. Hort. Sicc. n. 27. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 248.

FLAMMULA SCANDENS, APII FOLIO GLAUCO T. CXIX. F. 145.

EX Horto Amſtelodamenſi in Elthamenſem, Clematidis folio 'glauco nomine, pervenit elegans hæc ſpecies, quæ in Phytophylacio Sherardino ſervatur titulo, Clematis Orientalis Apii folio, flore e viridi flaveſcente, poſterius reflexo *Tourn. Corell. Inſt. R. Herb. p.* 2'0.

Hujus viviradix altero a plantatione anno fecit caulem dodrantalem lignoſum, digitum minorem craſſum, e quo ſarmenta naſcebantur tricubitalia & longiora, teretia, culmi inferius craſſitie, cortice ſtriato e fuſco virente veſtita, ſuperius tenuiora virentia, aut ex viridi purpuraſcentia, ſubteretia, frequenter geniculata, ramulis ad genicula bigemellis, duobus nempe utrinque, altero florido, altero folioſo

F. 144.



Flammula scandens, flore coriaceo clauso.





Flammula scandens, folio Apii glauco.

F. 146.



Fragaria Chiloensis fructu maximo, foliis carnosis hirsutis Frez.

lioſo tantum, naſcentibus. Ceterum in ramulis foliatis foliorum aliquot conjugationes naſcuntur, Apii foliis ſuperioribus ſimiles, ſed colore utrinque eleganter glauco præditæ, quæ folia, licet pilos obtineant, glabra tamen ſunt, quoniam nempe molles ſunt & pertenues pili, ut nec tactui, nec viſui facile appareant; foliorum etiam pediculi & ſumma ſarmenta ejuſmodi pubem piloſam habent, ſed adeo tenuem, ut vix advertatur. In ramulis floridis terna utrinque, cum intermedio flore, naſcuntur capitula oblonga, pendula, obſcure rufeſcentia, quæ in quatuor petala explicantur, mox & ab initio reflexa, per vetuſtatem dein plana, craſſiuſcula, interius, ſeu inferiori parte villoſa, coloris e vireſcente obſolete lutei, ſuperius, ſeu exteriori parte e luteolo ſubrufi. Stamina e medio flore pendent, in capitulum oblongum purpureum collecta, apicibus oblongis purpureis, ad margines, ubi farinam fundunt, ſubluteis, terminata, in quorum medio ſtyli ſunt plures oblongi viridiuſculi, qui dein in capillamenta (vid. figura marginalis) abeunt ſericea, ſeminibus parvis, oblongo-rotundis ſericeis inſidentia, Octobri & Novembri maturis, cum Septembris initio flores tuliſſet planta.

In Orientali ſuo itinere invenit Tournefortius, ut ex nomine ſuperius recitato patet.

FRAGARIA CHILOENSIS FRUCTU MAXIMO FOLIIS CARNOSIS HIRSUTIS FREZIER ITIN. P. LXX. *T. CXX. F.* 146.

" FRAGARIÆ, inquit Auctor dicto loco, ſpecies in arvis circa civitatem " *Conception* colitur, a noſtra in eo diverſa, quod folia habeat rotundiora, " magis carnoſa & magis hirſuta: fructus plerumque Juglandis, ſubinde ovi magnitu- " dinem obtinet, coloris rubri pallidioris, ſapore, quam noſtra ſylveſtria. ignaviore. " Hujus ſe viviradices D. de Juſſieu dediſſe refert, Horto Regio Pariſienſi inſerendas, ex quo in Hortum Lugduno-Batavum aliosque demigravit. Obſervandum autem in *Hort. Lugd. Bat. Ind. Alt. p.* 42. *num.* 6. dictam fuiſſe, Fragariam craſſis rugoſis foliis, flore & ſemine carentem, quoniam eo tempore flores & ſemina nondum tulerat. In Horto Elthamenſi anno hoc 1730. Sole ex Geminis in Cancrum tranſeunte flores dedit amplos polypetalos, e pluribus nempe, quam quinque & ſex, petalis conflatos, petalis integris quidem, ſeu non cordatis, ſed varie inflexis & ſinuoſis, candidis, ad ungues levi flavedice tinctis, ubi ſtamina oriuntur plura brevia latiuſcula, apicibus ex latiuſcula baſi cuſpidatis, pallidis ab initio, dein ſubfuſcis capitata, circa embryonem diſpoſita; qui embryo capitulum eſt veluti echinatum, Sparganiiforme, ex pluribus nempe ſtylis flaventibus, capitulo criſpo (per lentem vitream granuloſo) terminatis, conflatum. Flores tenuem Oxyacanthæ odorem ſpirant. Calyx e duplici foliorum corona, ſegmentis nempe pro petalorum numero duplicatis, conſtat, e viridi glauceſcentibus, & tam calyx, quam pediculi & ligulæ (laciniatæ) geniculis pediculorum & caulium appoſitæ, lanuginoſa hirſutia denſe obteguntur.

Folia ampla craſſa, (proprie non carnoſa) inferiora & natu majora minora, pediculis brevioribus nixa, cetera ampliora ſunt, pediculis longioribus prædita, (exceptis mediis & junioribus) dentibus latis inciſa, parte ſupina ſaturanter viridia,

hirſuta, prona albicantia & lanuginoſa, quorum pediculi & caules creberrimis longis pilis obſiti ſunt, caules vero teretes & leniter ſurrecti ſunt: foliorum pediculi parte interiore plani, ſulco tenui exarati, exteriore rotundati ſunt: flagella teretia, ſat craſſa & longa, a palmari ad pedalem, cubitalem & amplius longitudinem protenſa.

Frezier, licet figuram ſuam magnitudine naturali deſignatam dicat, folia tamen juſto minora exhibuiſſe videtur: porro hirſutia plantæ non ſatis eſt expreſſa, flores vero & flagella plane omiſſa; fructus adeſt, qui nobis deeſt, quoniam nobiſcum ad maturitatem nondum pervenit.

FRANGULA SEMPERVIRENS, FOLIO RIGIDO SUBROTUNDO T. CXXI. F. 147.

ARBUSCULA hujus decennalis circiter Horti Elthamenſis alumna eſt, tres cubitos alta, caudice pollicis majoris craſſitudine, cortice craſſiuſculo ſubhirſuto, e cinereo nigricante, veſtito, circa ſui medium & verſus ſummitatem ramos nunc ſolitarios, nnnc ternos, quaternos & quinos emittens, digitum fere minorem craſſos, palmares, dodrantales, pedales & ſeſquipedales, nunc in geminos, nunc in ternos ramulos ſubdiviſos, cortice inferius ſubfuſco, ſuperius ex fuſco luteſcente, glabro tectos, in quibus folia naſcuntur, nunc alterno, nunc terno, plerumque vero gemino ordine diſpoſita, ſubrotunda, utrinque glabra & nonnihil ſplendentia, craſſa & valde rigida, margine nonnihil reflexo & limbum poſtica parte extantem efficiente, in extremitate ſinuata, ſubinde mucrone brevi terminata, ſuperne ſaturanter & obſcure viridia, inferne pallidiora & e viridi luteſcentia, pediculis brevibus craſſiuſculis hærentia, a quibus nervus pallide virens per media folia ducitur, inferne protuberans, ſuperne planus & vix apparens, & inde venæ obliquæ tenues & vix conſpicuæ decurrunt.

E foliorum, præſertim ſuperiorum, alis Auguſto & Septembri menſibus flores naſcuntur parvi, faſciculatim congeſti, tenuibus ad pediculorum baſim ligulis cincti, ab initio flavicantes, dein candicantes, tenuem, Oxyacanthæ florum æmulum, odorem ſpirantes, pentapetali regulares, petalis planis cuſpidatis, ſubinde integris, ſubinde in unam alteramve exilem, & microſcopio ſaltem advertendam, laciniam ſectis, circa embryonem ſtellatim locatis, e quorum interſtitiis ſtamina quinque, apicibus luteolis quadrangulis terminata, oriuntur. Calyx exiguus monophyllus in quinque breves rubentes laciniolas dividitur. Embryo in medio flore locatur obtuſe conicus, ſtylo brevi tripartito terminatus, qui in baccam abit oblongo rotundam, rubentem, triſpermam, calyce dicto exceptam. Quæ baccæ, quam figura noſtra monſtrat, majores factæ non ſunt, ſed mox deciderunt, multo autem per maturitatem majores fore non videbantur.

Figura marginali prima ſeorſum florum faſciculis exhibetur, in quibus apices erant ſeſſiles, quoniam ſtamina juſtam magnitudinem nondum adepta erant: figura ſecunda florum faſciculus provectior, cum ſtaminibus longioribus: figura 3. & 4. flores ſeparatim magnitudine naturali: 5. & 6. aucta magnitudine cum petalis integris cuſpidatis & obtuſioribus, in extremitate tenuiter crenatis: 7. & 8. calyx cum & ſine embryone: 9. embryo naturali, 10. aucta magnitudine: 11. 12. & 13. fructus per tranſverſum ſextus: 14. idem integer inciduntur.

Ex



Frangula Sempervirens, folio rigido Subrotundo.

F. 148.



Frutex Virgin. trifolius, Ulmi ſamaris Baniſt.

Ex hac vero fructus figura & ſtructura Frangulæ eſſe ſpeciem conſtant hanc arborem, nec obſtat, quod Frangula diſpermos, hæc vero triſpermos ſit, cum ſeminum numerus in arboreo genere ſemper conſtans non ſit, nec foliorum, quæ in Frangula alternata, ordo attendi meretur; ſufficit baccarum ſimilitudo, & florum cum Frangula ſtructura & naſcendi modus idem. Sane Ceraſi, cujus ſpecies hactenus habita fuit, generi annumerari minime poſſe, luce meridiana clarius eſt. Vocatur autem a *Plukenetio*.

Ceraſus Africana, foliis plerumque in ſummo ſinuatis, fructu rubro *Alm. p.* 94. cujus ex Codice Comptoniano figura exhibetur *Phyt. Tab.* 158. *n.* 2. quam eandem figuram exhibuit etiam *Petiverus Gazoph. Tab.* 57. *n.* 4. & Ceraſum Capenſem fructu rubro, folio fere obtuſo dixit *Cat. n.* 527. In qua figura fructus, quam nobiſcum, nonnihil rotundior & paulo major exhibetur, flores autem deſunt. In *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 244. *n.* 6. dicitur, Ceraſus Afra folio rotundo, craſſiſſimo, rigido, ſplendente.

FRUTEX VIRGINIANUS TRIFOLIUS, ULMI SAMARIS BANISTERI PLUK. ALM. P. CLIX. *T. CXXII. F.* 148.

QUOUSQUE in regione natali aſſurgat, certum non habeo, fruticis autem naturam non excedere tum nomen Baniſteri, tum præcox florendi tempus docet; nam altero & tertio a ſatione anno in Horto Elthamenſi in flores ſe laxavit, quos ſequentibus etiam annis conſtanter protulit. Frutex tum pedalem & ſeſquipedalem altitudinem æquabat, hoc, quo hæc ſcribo, anno 1730. arbuſcula erat ſexennis, altitudine cubitali, caudice recto, calamum olorinum craſſo, ejuſdem fere ubique craſſitie, cortice lævi ſpadiceo tecto, in cujus ſummitate ramuli aliquot naſcebantur nonnihil tenuiores, ſimili cortice veſtiti, verſus quorum extremitatem flores Junio menſe racematim diſpoſiti naſcebantur, pallide herbacei, e petalis oblongis anguſtis concavis, nunc quatuor, nunc quinque, compoſiti, ſtaminibus prædiți (ad flores etiam pentapetalos) quatuor, unde quaternarium petalorum numerum magis naturalem exiſtimo, quæ ſtamina pertenuem ad latera lanuginem habent, coloris ex herbaceo albicantis, apicibus parvis concoloribus capitata. Calyx puſillus ad petalorum baſim ſedet, e quatuor perbrevibus laciniis conſtans. Embryo e medio flore erigitur compreſſus, virens, Thlaſpeos capſularum figura, ſtylo brevi, in ſummitate leviter diviſo, terminatus. In ſpeciminibus ſiccatis Phytophylacii Sherardini, ex America delatis, plures ſunt florum in iiſdem ramis racemi, e ramulorum minorum ſummitate juxta ſuperiorum foliorum pediculorum baſim enaſcentes.

Folia eodem cum flore tempore erumpunt, dilute virentia, ab initio minora & proprius ſibi admota, dein longius & alternata ſerie ab invicem diſtantia, pediculis oblongis hærentia, terna in ſingulis pediculis, ampliora jam & ſaturatius virentia parte ſupina, prona nonnihil pallidiora, per margines crenis ſubrotundis obiter inciſa, venis a nervo obliquis ductis, a quibus aliæ pertenues tranſverſæ & irregulares prodeunt, ſuperficie hirſutia quadam obſita, ſed adeo tenui, ut vix tangenti obſervetur. Ceterum nervus in extremo folio partiali mediam partem occupat,

pat, & folium in duas partes æquales dirimit, in lateralibus vero in interiorem partem declinat, ut interna foliorum horum portio externa anguſtior fiat. Nervus porro inferiore parte tenuis eſt & minus extat, ſuperiore craſſior & magis conſpicuus; ſecus ac in pleriſque aliis foliis ſit.

Fructus per ramos ſubnaſcuntur plani foliacei, Ulmi ſamaris plane ſimiles, racematim pendentes, in quibus ſingulis ſemen latet teretiuſculum, membrana nigra rugoſa veſtitum, & ob hanc fructus ſimilitudinem inter Ulmi ſpecies admittenda videtur hæc planta, licet flores profundius, ad baſim nempe, diviſi ſint, & licet non tam denſe & in muſcaria collecti naſcantur. Flores hi ramo minore, nempe figura marginali prima, ſecunda vero ſemina aliquot appicta ſunt.

In Horto P. Collinſon fruticem vidi robuſtiorem bicubitalem, caudice ſeſquipedali, digitum craſſo, cortice e fuſco cinereo nonnihil rimoſo (rimis inæqualibus) veſtito, unde plures rami alternata ſerie naſcebantur, pedales & bipedales, ſpadicei, culmum craſſi, e quibus alii minores virentes, & in his, immo & in ſpadiceis ſeu magis lignoſis, folia pediculis oblongis naſcebantur, ampliora & magis numeroſa, Toxicodendro vulgari ſimilia; quæ tamen arbuſcula, loco umbroſiori repoſita, & forte quod foliis nimis luxuriaret, floret & fructus nondum dederat.

FRUTICULUS FOLIIS RUSCI STELLATIS
T. CXXIII. F. 149.

PLANTA poſt tertium a ſatione annum erat vix dodrantalis, caule lignoſo, verſus radicem calamum olorinum craſſo, cortice ſubaſpero, e fuſco nigricante, veſtito, e quo ramus palmaris fuſco-niger, tertiam craſſitiei partem obtinens, & brevi intervallo alius, præcedente nonnihil brevior & gracilior, cortice cinereo veſtitus, triplici uterque foliorum radio cinctus, egrediebantur. Inde primarius caulis ad duarum unciarum altudinem ſurgebat, culmi avenacei craſſitie, uno foliorum radio ad baſim, & altero in ſuperiori parte, qua trifariam in ramulos abibat, armatus, qui ramuli partim ſimplices ſeu indiviſi, partim diviſi erant & brachiati, una alterave foliorum corona cincti. Folia autem hæc inferioribus nonnihil anguſtiora ſunt & lætius virent; tam hæc vero, quam illa, craſſiuſcula ſunt, rigida, mucrone pungente terminata, glabra, avenia, ſulcata ſuperne, inferne nervo extante prædita & nonnihil pallidiora, quam ſuperne, qua parte, demptis ſupremis, ea ſaturetius virent, licet hinc inde lituras quaſdam albicantes, telæ inſtar inducti, habeant.

Quæ folia radiatim, ut ſupra demonſtratum, caulem & ramulos, qui ea parte craſſiores & velut nodoſi ſunt, ambiunt, numero tam in ſuperioribus, quam in inferioribus radiis incerto, nunc enim octona, nunc ſeptena, nunc nona, dena & duodena promiſcue oriuntur, exceptis imis & latioribus foliis, quæ tria quatuorve in caule reſtabant & alternatim oriebantur, magnitudine & figura Ruſci foliis ſimili in his; cetera enim, præter inferiores aliquot verticillos, folia habent Ruſci foliis anguſtiora. Ramuli ſupremi vireſcebant & tenues quaſdam ſpinulas appoſitas habebant, quibus planta in reliquis ramis & caule caret, colore caulis, ut ſupra demonſtratum, obſcure fuſco, ramorum vero e fuſco cinereo.

E corona ſupremorum foliorum cymæ Junii initio Polytrichum montanum minus

F. 149.



Fruticulus foliis Ruſci ſtellatis.



nus referentes egrediebantur, pro novis ſurculis efficiendis. Planta, ut ex relatis conſtat, lenti progreſſus eſt, nec flores fructuſque ejus, niſi longe abhinc, expectare licet; hinc incerti de genere ejus relinquimur. Orta autem fuit planta ex ſeminibus Havanenſibus, ſequenti nomine delatis: *Les ſemillas del Cavalero de las Aſprulas.*

Ad calcem Delineationum Plantarum Americanarum Plumieri eſt Faſciculus Plantarum innominatarum, inter quas & hujus plantæ figura habetur cum fructibus Ruſco non abſimilibus; unde particulam noſtræ figura adjunxi, ex qua de Bacciferarum tribu eſſe patet.

DE GERANIORUM DIFFERENTIIS.

GERANIORUM varia eſt natura. De his dixi olim in Cat. Plant. Giſſ. ſententiam, & quid mihi videatur de diſtinctione Geraniorum ex floris figura, nempe non videri conſultum, ut ea, quæ inæquales, quin & quæ manifeſto irregulares gerunt flores, qualia ſunt pleraque Africana, ab iis, quæ æquales regulareſque obtinent flores, cujuſmodi ſunt pleraque Europæa, ſeparentur. Quamvis enim in fructu etiam obſervetur differentia, ea tamen ambigua & inconſtans eſt, cum reperiantur quædam, verbi gratia, Columbina, item Geranium Robertianum *Offic.* & Geranium lucidum ſaxatile *C. B.* quæ, flore licet regulari prædita, folliculos ſeminales, Batrachioidum plerorumque inſtar, vacuos non relinquunt, ex altera vero parte ſint plura ex Europæis, quorum ſemina cum folliculis ſpiratim quidem abſcedunt, Africanorum inſtar, verum quorum flores regulares potius, quam irregulares ſunt. Talis eſt Myrrhinorum familia & Geranium folio Althææ *C. B.* quorum flores e petalis conſtant æqualibus invicem, quamvis ſitus eorum non uſquequaque æqualis ſit.

Multo minus eam probo diviſionem, quam Vaillant, ut ex Notis & Obſervationibus ejus manuſcriptis, itemque ex Botanico Pariſienſi percipio, a florum ſitu & numero deſumſit, ita ut ea Gerania, que plures flores, velut umbellatim diſpoſitos, gerunt, genere diſtinguat & Geranoide vocet. Primum enim limites ex numero florum ponere difficile eſt, cum notum ſit, quaſdam ſpecies flores ſolitarios, alias gemellos, alias multo plures flores in eodem pediculo communi geſtare; atqui ſi, quæ plures duobus gerunt flores, diverſum merentur genus, cur non & eæ, quæ plures uno gerunt flores, nempe gemellos, ſeparentur, non video rationem. Dein ſi concedamus hoc in uno genere, oportet ut & in aliis id admittamus, verbi gratia in Paralyſeos, Tunicæ, Lychnidis & aliis generibus, & ſic non erit finis novorum generum. At nec ſufficit numerus ſituſque florum ad genera nova inferenda. Ut taceam ſpecies flore & fructu differentes hac ratione miſceri. Nolim autem levidenſibus de cauſſis genera recepta lacerari; nolim quæ diſtincta ſunt confundi. Utcunque ſit, ſi concedamus duo diverſa genera; prætulerim differentiam illam a floris figura diſtinctioni Vaillantianæ.

Quod nomen attinet, nec Gruinalis *Rivini*, nec Geranioidis *Vaillantii* probo. Germanis vocuntur Gerania *Stork-Schnabel*, i. e. Roſtrum Ciconiæ. Poſſent ergo ii, quibus novi generis cupido eſt, ea, quorum flores inæquales vel & irregulares ſunt, Pelargonia vocare, a πελαργὸς, ciconia, ſicuti vocamus Gerania a γέρανος, grus.

grus. Nobis cum novum genus neceſſarium non videatur, differentiæ iſtæ florum ad ſpecies ordinandas inſervient. Locabimus igitur primo loco eas ſpecies quarum flores ad irregularitatem inclinant, dein quæ admodum conſpicue irregulares flores proferunt, poſtea flore regulari præditas recenſebimus: his ſemina e folliculis a baſi roſtri in circulum actis plerumque dilabuntur; illarum vero ſemina cum ipſis folliculis ſpiratim a roſtro abſcedunt, ariſta, quam inde abripiunt, tenui interius lanugine in Africanis, quas deſcribendas habemus, ſpeciebus, veſtita, quarum vero ariſtæ circuli inſtar revolvuntur, nudæ ſunt ſeu lanugine piliſve interius deſtitutæ.

GERANIUM ÆGYPTIUM GLAUCOPHYLLUM ROSTRIS LONGISSIMIS PLUMOSIS T. CXXIV. F. 150.

ELEGANTEM hanc Geranii ſpeciem prope Cairum repertam in Hortum Pariſienſem primo contulit Lippi, ex quo in alios noſtrumque, beneficio Bern. de Juſſieu, pervenit.

Planta eſt pedalis & altior pro ſoli natura, cauliculis teretibus glabris, ad genicula nodoſis, pallide virentibus, ſubinde rufeſcentibus, cujus folia longis inſident pediculis teretibus, tenuiſſimis pilis (quibus caules & ramuli carent) obſitis, figura foliorum Geranii folio Althææ *C. B.* ſed glabra, & obtuſius rariuſque crenata, craſſa & glauca, colore & conſiſtentia Acetoſæ Romanæ. Quæ in ſuperioribus ramulis locantur minora ſunt & non ita obtuſe crenata, inferiora vero rotundiora ſunt & obtuſius crenata.

Flores pediculo communi oblongo inſident plures purpurei, quorum petala invicem quidem æqualia ſunt, ſed nonnihil inæqualiter diſpoſita; inferius enim plus, quam reliqua, ſpatii occupat. Petala hæc ad ungues ſtriis ſaturatioribus brevibus gaudent, per margines vero ſubinde plicas, crenas referentes, obtinent. Stamina quinque brevia apicibus atro-purpureis, ſtylus vero quinque filamentis atro-purpureis, terminantur. Semina (figura prima & ſecunda) ſubnaſcuntur pulcherrima, in longam caudam eleganter plumatam producta, quæ per maturitatem ſpiratim cum folliculis oblongis piloſis abſcedent.

Annua eſt planta, pro ſationis ratione ocyus ſeriuſve florens.

Geranium folio Althææ *C. B.* quod cum hoc proxime convenit, differt caulibus & foliis hirſutis, per margines frequentius crenatis, floribus in eodem communi pediculo aliquanto numeroſioribus, ſeminibus ſpiris frequentioribus abſcedentibus, quorum acus vel roſtra plumoſa non ſunt.

Dicitur Geranium Memphiticum, Althææ folio glauco, floſculo rubro vix conſpicuo Lippi *Boerh. Ind. Alt. p.* 264. *n.* 26. Quod nomen inde impoſitum videtur, quod florum petala cito defluant, & ideo rarius, nec, niſi matutino tempore, conſpiciantur, & quod folia Geranio folio Althææ *C. B.* proxime ſimilia ſint, quamvis cum ipſa Althæa nec figura, nec conſiſtentia multum conveniant. Ipſius *Lippi* nomen eſt, Geranium Ægyptium Althææ folio glauco craſſiori, intus aureo rutilante, floribus ſaturate violaceis *MS. de Plant, Ægypt. num.* 140. cujus libri exemplar habetur in Bibliotheca Sherardina. Nobis in planta culta flores rubro-purpurei & folia unius coloris obſervata. Geranioidis Ægyptiacæ Althææ folio glauco

F. 150.



Geranium Ægypt. glaucophyllum, roſtris longiſsimis plumoſis.

P. 151.

F. 151.

F. 152.

Varietas.

a

Geranium Afric. arborescens, Malvæ folio pingui, flore coccineo Pein.

glauco craſſo nomine ſpecimen ſiccum miſit *Vaillant*. Dictum autem ſupra, Vaillantium eas Geranii ſpecies, quæ flores plures in eodem pediculo communi geſtant, diſtinguere a reliquis & Geranioide vocare, quod non probandum, ob rationes ſuperius recenſitas.

GERANIUM AFRICANUM ARBORESCENS, MALVÆ FOLIO PINGUI, FLORE COCCINEO PEIN. HORT. BOS. MDCCXII. MDCCXIII. *T. CXXV. F.* 151.

SI Ficoidis vel Meſembryanthemi genus excipias, non datur aliud, cujus ſpecies tam ubertim largitum fuit Promontorium Bonæ Spei, quam Geranii. Ex his facile palmam reliquis præripit hoc, cujus nomen recitatum eſt. Quamvis enim Geranium Africanum folio Alceæ, flore coccineo fulgidiſſimo *Boerh. Ind. Alt. P. I. p.* 264. *n.* 24. florum colore ſaturatiore & magis fulgente hoc ſuperet, tamen multitudine & magnitudine florum, ſtatura plantæ egregia & foliis venunuſtis, hoc illud longe antecellit.

Aſſurgit autem ad bicubitalem & ampliorem altitudinem, caudice craſſo, lignoſo-fungoſo, in multos ramos craſſos, carnoſos, virentes, quoquoverſus ſpectantes, brachiato, quorum ſummitatibus in longis pediculis communibus plurimi flores umbellatim digeſti naſcuntur, ſucceſſive ſe aperientes, e petalis integris, pæne æqualibus, (duo enim ſuperiora reliquis nonnihil anguſtiora) ſed ſitu non prorſus æquali diſpoſitis, conflati, coloris miniati, vel coccinei dilutioris, in quorum centro in brevibus ſtaminibus ſeptem viſuntur apices, ejuſdem cum flore coloris, juxta ſe poſiti, non ſparſi. Stamina enim cohærent & ex eodem tubulo brevi enaſcuntur, quatuor nempe longius extantia, tria vero breviora pone illa ad petala ſuperiora locata. Ceterum florum petala duas ſtrias ſuperficiarias baſim verſus ductas habent, ejuſdem cum flore coloris, quæ in ſuperioribus præcipue petalis conſpicuæ ſunt.

Floribus evanidis ſemina ſubnaſcuntur per maturitatem fuſca, hirſuta, ſpiratim cum folliculis abſcedentia, ſpiris lanugine candida comatis. Quæ ſemina matura in eadem figura appinximus, non quod eodem tempore ſemper cum floribus adſint, ſed compendii & ornatus gratia. Solent tamen mox poſt flores ad maturitatem pervenire, nec raro fit, ut eodem tempore, quo ſemina matureſcunt, flores aliquot reſtent.

Pediculi florum privati & capitula antequam aperiantur pendula ſunt, dein ad florum expanſionem eriguntur, hinc rurſus ad ſeminum augmentum pendent, ſub eorum denique maturitatem denuo ſurriguntur. Florum pediculis privatis plurimæ ligulæ membranaceæ ſubfuſcæ, velut in Umbelliferis, ſubjiciuntur. Pediculi ad baſim leniter geniculati ſunt, ſed id ob pediculorum copiam, & quod genicula in imo ſita ſint, non facile, niſi ad ſeminum augmentum, comparet. Calyces in quinque ſegmenta æqualia dividuntur.

Folia juniora convoluta & rugoſa ſunt, quorum pediculis ligulæ planæ, membranaceæ, viridantes, venoſæ adhærent, mox ad foliorum incrementum marceſcentes. Folia tum fiunt plana, ſubrotunda, obtuſe laciniata & obtuſe crenata, craſſa, attactu pinguia, parum glabra, parumque ſplendentia, tenui mollique pube undique

undique denſe obſita, coloris dilute virentis, odoris, præſertim contrectata, ſuavis, quem ad certum genus reducere nequivi. Caulis etiam & florum pediculi, tenui pube obſiti, pallide virentes ſunt.

Julio menſe floret, ſatiſque diu in flore perſtat, novis floribus emarcidis ſuccedentibus; Auguſto ſemina maturat. Patriam nomen indicat.

Dicitur Geranium Africanum arboreſcens, folio glabro rotundo, flore ſuave-rubente *Schwer. Cat.* Geranium Africanum arboreſcens, folio Malvæ plano, lucido glabro, flore kermeſino Van Leur *Boerh. Ind. Pr. p.* 109. *n.* 3. *Alt. P. I. p.* 262. *n.* 4. Geranium Afrum arboreſcens, flore ignito Venetis *Ibid.* Geranium folio Malvæ retundo glabro, flore elegatiſſime rubente Heuch. *Nov. Prov.* 1711. ter ſplendente Volckam. *Hort. Maur.* Geranium Africanum maximum, rotundis craſſis foliis, floribus coccineis *Flor. Jen. p.* 173. Geranium Africanum folio majore, flore coccineo *Vat. Cat. Vitemb. p.* 24.

VARIETAS T. CXXV. F. 152.

HUJUS Geranii eſt cum foliis aliquanto craſſioribus, viridioribus & ſubglaucis, aſpectu Geranii Africani fruteſcentis, folio craſſo & glauco, Acetoſæ ſapore *Comm. Præl. p.* 54. cujus & ſaporem æmulatur, quin & flores faciem habent illi magis ſimilem, majores nempe ſunt, quam hujus, & petala ab invicem, illius inſtar, magis remota & magis ſtriata habent; color autem huic accedit & ſaltem aliquanto pallidior eſt. Ex ſemine hujus, nempe Geranii Malvæ folio pingui, flore coccineo *Pein.* orta fertur. Hujus ramulum *figura* 152. ſiſtit, & folium ejus inferius ad lit. *a.* appictum eſt.

GERANIUM AFRICANUM ARBORESCENS, VITIS FOLIO, ODORE MELISSÆ PEIN. HORT. BOS. APP. ET HORT. BOS. MDCCXII. MDCCXIII. *T. CXXVI. F.* 153.

TRES mihi notæ ſunt Geranii ſpecies, quarum calyces & flores pediculis brevibus inſidentes in capitula glomerantur. Primum præſens ſpecies, dein Geranium Africanum fruteſcens, Malvæ folio laciniato odorato *Hort. Lugd. Bat.* & Geranium Africanum hirſutum Ribis folio, floribus umbellatis purpureis D. Sherardi *Raj. Hiſt. Tom. III. p.* 513. *n.* 34. Ab utroque ut diſtinguatur hoc, notandum eſt: Geranium Africanum fruteſcens, Malvæ folio laciniato odorato *H. L. B.* plantam eſſe humiliorem, reſupinam & minus robuſtam, folia habere molliora, brevioribus pediculis inſidentia, minora, profundius laciniata, figura Malvaceis, at ſinuoſitate & plicis Alchimillæ foliis accedentia, odore aromatico remiſſiore & a Meliſſa diverſo. Sed quod palmarium eſt, flores ejus grandiores ſunt, & petala habent omnia pæne æqualia invicem, coloris purpurei vividioris, pro qua differentia monſtranda flores ejus inter folia hujus ſeorſum figura minore tertia appicti ſunt. Noſtrum vero folia habet ampliora & hirſutiora, pediculis multo longioribus inſidentia, hirſuta magis, figura, inferiora præſertim, Ribeſii hortenſis vulgaris, vel, quoniam iis jam comparata ſunt ab auctore nominis in titulo memorato, Vitis,

odore

F.153.



Geranium Afric. arboreſcens, Vitis folio, odore Meliſſæ Pein.

F. 154.



Geranium Afric. carnosum, petalis angustis albicantibus.

odore Citrum vel Meliſſam referentia: flores, quam illius, minores ſunt, coloris dilute purpurei. Geranium Africanum hirſutum Ribis folio, floribus umbellatis purpureis D. Sherardi *Raj.* folia habet longe minora, unciam longitudine & latitudine vix excedentia, pediculis brevibus, vix ſemunciam longis, inſidentia, caules graciliores. Capitula ceteroquin & flores noſtro ſimilia videntur, quantum ex ſicca colligo, ipſam enim plantam virentem videre nondum contigit, unde an arboreſcat, ignoro, arboreſcere tamen ſuſpicor. Specimini Sherardino non eſt adſcriptum, an in horto vel ſolo patrio ſit lectum; ſi ſit plantæ ſpontaneæ, crederem eandem cum noſtra eſſe.

Ceterum caule, ramis & naſcendi modo, Geranio Africano arboreſcenti, flore velut dipetalo, eleganter variegato, plurimum accedit hæc ſpecies, folia etiam illius foliis proxime ſimilia ſunt, ſed profundius diviſa, odore Meliſſam referentia, quamvis contrectata & trita gravius nonnihil oleant, Lamii odorem æmulantia, illius pæne inſtar. Folia Ribeſii hortenſis foliis comparari poſſunt, vel & Vitis foliis junioribus. Solet enim non raro fieri, ut inferiora, juniorum præſertim plantarum folia, Vitis foliis non tantum figura, ſed & magnitudine reſpondeant.

Flores in ſummis ramulis in capitula colligunrur, dilute purpuraſcentes, petalis duobus ſuperioribus erectis aliquanto amplioribus, quam ſunt reliqua tria inferiora propendentia, ſtriis verſus baſim ſaturate purpureis pictis; tria vero inferiora petala ſtriis iſtiuſmodi carent. Stamina apices gerunt croceos: ſtylus e quinque corniculis purpureis conſtat. Calyces in quinque ſegmenta, quorum ſuperius reliquis latius eſt, dividuntur. Roſtra floribus ſuccedunt brevia. a quibus ſemina (vid. figura marginalis prima) per maturitatem abſcedunt ſpiratim revoluta, hirſuta & piloſa, ſpira lanuginoſa, ſeminum (figura ſecunda) nucleis teretibus fuſcis. Ad foliorum pediculos binæ auriculæ vel ligulæ membranaceæ, florum vero & calycum baſi plura foliola radiatim, velut in Umbelliferis, ſupponuntur.

Sole in Geminis & Cancro verſante apud nos floret. Sponte naſcitur circa Promontorium Bonæ Spei, prioris & ſequentium, quæ vulgo Africana dicuntur, inſtar.

A *Petivero in Gazoph. Nat. Tab.* 84. *f.* 6. deſignari videtur, figura autem, ut reliquæ, parum bona eſt. In *Catal. num.* 452. Geranium Capenſe Ribeſii folio ipſi vocatur. Poſtea dictum fuit, Geranium Africanum fruteſcens, Malvæ folio laciniato odorato, inſtar Meliſſæ, flore purpuraſcente *Boerh. Ind. Prim. p.* 110. *n.* 6. *Alt. p.* 263. *n.* 7. & Geranium folio Vitis, odore Meliſſæ *Heuch. Nov. Prov. Ann.* 1711. *p.* 69.

GERANIUM AFRICANUM CARNOSUM, PETALIS ANGUSTIS ALBICANTIBUS T. CXXVII. F. 154.

SESQUI & bipedali eſt altitudine, caule craſſo, carnoſo, nunc ſimplici, nunc brachiato, inæquali, cortice e cinereo virente veſtito, qui dodrantali & pedali a baſi diſtantia in ramos aliquot teretes abit, ſubito tenuiores, & hi dein bifariam & trifariam dividuntur, inque pediculos abeunt tres quatuorve teretes, in quibus flores naſcuntur terni, quaterni & quini, pediculis privatis brevibus geniculatis hærentes, e quinque petalis anguſtis concavis albicantibus, aut dilutiſſime purpuraſcentibus, eadem longitudine præditis, ſed ſitu inaquali diſpoſitis, conflati,

calyce excepti quinquefido, ſegmento ſuperiori reliquis ampliore, ex fuſco purpuraſcente, petalis duobus ſuperioribus in extremitate obiter ſinuatis, tribus inferioribus vero integris. Stylus coccineus in quinque cornicula reflexa dividitur, quem ſtamina circumſtant brevia, (ſuperiori reliquis latiore trifido) apicibus parvis flavicantibus terminata. Caules & rami ad genicula nonnihil intumeſcunt, quibus folia adnaſcuntur, ſuperius breviora, in mediis ramis longiora, Senecionis inſtar diviſa, in caudice vero latiora rurſus & breviora, Geranii folio Alceæ, flore coccineo fulgidiſſimo *Boerh.* ſimilia, utrinque e luteo virentia, pinguiuſcula, odore debili prædita.

Calyces & florum pediculi brevi & molli villo obſiti ſunt, ſimiliter rami ac folia, ſed adeo tenui, ut vix advertatur.

Semina rarius perficit. Planta eſt non multum ramoſa, nec lignoſa. Auguſto & Septembri menſibus floret.

Videtur eſſe Geranium Africanum folio Alceæ, flore albo *Boerh. Ind. Alt. p.* 264. *n.* 25.

GERANIUM AFRICANUM ARBORESCENS, FLORE VELUT DIPETALO, ELEGANTER VARIEGATO

T. CXXVIII. F. 155.

SEQUUNTUR eæ Geranii ſpecies, quarum flores eminenter irregulares ſunt. Primum nobis ſit, cujus flores tam irregularitate, quam elegantia, nulli ſecundi ſunt.

Variam hoc pro ætatis ratione obtinet magnitudinem; videas enim fruticolos bimos & trimos, ſeſquipedem aut duos ſaltem pedes altos, floribus jam onuſtos, videas & annoſiores ſtirpes, tres quatuorque cubitos æquantes, in multos ramos brachiatos, ut arbuſculæ formam induat planta. His caudex eſt robuſtus, duos, tres & amplius digitos craſſus, cortice veſtitus e fuſco nigricante, qui ſuperiora verſus in plures ramos inæquales & tortuoſos quoquoverſus diſtentitur, cortice ad juncturas veſtitos ejuſdem cum caudice coloris, reliqua autem pars e ſpadiceo in viridem tranſit colorem. Hirſuti ſunt hi rami & nodoſi, crebris tuberculis, qua folia abſceſſerunt, exaſperati. In quibus ramis pediculis oblongis folia innaſcuntur, figuræ inter Malvam & Althæam mediæ, ſed conſiſtentiæ longe diverſæ; tenuiora enim ſunt, hirſutiora & rugoſiora, parte ſupina viridia, prona nonnihil pallidiora odoris velut ſi quis Lamium & Meliſſam invicem conterat. Venis crebris obliquis exarantur hæc folia, per ambitum crenata, (crenis in inferioribus foliis crebrioribus & minoribus, quam in ſuperioribus) & in lobos ſuperficiales diviſa, inferiora præſertim, utrinque hirſuta & rugoſa, qua hirſutia etiam foliorum & florum pediculi gaudent.

Ceterum flores plurimi in ſummis cacuminibus umbellatim diſpoſiti naſcuntur, figura & colore prorſus ſingulares; namque petala duo ſuperiora reliquis multo majora ſunt, reflexa, ex purpureo colore & albo eleganter variegata, tria vero petala inferiora (vid. figuram marginalem primam) tam parva ſunt, ut vix conſpici queant. Ob quorum petalorum exiguitatem fit, ut calycis ſegmenta quatuor inferiora nuda relinquantur; recedunt enim ab his petala ſuperiora, & verſus ſu-

perius

F. 155.



Geranium Afric. arborescens, flore velut dipetalo, elegantèr variegato.

F. 156.



Geranium Afric. arborescens, foliis cucullatis angulosis.

perius calycis ſegmentum, quod ipſis a tergo latet, reflectuntur. Petala autem illa ampliora, quæ totum quaſi florem conſtituunt, ſequentem in modum variegata ſunt: a medio macula oblonga candida verſus baſim decurrit, in quam utrinque ſtriæ ſaturanter purpureæ ductæ ſunt, ſuperiorem vero partem macula latiuſcula ſaturatim purpurea diſtinguit. Minora petala etiam una alterave ſtria picta ſunt. Stamina non minus, ac flores, peculiaria ſunt; etenim quod ſuperiorem locum tenet, (figura marginali ſecunda) trifidum eſt, tribus apicibus capitatum, quatuor vero inferiora ad baſim uſque dividuntur, ſeu ſeorſum egrediuntur, quatuor apicibus croceis terminata, ita ut ſeptem ſint apices, quinque vero ſtamina tantum, ſi ſuperius, quod ad medium uſque in tres partes ſectum eſt, baſim vero integram habet, pro uno computes. Stylus per extremitatem in quinque cornicula dividitur. Calycum ſegmenta invicem æqualia ſunt, verum inæquali ſitu diſpoſita; ſuperius enim tantum ſpatii, quantum duo alia, occupat. Semina (figura tertia & quarta) ſubhirſuta, fuſca ſunt per maturitatem, ſpiratim a roſtro brevi abſcedentia, ſpiris interius pilis tenuibus lanuginoſis obſitis. Foliorum pediculis binæ, florum vero pediculis plures ligulæ radiatim, tanquam in Umbelliferis, ſupponuntur.

Sole in Geminis & Cancro verſante apud nos floret.

GERANIUM AFRICANUM ARBORESCENS, FOLIIS CUCULLATIS ANGULOSIS T. CXXIX. F. 156.

QUOD Geranium Africanum arboreſcens, Ibiſci folio rotundo, Carlinæ odore dixit & in *Horto Lugd. Bat. p.* 274. deſcriptum & depictum dedit *P. Hermannus*, planta eſt noſtræ huic valde ſimilis, ſed caule ſurgit rectiore & læviore, verſus ſummitatem tantum ramoſo, floribus in pediculo communi pluribus, foliis amplioribus, rotundioribus, minus anguloſis, magis vero odoratis. Quæ folia præter mollitiem, eamque non tantam, parum habent cum Ibiſco vel Althæa ſimilitudinis, melius autem quoad figuram reſpondent Petaſitæ foliis, niſi quod minus angulata ſint, & quod margines ſurſum porrigantur & concava folia efficiant. Hunc naſcendi modum & hujus ſpeciei folia obſervant, quare cum non alia nota ſint Gerania, ſimili more contracta folia proferentia, a cucullo ſeu theca papyracea, cucullata hujus & illius folia dico & a reliquis ſpeciebus diſtinguo, nominans illud, Geranium Africanum arboreſcens, foliis cucullatis rotundis, neglecta comparatione foliorum, cum nec hujus, nec illius ſpeciei folia earum plantarum, quibus comparantur, foliis bene reſpondeant.

Ceterum folia hujus ſpeciei, quam illius, crebriora ſunt, & propius ſibi admoventur, magiſque ad angulos complicata ſunt, inter quæ in ſummitatibus ramulorum in pediculis brevibus geniculatis flores naſcuntur tres quatuorve, juxta ſe orientes, ſatis ampli, nonnihil tamen, quantum mihi viſi ſunt, quam illius, minores & ſaturatiore purpura tincti, petalis duobus ſuperioribus reliquis tribus inferioribus amplioribus, maculis latioribus & ſtriis, quam inferiora, ſaturatioribus pictis, in quorum centro ſtamina ſedent, apices croceos gerentia, aliorum hujus generis inſtar; quatuor nempe longiora ſunt, & tria breviora, inſidentque ſinguli ſtaminibus ſinguli apices, omnia vero ad baſim conjunguntur. Floribus defluxis ſemina (in margine appicta) ſubnaſcuntur ſubfuſca, ſubhirſuta, ſpiratim a roſtro breviori abſcedentia, ſpiris lanugine tenui parte interiori, qua abſcedunt, veſtitis.

ſlitis. Singuli flores ſingulis inſident pediculis, & tres plerumque juxta ſe naſcuntur, foliolis aliquot & ligulis ad baſim cincti. Florum color durabilis eſt, & in ſicca etiam diutiſſime permanet, in hac æque, ac illa ſpecie.

Stirps mox ab imo in plures ramos dividitur, qui, licet non æque, ac in aliis, numeroſi ſint, multo tamen magis inæquales & tortuoſi eſſe ſolent. Folia inodora ſunt, ſapore adſtringente, ſubacido: foliorum denticuli frequentes, acuti, purpurei ſunt. Folia inferiora & in plantis junioribus majora ſunt & profundius diviſa, Tuſſilaginis foliis ſimilia; cetera Althææ foliis accedunt. Obſervare etiam eſt, juniorum plantarum flores majores eſſe, quam ſtirpium annoſiorum, cujuſmodi annoſior erat, ex quo noſtra figura deſumpta. Sole in Leone verſante floret.

Hujus loci facio, Geranium Capenſe fruteſcens, Aceris folio *Petiv. Gazoph. Tab.* 84. *fig.* 5. *Gat. Vol. II. n.* 451. & Geranium Africanum fruteſcens, Alchimillæ folio hirſuto, cum fimbriis purpureis *Boerh. Ind. Prim. p.* 110. *n.* 16. *Alt. p.* 263. *n.* 17.

GERANIUM AFRICANUM FOLIO ALCEÆ, FLORE COCCINEO FULGIDISSIMO BOERH. IND. ALT. P. CCLXIV. N. XXIV. *T. CXXX. F.* 157.

HOc Geranium dicitur, Geranium Surianenſe Chelidonii folio, flore coccineo, petalis inæqualibus in *Till. Hort. Piſ. p.* 68. Incaſſum quidem petala differentiæ ergo in nomen vocantur, cum pleraque Capenſia florum foliola inæqualia obtineant, & perperam dicitur Surianenſe, quicquid de Surianenſibus dicatur ſeminibus, in quæ caſu & improviſe incidiſſe videtur, cum tam ex nomine Boerhavii, quam ex Libro Capenſium pictarum Phylophylacii Sherardini conſtet, circa Promontorium Bonæ Spei hoc ſponte naſci. Deſcriptio nimis brevis & ſuperficialis eſt: figura, præſertim quoad flores, parum accurata; qui flores, cum in hac ſpecie inſignes ſint, & præcipuam plantæ partem conſtituant, nemini credo deſcriptio & figura nova diſplicebunt.

Caules autem & rami hujus Geranii licet ſatis craſſi ſint, humile tamen ſemper eſt, palmarem & dodrantalem altitudinem non multum ſuperans, ramis carnoſis, varis, huc illuc inæqualiter & diſtorte naſcentibus, foliis, præterquam in extremitate, plerumque carentibus; poſtquam enim floruit, ea mox exareſcunt, foliorum tamen veſtigia crebra per omnes ramos remanent. Quæ folia, Alceæ vulgaris inſtar, laciniata ſunt, faciem vero & colorem habent foliorum Chelidoniæ; juniora quidem & minora virent, vetuſtiora & ampliora e viridi in luteſcentem tranſeunt colorem, odorata, craſſiuſcula, molli hirſutia obſita, (qua hirſutia & calyces & florum pediculi præditi ſunt) pediculis ad baſim, e ligula lata alata orientibus, inſidentia.

Ceterum plura in extremis ramis congeſta hærent folia, e quibus florum naſcuntur pediculi, communis nempe longior, privati vero breviores, teretes utrique & ad baſim nodoſi: pediculi privati divaricati ſunt, foliis aliquot laciniatis ad baſim inferiori parte præditi, in ſuperiori vero parte, radio foliolorum indiviſorum terminantur, e quibus flores oriuntur plures, in alterutram partem vergentes, pedicellis hærentes verſus baſim tenuioribus, hinc geniculatis ſeu nodoſis, inde verſus ca-

lyces

F. 157.



Geranium Afric. folio Alceæ, flore coccineo fulgidissimo Boerh.

F. 158.



Geranium Afric. humile, folio fragrantiſsimo molli.

lyces ſenſim craſſioribus. Qui calyces ventrioſi ſunt, crepidæ quodammodo figura, in quinque inæqualia ſegmenta diviſi, ſuperiori ampliori, reliquis lateralibus & inferioribus (invicem æqualibus) anguſtioribus. Flores admodum irregulares ſunt, petalis duobus ſuperioribus amplioribus, reliquis lateralibus & inferiori anguſtioribus, eminenti coccineo colore fulgentes & ſtriis ſaturatioribus ſanguineis, præſertim duo petala ſuperiora, notati. Stamina (hæc ſeorſum appicta ſunt) quinque ex interiori florum parte ſurſum vergunt, quorum duo inferiora longiora ad fundum uſque ſejuncta, tria ſuperiora breviora circa medium connexa, quibus adnaſcuntur alia duo nana, apicibus deſtituta; apices nempe quinque tantum adſunt, compreſſi, exteriori parte ſanguinei, interiori farina crocea reſperſi: ſubinde tamen & ſeptem obſervantur apices, tres longiores, reliqui breviores; ſubinde & plura quam quinque, ſeptem nempe flores petala habent. Julio floret.

Geranium flore intenſe rubicundo Cap. Bon. Spei Then Rhyne *Breyn. Cent. Exot. Plant. p.* 179. huic melius, quam alii cuicunque ſpeciei reſpondere videtur.

GERANIUM AFRICANUM HUMILE, FOLIO FRAGRANTISSIMO MOLLI T. CXXXI. F. 158.

PRo plantæ portione radix huic ſpeciei ſatis craſſa, tortuoſa, multum fibroſa, ex qua folia in oblongis pediculis oriuntur plura in orbem ſparſa, & plures inter ea caules reclinati teretes, foliis ad genicula adverſis, & inter hæc florum ſeminumque pediculis oblongis donati, quorum faſtigio in brevibus pediculis privatis naſcuntur flores quinque, ſex, ſeptem & plures, parvi, albi, valde irregulares, petalis duobus ſuperioribus erectis & ſibi invicem ita incumbentibus, ut unum videantur, galeæ ſpecie, tribus inferioribus propendentibus, labium imitantibus, in medio obiter crenatis. In florum medio apices hærent lutei, ſtaminibus brevibus inſidentes, & ſtylus inter hæc parum prominet, in quinque filamenta coccinea diviſus. Semina (ſeorſum appicta) ſequuntur quina ſubhirſuta, brevia, quæ ſubinde a tenui filo pendula, naturaliter autem nonnihil contorta, abſcedunt a roſtro vel ſtylo medio, & ariſtam lanuginoſam obtinent. Calyx in quinque ſegmenta æqualia quidem, ſed florum ſitum inæqualem imitantia, dividitur. Florum pediculi privati altera parte, ſuperiore nempe, nodum eminentem habent, & veluti locuſtarum crura repræſentant, quod licet & in aliis quibuſdam ſpeciebus contingat, non tamen tam conſpicue, quam in hac, obſervatur. Ceterum florum pediculi, antequam capitula aperiantur, pendent; poſtquam flores aperti ſunt, eriguntur; dein rurſus pendent, & tandem ad ſeminum maturitatem denuo eriguntur.

Folia ſubrotunda ſunt, Malvæ minoris ſimilia, ſed in lobos & crenas ſuperficialiores diviſa, craſſiuſcula, Althææ inſtar mollia, pallida, in ambitu ſinuoſa & crenata, odore omnium, quotquot adhuc innotuere Gerania, fragrantiore, ita ut parum ſaltem contrectata, longinque etiam odorem ſpargant. Is vero Ocymum proxime refert, cui citrati quid commixtum eſt.

Perenne eſt & per totam fere æſtatem, quin auctumno etiam ac hyeme, in Hibernaculo repoſitum, floret.

Eſt Geranium Africanum folio Malvæ craſſo molli odoratiſſimo, floſculo pentapetalo albo *Boerh. Ind. Alt. p.* 263. *n.* 22. Cur pentapetalo flore vocetur, id forte

in cauſſa eſt, quod floris petala duo ſuperiora ita conjungantur, ut unum videri poſſent, ſed diligentius examinanti duo vere petala apparent, & florem ideo pentapetalum efficiunt. Non memini me unquam Geranii flores tetrapetalos vidiſſe, niſi forte unum jam deciderit petalum, quo caſu & tripetali darentur, ſi duo jam deciderint petala.

GERANIUM BATRACHIOIDES AMERICANUM MACULATUM, FLORIBUS OBSOLETE CÆRULEIS T. CXXXII. F. 259.

AGMEN claudant Gerania flore regulari prædita, e quibus hæc ſpecies perennis eſt, & e radice craſſa tuberoſa caulem emittit bipedalis plerumque altitudinis, qui pedali circiter ab imo diſtantia in duos dividitur ramos, & duo folia pediculis biuncialibus inſidentia emittit, inter quæ medius oritur pediculus palmaris longitudinis, geminos in ſummitate flores regulares, ſatis amplos, gerens, coloris e purpureo in cæruleum obſoletiorem vergentis, ſtriis verſus baſim petalorum ſuperficialibus vireſcentibus notatos. Stamina brevia, pro petalorum numero duplicata, apices geſtant parvos, flavicantes, circa ſtylum, in quinque cornicula diviſum, poſita.

Calyces piloſi & folia utrinque leniter hirſuta cauleſque villoſi ſunt, breviſſimis nempe pilis denſe obſiti. Tum caules, tum rami, tum foliorum pediculi teretes ſunt. Folia in quinque ſegmenta, per margines laciniata, ad pediculum uſque dividuntur, maculis luteſcentibus in baſi & ad foliorum præcipue lacinias diſtincta. In foliis, quæ e radice circa caulem naſcuntur, ea differentia obſervatur, ut quo ſint natu majora, eo minora, rotundiora & rotundius laciniata ſint.

Ceterum in ſummitatibus ramorum alii flores gemino ſemper ordine naſcuntur, quorum ii qui in medio, nempe in divaricationibus ramorum, ſiti ſunt, primo explicantur, poſtea vero reliqui in pediculis lateralibus locati. Sunt vero hi pediculi inferioribus & natu grandioribus multo breviores; ſunt & folia his adſita longe minora & in anguſtiores lacinias diviſa, vel nullis, vel breviſſimis pediculis inhærentia.

Semina floribus dilapſis ſubnaſcuntur parva ſubhirſuta, fuſca, quæ a roſtro non circumvoluta, nec in ſpiram torta, ſed e tenui filo pendula cum folliculis abſcedunt, contra aliorum Batrachioidum normam, ſuntque hæc ſemina in margine appicta figura prima, & ſecunda nucleus ſeminum.

Sponte naſcitur in Virginia & Carolina: Majo & Junio menſibus floret.

Foliorum laciniis ad Geranium batrachioides paluſtre flore ſanguineo *Hoffm.* accedit hæc ſpecies, verum lobi profundius & fere ad pediculum uſque dividuntur; lobi etiam nonnihil longiores & anguſtiores ſunt. Præterea caule villoſo, minus ramoſo, foliis maculatis, colore florum ab illo ſatis differt. A Geranio batrachioide vulgari foliorum laciniis minus crebris, minus profundis, minuſque acutis, quodque longe humilior planta ſit, abunde differt.

Ceterum batrachioides dicitur hoc genus Geranium, quod folia Ranunculi, qui βατραχιον Græcis dicitur, quibuſdam ſpeciebus ſimilia ſint.

Geranium Carolin. Ranunculi folio, flore magno Petiv. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Plant.*

F. 159.



Geranium batrachioides Amer. maculatum, floribus obsolete cæruleis.

F. 160.



Geranium batrachioides Bohem. capsulis nigris, hirsutis.

Plant. Tom. III. App. p. 245. *n.* 18. noſtri ſynonymum exiſtimo. An vero huc referri queat, Geranium batrachioides Americanum maculatum, ruberrimo flore *Herm. Par. Bat. p.* 180. ubi abſque figura & nimis breviter deſcribitur, dubito. Hermannus ſui folia latiora & rotundiora dicit, quam Geranii montani fuſci, & nigricantibus maculis inſignita. At noſtri ſegmenta, quam Geranii montani fuſci, longiora & anguſtiora ſunt, pallidiſque potius maculis luteſcentibus diſtincta: flores autem minime rubri ſunt, ſed ſemper ex purpureo obſolete cæruleſcentes. Ceteroquin illud Hermannianum quale ſit, me latet.

GERANIUM BATRACHIOIDES BOHEMICUM, CASPULIS NIGRIS HIRSUTIS T. CXXXIII. F. 160.

FECERAM hujus plantæ figuram ante, quam in *Hiſtoria Oxonienſi* deſignatam reperirem, nempe *Part. II. Sect. V. Tab.* 15. *fig.* 1. ubi Geranium annuum batrachioides Bohemicum, purpuro-violaceum, dicitur, & *pag.* 511. Geranii annui minoris batrachioidis Bohemici, purpuro-violacei nomine deſcribitur, ſed nimis generaliter & ſuperficialiter, & quoniam figura etiam minus bona eſt, & deſcriptionem & figuram meliorem exhibere volui. Præſtat deſcriptio, quam dedit *Rajus Hiſt. Pl. Tom. II. p.* 1063. *num.* 39. ubi ſequentem in modum deſcribit & „ Geranium Bohemicum, batrachioides annuum, ſemipedali, inquit, altitudine aſ„ ſurgit. Folia longiſſimis inſident pediculis, Geranii ſuſci quodammodo ſimilia, „ verum minora, pallidius virentia, molli & incana lanugine utrinque obſita. „ Caules in binos dividuntur ramos, ad quos hinc inde apponitur folium, eque „ ipſo divaricationis angulo pediculus longiſſimus exit bicornis, binos in ſummi„ tate flores geſtans, pedicellis privatis uncialibus ſuſtentatos, purpuro-cæruleos, „ ſaturatioribus lineis purpureis ſtriatos, petalis latis obtuſis, crena in medio inciſa „ bifidis & velut cordatis. Flores delapſi relinquunt roſtra uncialia, craſſiuſcula, „ in mucrones acutos ſenſim tenuata, per maturitatem nigricantia, quorum baſes „ circumſtant utriculi quini, ut in reliquis congeneribus, turgiduli, pariter nigri„ cantes, totidem ſemina fuſca, majuſcula reniformia continentes. Semine ad ma„ turitatem perducto planta ipſa radicitus exareſcit. In ramulis ad ſingulos nodos „ bina apponuntur folia, ex eorum autem ſinubus pediculi alternatim exeunt, „ non bini oppoſiti, ſenſim breviores, ad ſummitatem uſque. Floribus delapſis „ tum caules ſummi, tum præcipue florum calyces pulchre rubeſcunt." Cui deſcriptioni addi poteſt: Caules plantæ in Horto cultæ eſſe pedales & ſeſquipedales, ad genicula nodoſos, non ſurrectos, ſed in latera ſparſos & multum ramoſos: pediculos communes florum non tam longos eſſe, ut longiſſimi dici mereantur: flores eſſe mediæ magnitudinis, parvos potius, quam magnos, (perperam autem ſat magnos vocat Moriſonus) lineis aliquot latiuſculis purpureis ſtriatos: roſtra & ſeminum capſulas ab initio viridia, per maturitatem atra & hirſuta eſſe: ſemina majuſcula, oblonga, teretia, maculis fuſcis variegata eſſe, quorum capſulæ cum roſtri parte, ſemicirculi inſtar in ſe flexæ, a columna media roſtri abſcedunt: totam plantam molli hirſutia, non incana, ſed, in Hortu quidem, virente obductam, nonnihil graviter olentem & viſcoſam eſſe, ita ut ſemina pilis unguinoſis irretita calycibus & foliis ſæpe adhæreant. Ceterum folia pilis tenuibus brevibus undique

que obducta ſunt; caules pilis tenuibus brevibus, cum intermixtis hinc inde majoribus, calyces autem pilis longiuſculis obſiti ſunt.

Primam hujus plantæ mentionem factam invenio in Joncqueti Horto, ubi Geranium Suevicum ſeu Bohemicum, cæruleo flore dicitur. Dein dictum, Geranium unctuoſum, folio Ribes, flore cæruleo, roſtro atro *Hoffm. Del. Hort.* Geranium Bohemicum, flore cæruleo *Schuyl. Cat. Hort. Lugd. Bat. p.* 35. Geranium batrachioides minus annuum, purpuro-cæruleum *Mor. Præl. p.* 80. *& p.* 267. & Geranium annuum minus, batrachioides Bohemicum, purpuro-violaceum *Eid. Hiſt. Ox. Part. II. p.* 511. *n.* 1. *Sect. V. Tab.* 15. *fig.* 1. Geranium Bohemicum batrachioides annuum *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 1063. *n.* 39. Geranium ſemine nigro, cæruleum *Flor. Bat. Sec. p.* 120. *Boerh. Ind. Alt. p.* 265. *n.* 42.

GERANIUM BATRACHIOIDES PALUSTRE, FLORE SANGUINEO HOFFM. DEL. SYLV. *T. CXXXIV. F.* 161.

NOTUM quidem, ſed non percognitum eſt Geranium hoc, & quamvis figura ejus alicubi proſtet, tamen quoniam hujus ſpeciei eſſe, notum non eſt, & figuram & deſcriptionem, quæ ab aliis nimis brevis & ſuperficiaria tradita fuit, cum differentiis plantæ ſuperaddere ſupervacuum non fuit viſum.

Radix craſſa nodoſa, tranſverſa, foris fuſca, intus rubicunda eſt, ſapore adſtringente prædita, odore non ingrato, ſapore cum adſtrictione aromatici quid, Tormentillæ inſtar, referente. Caules inde enaſcuntur cubitales, vel nonnihil longiores, leviter anguloſi, non recta protenſi, ſed hinc inde in latera verſi, ad genicula nodoſi, aliorum Geraniorum batrachioidum inſtar diviſi & ſubdiviſi; bina nempe ad ſingula genicula in pediculis teretibus naſcuntur folia, ad quæ pediculus communis unicus & unus etiam ramus in juniore planta naſcuntur, in adultiore vero ſuccedit ramus alius, ut quinque ad ſingula genicula rami, ſi foliorum & florum pediculos computes, obſerventur. Virides ſunt caules & foliorum pediculi, multis pilis obſiti, folia vero tenuiore & minus conſpicua hirſutia prædita ſunt, Aconiti vel Ranunculi montani Aconiti folio diviſura, ſuperne virentia, inferne pallidiora & magis hirſuta, quam ſuperficie ſuperiore.

Flores in ſuperioribus geniculis e divaricationum angulo medio in pediculis longis teretibus, communi nempe palmari, privatis uncialibus & ſeſquiuncialibus naſcuntur ſatis ampli, gemelli, e petalis obtuſis integris, invicem æqualibus, compoſiti, coloris amœne ex rubro purpurei, venis ſaturatioribus ſtriati. Calyces quinquefoliati ſtriati ſunt, læves, ſolentque hi calyces vel florum capitula, antequam aperiuntur, nutare, ad florum vero explicationem erigi, petalis vero dilapſis reflectuntur denuo pediculi privati & verſus capitula hami inſtar incurvantur, ita ut cælum ſpectent roſtra. Stamina decem ſunt, ſtylo in quinque filamenta diviſo appreſſa, quorum quinque interiora primum, dein quinque exteriora apices ſuos violaceos dimittunt. Semina per maturitatem a baſi ſtyli abſcedunt, roſtri laciniam in circulum revolutam ſecum ducentia, & grana dimittunt, quibus delapſis vacuæ remanent ſeminum capſulæ, quæ glabræ ſunt. Hæ figura marginali prima, ſecunda vero folium inferius deſignantur.

Sponte

F. 161.



Geranium batrachioides paluſtre, flore ſanguineo Hoffm.



GERANIUM BATRACHIOIDES PALUSTRE,
RANUNCULI FOLIIS ANGUSTIORIBUS HOWEL DE PLANT. CXXXIV

Sponte naſcitur in Germania, locis udis, frutectoſis umbroſis, gramineis, & copioſe mihi olim obſervatum in marginibus pratorum, uno lapide ab oppido *Giſſen* in Haſſia remotis, ortum verſus, juxta ſylvulam, *Steltzenmorgen* dictam, ſub vepribus, unde ſemina conſcripſi & in Hortum Elthamenſem contuli, ubi hodienum viget, & flores ſuos Junio & Julio menſibus oſtentat.

A Geranio batrachioide vulgari & Geranio batrachioide folio Aconiti *C. B. Pin. p.* 317. differt foliis minus hirſutis, minus crebro minuſque profunde, ſed in lacinias latiores & obtuſiores diſſectis, calycibus glabris, floribus magis ſparſis, in pediculis longioribus naſcentibus, cum in illis propius in ſummis caulibus congeſti naſcantur flores. Præterea Geranii batrachioidis vulgaris radix intus buxei coloris dicitur, & flores ejus pallide violacei, vel in cæruleum vergentis coloris ſunt. Utriuſque folia in lobos profundius ad pediculum fere dividuntur, noſtri vero lobi non æque profunde diviſi ſunt.

Geranium batrachioides odoratum *C. B. Pin. p.* 318. ſeu Geranium batrachioides longius radicatum, odoratum *J. B. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 477. folia habet noſtro pæne ſimilia, & laciniis tantum minoribus & nonnihil brevioribus diſtincta, flores autem minores ſunt, in ſummitate plures velut in umbella congeſti, ſtylo & ſtaminibus longe extantibus donati. Præterea flores ejus odorati dicuntur, noſtri vero inodori ſunt.

Geranium Romanum verſicolor ſive ſtriatum *Park. Par. p.* 229. folia etiam habet noſtro valde ſimilia, lobi tamen in medio latiores ſunt, inque crebriores & breviores lacinias dividuntur. Porro folia magis hirſuta ſunt, flores licet in pediculo communi bini ſparſim naſcantur, pediculi tamen privati ſunt multo breviores & florum color diverſus, albi nempe ſunt flores, lineolis crebris purpureo-rubentibus variegati, petalis cordatis.

Geranium Bohemicum batrachioides annuum *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 1063. *n.* 39. de quo ſuperius, totius hirſutia, floribus minoribus purpureo-cæruleis, petalis cordatis, ſemine nigro hirſuto, quodque humilior & annua planta ſit, a noſtra ſpecie abunde diſtinguitur.

Hujus plantæ differentiam primus omnium advertit *Cluſius Hiſt. p. CII.* ſub Geranio VII. ſeu hæmatode altero: „Geranium, inquit, hæmatodes alterum ſimili quidem flore (at petala non æque lata, nec bifida, ſed integra ſunt) diſparibus tamen „ foliis & Batrachioidis Geranii oliorum potius æmulis, invenitur ad pratorum „ margines umbroſos & inter vepres, ad pagum *Calzeret*, ſupra Noribergam, iti„ nere Pragenſi." Hæc ſunt, que Cluſius habet. *C. Bauhinus* omiſit in Pinace. *M. Hoffmannus* id reſtituit in *Cat. Altorff.* cujus nomen ſupra relatum eſt, quem ſequitur *J. G. Volckamerus* in *Flor. Norib. p.* 187. Figuram autem nemo advertit. Deſignatur nempe in *Horto Eyſt. Ord. I. Plant. Vern. Fol.* 9. *fig.* 2. Geranii ſanguinarii majoris titulo, & icon quidem eſt ſatis bona, niſi quod flores, immo & folia, juſto majora, & quod petala florum nimis rotunda & juſto breviora pingantur. Porro figura quidem totam plantam bene repræſentat, ſed non æque ramificationem & folia in his minora: omiſſa etiam eſt hirſutia caulium & pediculorum. Nobis ramus naturali magnitudine depictus ſufficere fuit viſus. Aliam hujus plantæ figuram, Geranii florentis titulo, reperio in *M. S. Merianæ Eruc. Tranſform. Part. II. p.* 51. *Tab. XXVI.* illam quidem non malam, ſed non æque, ac

Horti Eyſtettenſis, ſpecioſam: nana eſt figura, quæ flores & folia ſat bene repræſentat, id tamen vitii habet, quod floribus naturali magnitudine caulis humilis, parum ramoſus, velut plantæ junioris, & folia naturali magnitudine minora appicta ſint: videntur etiam petala in extremitate nimis lata & obtuſa facta, & hirſutia caulis & pediculorum omiſſa eſt.

Deſcriptio in Horto Eyſtettenſi ſequentem in modum ſe habet: „ Radice eſt „ prolixiore, eaque quodammodo bulboſa, ſuperficiarie ſerpente, geniculata, hu„ motenus rubente. Caulibus exurgit articulatis, pinguibus, quorum ſinguli pedi„ culi ſua habent folia ampliora, una incana, altera parte virentia. In ſummo „ emicant flores ex purpura rubentes. " Quæ omnia conveniunt, niſi quæ de caulibus pinguibus & foliis ſubtus incanis dicuntur, nam caules nec pingues, nec folia proprie incana ſunt, ſed ſubtus ex viridi pallide tantum albicant.

C. Bauhinus ſequutus erronea Horti Eyſtettenſis ſynonyma, ſynonymon fecit hoc Geranii batrachioidis vulgaris *Pin. p.* 318. *n.* 5. a quo longe differt. Ego etiam olim erravi, dum in *Cat. Giſſ. App. p.* 55. hoc Geranium alii ſpeciei; nempe Geranio Geranii hæmatodis ſolio & facie D. Sherard. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 513. *n.* 25. nimis ſecure idem feci. Geranium illud eſt ex Cupaninis, pro Horti Catholici Suppl. tertio deſtinatis, quod folia habet hæmatodi vulgari admodum ſimilia, a noſtri foliis multum diverſa, ſed flores in communi pediculo binos, cum hæmatodes vulgare ſolitarios proferat flores.

GERANIUM COLUMBINUM CAROLINUM, CAPSULIS NIGRIS HIRSUTIS T. CXXXV. F. 162.

PEDALEM & ſeſquipedalem altitudinem plerumque obtinet, caulibus ab initio ſurrectis, minus ramoſis, dein reclinatis, multum ramoſis, in latera verſis, (ut tota planta tortuoſa fiat) ad genicula nodoſis, e viridi rubentibus, aliorum Columbinorum inſtar diviſis, & foliis ad genicula adverſis præditis. Quæ folia pediculis teretibus, tenuibus, oblongis inſident, in quinque plerumque lobos ad pediculum pæne diviſa, lobis in alia quædam ſegmenta denuo diviſis, ſuperne virentia, ſubtus pallidiora. Folia ſeminalia parva, integra, ſubrotunda ſunt; vid. figura marginalis prima) quæ ad imam caulis partem locata ſequuntur, majora fiunt, in lobos quinque breves, ſubrotundos, parum inciſos, (figura ſecunda) diviſa; quæ vero his ſuccedunt, labos habent anguſtiores & longiores, in ſegmenta anguſtiora (figura terria) diviſos; reliqua ad imum caulem locata (figura quarta) ab his non multum abſcedunt, niſi quod ſegmenta minus obtuſa ſint. Prima pediculis brevibus, reliqua pedetentim longioribus inſident.

Flores in pediculis tenuibus naſcuntur gemini, parvi, regulares, carnei coloris, petalis ſingulis tribus ſtriis purpureis pictis, obiter in extremitate inciſis; quæ petala in floribus junioribus & antequam plene explicantur minora ſunt. Stamina brevia, ad baſim latiuſcula, ſtylo medio apprimuntur & eum arcte circumdant, apices exiguos e viridi luteolos gerentia; ſtylus vero in quinque brevia craſſiuſcula filamenta dividitur. Calyces pro florum ratione ſatis magni ſunt, & e quinque ſegmentis in baſi latiuſculis, in ſummitate cuſpidatis, componuntur. Seminum capſulæ piloſæ & hirſutæ ſunt, per maturitatem nigræ, quibus ab aliis co-

lumbinis

T. CXXXV.

F. 162.



P. 162.

Geranium columbinum Carolinum, capsulis nigris, hirsutis.

F. 163.



Geranium hæmatodes Lancastrienſe, flore eleganter ſtriato Raj.

lumbinis prompte diſtingui poteſt. Tota planta molli hirſutia obſita eſt. Ceterum capſulæ hæ in ſemicirculum volutæ abſcedunt, & ſemina dimittunt teretiuſcula, fuſca, quam Bohemici minora & non maculata, quæ figura quinta & ſexta ſeorſum expreſſa ſunt.

Annua eſt planta, e ſeminibus deciduis ſponte, ſi ſemel in hortum illata fuerit, renaſcens Junio Julioque menſibus floret.

GERANIUM HÆMATODES LANCASTRIENSE, FLORE ELEGANTER STRIATO RAJ. HIST. PLANT. TOM. II. P. MLXI. INTER XXXII. ET XXXIII. SYN. ED. I. P. CLVI. ED. II. P. CCXIX. ED. III. P. CCCLX. N. XVI. *T. CXXXVI. F.* 163.

GERANII hæmatodis, cui flores in ſingulis pediculis naſcuntur ſinguli, plures una dari ſpecies, Rei herbariæ Auctores diligentius evolventi patebit. Quod *Cluſius Hiſt. p. CI. & CII.* ſeptimo loco, hæmatodis nomine accurate deſcripſit, humilis eſt planta ac procumbens, cui flores ſunt ampli, purpurei. Ab hoc diverſam plantam puto Geranium ſextum *Fuchſii Hiſt. fol.* 209. quod erectum eſt & flores minores habet, idemque eſt Geranio ſanguineo, cauliculis erectis, flore minore *Hort. Lugd. Bat.* Auctores qui Fuchſii figuram imitati, vel ea fuere uſi, v. gr. Tragus, Dodonæus Gall. J. Bauhinus, eodem debent referri, ſaltem quoad figuram. Quin videtur J. Bauhinus erectum deſcriptione ſua deſignare, quando caules dicit eſſe cubitum altos. Rajus in Hiſtoria Tom. II. p. 1061. n. 32. deſcriptionem J. Bauhini & Cluſii in unam coëgit, ad finem tamen deſcriptionis meminit, in Horto Leydenſi coli ſpeciem, quam Geranium ſanguineum cauliculis aſſurgentibus vocent. Conſiderandum an ad hoc referri queat, Geranium columbinum erectum, tenuius laciniatum, flore magno *Flor. Pruſ. p.* 103. *ic.* 18. Plantam ipſam nondum vidimus: figura Lœſelii flores nonnihil majores, quam vel figura Fuchſii vel ſpecimen Phytoph. Sherard. monſtrant, facere videtur; verum in ſicca omnia contrahuntur.

Speciei, quæ vulgatiſſima eſt & procumbit, foliaque valde diſſecta habet, admodum ſimile eſt Geranium hæmatodes Lancaſtrienſe, flore eleganter ſtriato *Raj.* Totum enim procumbit, & folia habet ſimili plane modo frequenter profundeque inciſa. Differt autem foliis nonnihil minoribus, cauliculis brevioribus & floribus pallidioribus, venis ſanguineis eleganter ſtriatis, quas differentias, cum, Raji etiam obſervatione, in hortis cultum conſtanter ſervet, merito pro diſtincta cum ipſo ſpecie habetur.

Ceterum graciles huic ſunt cauliculi, ad genicula nodoſi, piloſi, parte ſuperiore, qua cælum ſpectant, rubeſcentes, inferiore virides, quibus folia adnaſcuntur conjugata, in quinque plerumque partes, tribus, ſubinde duabus tantum, laciniis inciſas, diviſa, ſubhirſuta, ſuperne viridia, ſubtus pallidiora, e quorum alis in ſingulis pediculis ſinguli naſcuntur flores, vulgaris pæne magnitudine, e quinque petalis æqualibus, in ſummo, Roſæ inſtar, obiter ſinuatis & expanſis, conflati, coloris dilute incarnati, venis ſanguineis eleganter ſtriati. In florum medio in ſtaminibus brevibus apices hærent craſſiuſculi decem, ſtylum quinquefidum ambientes. Semina

ſubnaſcuntur

ſubnaſcuntur grandiuſcula pulla, rotundo-teretia, quorum folliculi primum a baſi roſtri ſurſum elevantur, dein vero cum roſtri parte ſuperiora verſus revolvuntur. Radix perennis craſſiuſcula eſt, fibras in latera ſpargens.

Maji fine & Junio menſe floret. In Inſula *Walney*, Lancaſtriæ adjacente, ſolo arenoſo ad maris littus invenit *Th. Lawſon*, ut docet Rajus in Hiſt. & Synopſi Stirp. Brit.

Hujus ſynonymon facit *Tournefortius Inſt. Rei Herb. p.* 267. Geranium hæmatodes flore variegato *Hort. Edinb.* Reliqua ſynonyma ſunt: Geranium pictum ſeu Anglicum *Pein. Hort. Boſ. A.* 1690. *& ſeqq.* Geranium hæmatodes, flore pallido minore, ſtriis rubris verſicolore *Pluk. Alm. p.* 168. Geranium hæmatodes album, venis rubentibus ſtriatum *Th. Robinſ. Hiſt. Nat. Weſtm. p.* 92.

GRANADILLA BICORNIS, FLORE CANDIDO, FILAMENTIS INTORTIS. T. CXXXVII. F. 164.

GRANDILLÆ ad unam omnes Americanæ originis ſunt, & ſingulares plane huic generi flores obtigerunt, non tantum ab omnibus Orbis Veteris floribus diverſi, ſed ipſi etiam inter ſe non parum differentes. Aliæ enim flores habent e multiplici, aliæ e ſimplici petalorum ſerie conſtantes, aliæ calyce gaudent (triphyllo) veris petalis breviore & firmiore, virente, aliæ eo deſtituuntur, omnes vero e medio flore piſtillum emittunt, cui inſidet capitulum vel embryo, ſtaminibus a parte inferiore, a ſuperiore ſtylo peculiari clavato terminatus. Porro piſtilli hujus baſim in omnibus adhuc notis ſpeciebus innumera ambiunt filamenta radiata & in orbem ſparſa, dempta altera noſtra ſpecie, in qua perbrevia ea ſunt, congeſta ab initio & piſtillum verſus inflexa, dein ſurrecta. Quæ filamenta teretia plerumque ſunt, ſtamina referentia, ad quæ tamen tantum abeſt, ut referri queant, ut potius ad petala reducenda videantur, cum vero ſtamina alio in loco, nempe ſubter embryonem cum apicibus, collocata obſerventur.

Sarmenta profert hæc ſpecies prælonga, culmo tenuiora, ſuperne æque, ac inferne, craſſa, e fuſco rubentia, ſubteretia, ſtriata, quibus folia adnaſcuntur utrinque longe, alarum veſpertilionis inſtar, expanſa, ſuperius minora, in mediis ſarmentis ampliora, inferius (vid. figuram marginalem primam & ſecundam) anguſtiora, glabra & nonnihil ſplendentia, colore in ſuperioribus dilutius, in mediis ſaturatius, in inferioribus obſcurius virente, duobus tuberculis purpureis verſus baſim, qua pediculo nectuntur, prædita.

Flores Julio menſe e foliorum mediorum & ſuperiorum alis pediculis brevibus teretibus naſcuntur candidi, mediocri magnitudine præditi, e calyce pentaphyllo, exterius viridante, interius ex herbaceo albicante & petalis quinque, in horum interſtitiis locatis, nonnihil minoribus, plane candidis, conflati, ad quæ pertinent filamenta prælonga candidiſſima, in medio inflexa, ad quorum baſim alia tenuiora capillacea, inde vero corona lamellarum plicatarum candidarum (hæc ſeorſum vide figura marginali tertia de parte interiori, quarta vero & quinta de exteriori & de laterali) ſequitur, in tubum brevem collectarum, e quorum centro piſtillum breve purpureum erigitur, in quinque brevia ſtamina abiens, apicibus craſſiuſculis virentibus, circa margines & averſa parte obſolete (a farina ſpermatica) flaveſcentibus terminata:

F. 164.



Granadilla bicornis, flore candido, filamentis intortis.

F.165.



Granadilla flore cupreo, fructu olivæformi.

terminata: embryo inter hæc ſedet oblongo-rotundus, viridis, e quo ſtylus clavatus triplex. Flores inodori ſunt & brevi pereunt, nam veſperi & noctu aperiuntur, mane circa octavam & nonam clauduntur, nec ſinguli denuo explicantur.

Ex Horto Amſtelodamenſi accepit Patronus Horti, de regione vero ejus natali nobis non conſtat.

Granadilla flore ſuave-rubente, folio bicorni *Inſt. Rei Herb. p.* 241. & Granadilla fructu rubente, folio bicorni *Plum. Cat. p.* 6. diverſæ ſunt plantæ a noſtra, foliis amplioribus, florum colore & filamentis brevioribus rectis a noſtra diſtinguendæ. Forte etiam in fructu differentia eſt: illius hexagonus ſubrotundus, hujus longior, utrinque acuminatus dicitur & depingitur a Plumiero; noſter ut ſe habeat, dicere non licet, cum embryones mox cum floribus emarcuerint.

GRANADILLA FLORE CUPREO, FRUCTU OLIVIFORMI T. CXXXVIII. F. 165.

CAULIS ſarmentoſus gracilis, tricubitalis, cum apud nos poſt tertium a ſatione annum floreret, erat, ramulis paucis donatus, quibus folia ſimplicia, Capparis longiore folio ſimilia, denſa, rigida & venoſa, lavia, ſaturatim virentia ſuperne, inferne nonnihil pallidiora, e quorum alis tortiles claviculæ & flores naſcebantur obſolete purpurei, ejuſmodi fere coloris, qualis in cupro polito obſervatur, ab initio erecti, dein, ubi petala contrahuntur, penduli, e decem petalis oblongis conflati, quinis petalis exterioribus latioribus & longioribus, quinis vero interioribus anguſtioribus & brevioribus, quorum illa antica tantum parte rufa, poſtica vero, marginibus demptis, ſubviridia, hæc vero utrinque eodem colore obſolete purpureo prædita ſunt. In florum medio radius vel corona hærebat, quam in aliis longe minor, e corpuſculis ſtyliformibus brevibus, rigidis, lævibus, croceis, ad baſim e violaceo nigricantibus & ſplendentibus, non extenſis, ſed piſtillum verſus vergentibus & in umbonem coëuntibus, compoſita, in quorum centro cavitas eſt, liquore limpido dulci repleta. Piſtillum autum hic ſtylo contradiſtinguimus & per id intelligimus columnam e floris centro ſurrectam, cui embryo, ſtamma & ſtylus inſident. Embryo figuram ovalem obtinebat, cujus ſummo ſtylus trifidus, e tribus nempe claviculis gracilibus purpurantibus, in extremitate virentibus, inſidebat, ſtamina autem ad embryonis baſim quinque hærebant purpuraſcentia, & in his totidem apices verſatiles, ſuperne egregie virentes, ſubtus, ob farinam excuſſam, e luteo virentes. Calycem obſervavi nullum, ab ipſo flore diſtinctum, niſi contendas petala quinque exteriora latiora & longiora calycem eſſe, quamvis teneritas & color huic repugnent. Ceterum flores veſperi explicantur & unum alterumve diem durant, ab initio erecti, plani, mox petala reflectentes, dein contracti & penduli, in viridem externe tranſeuntes colorem. Nullus in his odor notabilis apparuit.

Sole in Leone exiſtente floruit, & nata fuit hæc ſpecies e ſeminibus ex Inſula Providentia allatis. In Hibernaculo repoſita ſemperviret.

Ex dicta Inſula hujus plantæ ſpecimen ſiccum habemus, cujus folia, quam in noſtra, ampliora & rotundiora ſunt, Androſæmi fere foliis paria, cujuſmodi folium in margine figura prima, de parte ejus prona ſeu inferiora, ſeorſum exhibe-

tur. Et hujuſmodi folia annoſior facta planta, contra ac in ſtuteſcentibus plerumque fit, ſequentibus annis nobiſcum etiam acquiſivit, fructuſque maturavit, qui (figura ſecunda) oliviformes erant, penduli, obſcure purpurei, maculis pallidioribus diſtincti, glabri, in quorum pulpa ſemina (figura tertia) latebant oblongo-rotunda, leniter compreſſa, fuſca, tranſverſis rugis exarata. Planta tum altior & multo magis ramoſa facta eſt, caule imo ſubfuſco, lignoſo, digitum minorem craſſo, ſarmentis tenuioribus, egregie virentibus.

Non eſt noſtra ſpecies eadem cum Granadilla Androſæmi foliis, fructu jujubino *Plum. Cat. p.* 7. ſeu Clematide Indica alia, flore minore pallido *Ejuſd. Plant. Amer. p.* 74. *Tab.* 89. ceu quæ flores habet minores & petala ejuſdem, ſi recte picta ſunt, magnitudinis, radium expanſum, columnam vero breviorem. Eſt autem columna in noſtra hac notabili longitudine prædita.

Non immerito vero aliquis quærat, an Murucuja-miri *Piſon. L.* 4. *C.* 74. *p.* 107. *Edit.* Ann. 1648. Murucuja quinta *Ejuſd. L.* 4. *C.* 60. *p.* 248. *Edit. Ann.* 1558. hujus loci ſit. Figura ſane non male quadrat, nec deſcriptio contraria videtur, ſed quoniam ea juſto brevior eſt flos ipſi odoratus dicitur, qui nobis inodorus viſus eſt, & quoniam flos minus ſcite expreſſus eſt, malumus rem in dubio relinquere, quam temere eandem pronuntiare plantam.

GROSSULARIA OXYACANTHÆ FOLIIS AMPLIORIBUS, EX SINU HUDSONIO PLUK. AMALTH. P. CCXII. *T. CXXXIX. F.* 166.

STIPITE & naſcendi modo cum Groſſularia vulgari ſylveſtri convenit, differt ſpinis frequentioribus & mitioribus, foliis glabris, profundius inciſis, fructu non tantum ab hac, ſed reliquis omnibus ſpeciebus, inſigniter diverſa eſt. Nam hic parvus eſt & rotundus, Ribeſii magnitudine & forma, coloris ab initio purpuraſcentis, dein per maturitatem e cæruleo obſcure purpurei, ex atro nempe purpureus fit, cum obducta nebula cærulea. Ceterum fructus glaber eſt, tenui brevique pediculo appenſus, in cujus pulpa ſubacida, obſcure purpurea, unum alterumve ſemen fuſcum, ex rotundo ſeniter auguloſum, continetur.

Stipites cinerei ſunt, frequentibus tenuibuſque ſpinis ſubfuſcis, inſtar Roſæ foliis Sanguiſorbæ minoris, ſed minus rigidis, armati: ſtolones juniores pallide vireſcunt & virentes ſpinas habent. Folia viridia, ſubtus nonnihil pallidiora, oblongis pedicellis, mitibus ſpinis obſitis, inſident, extrema quidem, ſeu quæ in ramorum ſummitatibus naſcuntur, ceteris ampliora.

Eodem cum vulgari tempore floret & fructus maturat. Ceterum flores e foliorum alis modo ſinguli, modo bini naſcuntur, nudi, monopetali, tubuloſi, in decem ſegmenta diviſi, exteriora latiuſcula reflexa, coloris cum tubulo ex herbaceo & luteolo albicantis, interiora anguſtiora ſurrecta, candida, inter quæ ex ipſo tubulo floris ſtamina naſcuntur quinque, apices pallide flavos gerentia. Embryo floris fundo connaſcitur, e quo ſtylus naſcitur oblongus, bifidus, lanuginoſus.

Tournefortius in Inſt. R. Herb. p. 639. Groſſulariam & Ribeſium ad unum & idem reducit genus, & florem roſaceum dicit polypetalum, ex calyce monophyllo pelviformi naſcentem. Sive autem ad idem, ſive ad diverſa referantur genera

Groſſularia

F. 166.



Grosularia Oxyacanthæ foliis amplioribus &c. Pluk.



Groſſularia & Ribeſium, quod is pro calyce habet, calyx cenſeri nequit, quoniam teneritate a calyce longe differt, & lacinias tam exteriores, quam interiores ejuſdem conſiſtentiæ habet, utraſque ſane non deciduas, ſed tubulo connatas & cum eo marceſcentes; cui accedit, quod ſtamina e tubulo floris, ceu in monopetalis floribus plerumque fieri ſolet, enaſcantur. Ceteroquin roſaceam floris figuram, quæ in Europæis Ribeſiis obſervatur, fruſtra quis quærat in Groſſulariis, quibus tubulus, quam Ribeſiis, longior eſt, laciniæ autem illorum inſtar in roſaceam figuram non expanſæ ſunt.

In figura noſtra juxta ramum majorem medium alius minor cum floribus, & ex altero latere ſemina ſeorſum appoſita ſunt.

HÆMANTHUS COLCHICI FOLIIS, PERIANTHIO HERBACEO T. CXL. F. 167.

ÆMANTHI vocem, qua primum uſus Hermannus in Hort. Lugd. Bat. non tam de ſolo perianthio, quod vulgari ſpeciei bifoliæ inſigniter coloratum eſt, quam ipſo potius flore poſthac interpretandam eſſe, præſens planta ſuadet. Id enim in hac ſpecie nec ſanguineo, nec alio inſigni colore diſtinguitur, ſed herbaceo ignobiliore gaudet.

Variam autem vario tempore nobiſcum hæc inſignis planta faciem induit. Olim enim, (ſeptem nunc elapſi ſunt anni) quum primum bulbus, e Belgio acceptus, in florem erumperet, caule erat brevi, foliis humilibus, pediculis breviſſimis hærentibus & cauli florido fere conjunctis, quibus jam formatis, flos ſuccedebat inſigniter coloratus. Ab eo tempore requievit planta ad annum uſque 1728. quo tempore eodem circiter menſe, nempe Sole Arietem tenente, iterum floruit, caule dodrantali, paulo ante folia prorumpente, ſtantibus utrinque de latere, tanquam e diverſo bulbo, uno alterove folio provectiori, e primario autem bulbo flore, jam adulto, folia quædam juniora & convoluta emergebant. Qui bulbi an matri cohærerent, vel an ſeparati eſſent, inveſtigare nolebamus, ne vegetationem plantæ interrumperemus, procul dubio autem communicationem invicem habebant, quamvis triunciali a caule florido ſpatio diſtabant. Aliæ in aliis ollis plantæ, quæ floribus carebant, folia tum habebant plura, tria nempe, quatuor & quinque ex eodem bulbo, pediculis brevibus concavis inſidentia.

Hoc denuo, quo hæc ſcribimus, anno 1729. Sole ab Ariete longe remoto, nempe Leonem tenente, flos poſt folia erupit, colore præditus dilutiore, caulibus altioribus, foliis, ut ab initio, pluribus ex eodem bulbo naſcentibus, quo tempore, projecta veteri, novam perfectiorem feci figuram & deſcriptionem ſequentem in modum reformavi.

Et floridi & folioſi caules dodrantali plerumque ſunt altitudine; illi quidem altero latere plani, altero convexi, hi vero teretes ſunt, ex albo vireſcentes, crebris maculis purpureis reſperſi. Bulbus ipſis pro baſi tuberoſus eſt, ariformis, ex geminato tubere ſibi impoſito conſtans; grandior nempe inferiorem partem occupat rugoſus, inferius contractus, in ſummitate craſſior, cui alia inſident tubera juniora, ad baſim latiora, rugoſis circulis diſtincta, ſuperiore parte læviora & tunicis

cis tenuibus membranaceis obvoluta, quæ, ubi floret planta, eam faciem & magnitudinem habent, qua depicta ſunt, procedente autem tempore ſuperius tuber inferius magnitudine æquat & tandem ſuperat, veteri tandem ſenſim emarceſcente. Spatio inter utrumque tuber medio plures egrediuntur radices craſſæ teretes, in latera ſparſæ, quarum aliquæ, ſuperiores nempe, plenæ ſolidæque, aliæ vero, inferiores nempe, exſuccæ, marcidæ, rugoſæ obſervantur, ex meris tandem, exuviarum ſerpentinarum inſtar, membranis tubuloſis inanibus conſtantes.

In caulis floridi faſtigio ex involucro herbaceo, tanquam in umbella, numeroſi flores (quinquaginta & plures) ſeſe oſtentant, coloris nunc ſaturatioris, nunc pallidioris coccinei, per vetuſtatem, quæ ſeptimanarum aliquot ſpatio ipſis accidit, incarnati, non decidui, ſed ſupra vaſcula marceſcentes. Singuli autem flores ſummo fructui inſident, nudi, monopetali, in ſex oblonga ſegmenta æqualia ad baſim fere diviſi; qua parte, nempe ubi dividi incipit flos, ſtamina ex ejus tubulo oriuntur ſex, ejuſdem fere cum flore coloris, totidem apices croceos erectos gerentia, e floris autem fundo ſtylus ſurrigitur ſimplex, acuminatus, nonnihil incurvus, ejuſdem cum ſtaminibus longitudinis & coloris, ex embryone egreſſus obtuſe trigono. Flores & embryones pediculis inſident ſubteretibus, lævibus & æqualibus, teneris, ſuccoſis, ſemunciam longis, qui dein in baccas abeunt obtuſe trigonas, tricapſulares & triſpermas, ſed omnia ſemina ad maturitatem apud nos non perveniunt, verum unum alterumve tantum, quod ſi ſolitarium ſit, tum id oblongo-rotundum eſt, ſi vero duo perficiantur, tum altera parte convexa, altera, qua ſe mutuo tangunt, complanata ſunt. Ceterum ſemina grandiuſcula ſunt, cartilaginoſa, quæ, ſi diſſecentur, punctum viride (novæ plantæ principium) in medio habent. Baccæ per maturitatem ſub Auctumni finem oblongo-rotundæ fiunt coccineo colore reſplendentes, pulpa viſcida ſubdulci dicta ſemina continentes, quibus filamenta nigricantia, ſeu exaridi flores, juxta foveolam in medio impreſſam, ſæpe inhærent, prout in ſcapo ſeorſum picto videre eſt, ad quem figura marginali prima, ſecunda & tertia ſemina ſobrotunda integra & diſſecta, quarta & quinta eadem altero latere convexa, altero plana vario ſitu, ſexta & ſeptima bacca junior obtuſe trigona integra & diſſecta, octava & nona vero figura ſuperiori flores aliquot appinguntur. Perianthium herbaceum e quatuor majoribus & latioribus & intermixtis aliquot anguſtioribus (tribus quatuorve) foliis venoſis teneris, ex albo virentibus, conſtat.

Folia, ubi primo erumpunt, in cuſpidem convoluta ſunt, dein ſenſim explicantur & pediculis carinatis inſident, tandem, ubi plene formata ſunt, cauli inſident dodrantali, tereti, lævi, & quatuor plerumque, ſubinde quinque, ſubinde vero duo vel tria tantum, eidem cauli inſident, ex adverſa poſita & in utramque partem reclinata, latitudine quadrantali & trientali, longitudine dodrantali & pedali, in medio cava, lævia, egregie virentia, Colchici foliis ſimilia, marginibus undatis & ſinuoſis, horſum vorſum flexis, venis ſuperficialibus longitudinalibus & tenuioribus obliquis (ſi luci obſervantur) prædita.

Africa ipſi patria eſt, quanam vero in ipſius regione proveniat, ex ſequentibus conſtabit.

Hæc planta, non dubito, quin in *Horto Beaumontiano* deſignetur, nomine Hyacintho affinis Africanæ bulboſa radice, caule elegantiſſime maculato, foliis Colchici

F. 167.



Hæmanthus Colchici foliis, perianthio herbaceo.



chici latiſſimis, floribus coccineis hexapetalis umbellatis. Ubi quæritur an ſit Satyrion e Guinea *Swert. Floril. Part. I. Tab.* 62? Swertius in Catalogo vocat, Satyrion e Guinea delatum, non deſcriptum; plura non habet. Figura Swertii ſimilitudinem aliquam habet cum noſtra planta, in multis autem differt: nam caulis tanquam e mediis foliis, in quibus ſinus marginales deſunt, egrediatur, pingitur: perianthium eſt anguſtius: florum ſtamina juſto longiora ſunt: florum tubuli (vel an embryones potius?) nimis ventrioſi facti, pediculi autem eorum nodoſi & articulati pinguntur, ni per eos, ut videtur, florum pars exciſa deſignetur. Porro tuber rotundius eſt, in quo omiſſum tuber junius ipſi inſidens, ex quo caulis naſcitur. Igitur, figura ſit accurata, non poteſt eſſe noſtra planta; accuratam vero eſſe vix crediderim, & eandem cum noſtra plantam figurari ſuſpicor.

Enimvero figura illa Swertii, quam etiam de *Bry Flor. Tab.* 44. Satyrii e Guinea delati nomine, eamque paullo elegantiorem (& poſt hunc *Merian.* in *Flor. Ren. & Auct. T.* 44. addita ad initium Libri, ſuppreſſo Auctoris nomine, deſcriptione, itemque *Valent. Virid. Reform. Tab.* 198.) exhibuit, deſumpta eſt e *Jo. Robini Hort. Reg.* ubi *Tab.* 44. Satyrium e Guinea delatum, & ab initio Libri Satyrium exoticum inſcribitur, de quo ſequentia habet: „ Miræ, inquit, venuſtatis eſt „ hæc planta, a Jo. Robino juniore ex Guinea delata, radice craſſa & tuberoſa, „ unde terna aut quaterna producit folia ſeſe invicem amplectentia, Colchici aut „ Lilii convallium nec forma nec magnitudine diſparia, e quorum medio ſingula„ ris aſſurgit caulis, quamplurimis nigris maculis aſperſus, Serpentariæ majoris „ modo & forma: multos profert flores eleganti coccinea colore conſpicuos, lon„ gis pediculis hærentes, ſtellatos & veluti in orbem congeſtos, toto Majo floren„ tes. Copioſe creſcit in Inſulis Guineæ, vulgo *Bugigos* vocatis, prope montem „ Leonis, in opacis ad littus maris: in quam claſſem referri debeat hæreo; ſenten„ tiam ferant docti: Satyrii tamen nomen indidi, quod facie & forma Satyrio „ conveniat." At nobis a Satyrio multum diverſum videtur, ceteroquin cum deſcriptio melius, quam figura, ipſi plantæ reſpondeat, quin cum noſtra eadem deſignetur, minime dubium eſt.

Videtur etiam eſſe, Tulipæ affinis Capenſis rubra, caule maculato *Petiv. Gazoph. Tab.* 86. *fig.* 4. *Cat. num.* 496. Figura Petiveri habitum plantæ utcunque bene repræſentat, cetera rudior eſt, ad ſiccam procul dubio facta, ut reliquæ ipſius: nec radix, nec flos, nec caulis ortus recte exprimuntur: folia utcumque reſpondent.

De eo mihi conſtat, eſſe Dracunculoides *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 266. ubi deſcribitur; ſed fructus, ni forte imperfectus, monoſpermos non eſt. In *Tilli Hort. Piſ. p.* 79. vocatur Hæmanthus Zeylanicus polyphyllos, caule maculato *Commelini*, ni multum fallor. Error videtur in patria commiſſus.

Conſiderent Rei Herbariæ periti an huc referri queat, Narciſſus Africanus, ſive exoticus prior *Lob. Adv. Part. Alt. p.* 503. Lobelius, Swertii inſtar, bifoliam tantum exhibet plantam, cum foliis planis, caule e mediis foliis prorumpente: calycem nimis folioſum, ipſum vero florem nimis parvum, forte a floribus junioribus & nondum plene formatis, pingit. Verum Lobelius agnoſcit figuram non eſſe exactam & meliorem ſibi a poſſeſſore plantæ promiſſam. Quod vitium vel e vulgari Hæmantho bifolio rotundiore, poſteriore loco appicto & pro varietate prioris propoſito, animadverti poteſt, cujus caulis perperam media folia tranſadi-

 git,

git. Lobelius locis Promontorio Bonæ Spei vicinis bulbos erutos & in Belgium delatos refert. Multa mihi ſuſpicio eſt, a Lobelio eandem plantam indigitari.

HEDYSARUM HUMILE, CAPPARIS FOLIO MACULATO T. CXLI. F. 168.

ERAT animus ſequi Tournefortium & hanc atque tres ſequentes plantas Alhagi, cujus characterem habent, ſpecies facere, verum cum notas in pluribus Europæis æque, ac Indicis ſpeciebus, diligentius excuterem, differentiæ non tantum lubricæ, ſed & minus, pro novo genere ſtabiliendo, ſufficientes viſæ ſunt. Characterem breviter & nimis generaliter ſequentem in modum dedit *Tournefortius Coroll. p.* 54. „ Alhagi eſt plantæ genus flore papilionaceo, cujus piſtillum „ abit deinde infructum ſeu ſiliquam, ex multis partibus, quaſi articulatione con„ junctis, compoſitam, quarum ſingulæ ſemine turgeſcunt reniformi: quibus no„ tis addit folia alterno ordine naſcentia.

Characterem nimis generalem dixi, quoniam differentiæ non comparent, quibus ab Hedyſaro diſtinguatur hoc genus. Etenim ſi ſiliquas, quæ præcipua differentia videtur, ab altero latere magis, quam ab altero, protuberantes urgeas, patet & ipſum Tournefortium ejuſmodi ſiliquas in genere Hedyſari admiſiſſe, ut ex figura H. Tab. 225. quæ ſiliqua eſt Hedyſari Alpini ſiliqua lævi, flore purpurocæruleo & albido *Inſt. Rei Herb. p.* 401. conſtat, ne memorem, hanc ſiliquæ figuram a Tournefortio in genere Alhagi non requiri. Si ſiliquas undulatas in genere Hedyſari expreſſas velis, ea differentia perpaucis hujus generis ſpeciebus competit, nec, ſi pluribus competeret, pro characteriſtica ſufficiens videtur. Si florum & ſiliquarum naſcendi modum, a Tournefortio tamen non niſi in genere Hedyſari deſcriptum, in genere vero Alhagi omiſſum, contendas, nec is attendendus eſt, quoniam variat; Sicuti enim in Hedyſaris Europæis flores in capitula vel in ſpicas nunc denſiores, nunc laxiores digeſti ſunt, ita in Alhagi Maurorum *Rauw.* bini ternive pediculis brevibus, e foliorum alis naſcentibus, inhærent, in Indicis vero ſpeciebus pluribus, quarum aliquas ipſe Tournefortius Hedyſari fecit ſpecies, vel pediculis communibus duo, tres, quatuorve, e foliorum alis egreſſis, innaſcuntur, vel in ſpicas oblongas, rariores tamen & laxiores, quam Europæarum, ſummos caules & ramulos terminantes, diſpoſitæ ſunt. Si quis folia alterna, i. e. ſingularia velit, nec ipſe Tournefortius ea requiſivit, ſed ea reliquis notis, tanquam ex abundanti, adjecit in gene Alhagi, quin præter pinnates, Hedyſari ſpecies monophyllas, diphyllas & triphyllas fecit, idque recte, cum folia ad genera determinanda nihil opis afferant; ſpeciebus quidem diſponendis egregie inſerviunt, ſed minime generibus.

Quoad ſuperficiem, ſiliquæ vel aſperæ ſunt & in quibuſdam ſpeciebus echinatæ, vel læves: quoad ſtructuram, vel ſingulæ ſiliquarum articulationes rotundiores ſunt & utrinque æqualiter exſtant, ut Hedyſarum clypeatum, flore ſuaviter rubente *Eyſt. & Inſt. R. Herb. p.* 401. Hedyſarum annuum, ſiliqua aſpera undulata, intorta *Inſt. Ibid.* Hedyſarum Indicum, folio ſingulari ſubrotundo *Inſt. R. Herb.* Onobrychis Maderaſpatana Nummulariæ folio, Barbareæ ſiliquis Pet. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 247. *n.* 12. *Gazoph. Nat. Tab.* 26. *f.* 1.

Scorpioides

F. 168.



Hedysarum humile, Capparis folio maculato.



Scorpioides Maderaſp. Graminis Leuchanthemi foliis, ſiliquis nodoſis *Pluk. Amalth.* p. 189. *Tab.* 443. *f.* 5. cui eadem eſt Holoſtei majoris haud abſimilis Herba Maderaſpatana ſpicata, folio ſecundum caulem ſingulari *Ejuſd. Ibid. p.* 119. & Ornithopodium Maderaſpatanum Bupleuri folio *Pet. Gazoph. Nat. Tab.* 11. *f.* 12. *Cat. n.* 362. cujus figura accuratior eſt, quam Plukenetii, & ſiliquas melius demonſtrat: vel ſiliquas habent minus æquales, ab alterutro nempe latere magis protuberantes, cujuſmodi ſunt, Hedyſarum Alpinum ſiliqua lævi, flore purpuro-cæruleo & albido *Inſt. R. Herb. p.* 401. & reliquæ fere omnes ibi memoratæ ſpecies exoticæ, quibus annumerandæ ſunt plurimæ aliæ Indicæ, ſub nomine Hedyſari & Onobrychis a Rajo & Plukenetio recenſitæ, ſpecies, in quibus id diſcriminis rurſus obſervatur, quod ſiliquarum particulæ vel rotundius articulatæ & velut ſemilunares ſint, cujuſmodi ſunt pleræque Indiæ Orientalis ſpecies, vel ad baſim latiores, in extremitate vero anguſtiores & velut triangulæ ſint, interſtitiaque vel ſinus latiores admittant, cujuſmodi ſunt pleræque Americanæ, præſertim Septentrionales, ſpecies.

His de cauſſis immotum maneat Hedyſari receptum genus, Alhagi autem genus, tanquam non neceſſarium, deleatur, & Hedyſaro inferatur.

Species, cujus nomen ſupra datum, cauliculos ex eadem radice plures profert, palmares, dodrantales & pedales, partim erectos, partim reclinatos, in quibus folia ſimplicia alterno ordine naſcuntur plana, ſubrotunda, in obtuſum mucronem terminata, Capparis figura & pæne magnitudine, craſſiuſcula, glabra, viridia, maculis pallidioribus diſtincta, parvis appendicibus acutis gemellis & ad baſim pediculi, & ad folii cum pediculo conjunctionem armata.

Cauliculi teretes ſunt & graciles, ſubaſperi, pilis tenuibus appreſſis obſiti, in quorum ſuperiori parte flores naſcuntur gemelli, ſubinde terni, pediculis tenuiſſimis inſidentes, pallide violacei, vexillo majuſculo, alis & carina longe minoribus; alis ad baſim pallidis, in ſummitate pallide cæruleſcentibus, carina vero ubique alba. Calycis ſegmentum, vexillo appoſitum, illius naturam ſequitur, nam majuſculum & reliquis latius eſt, cetera vero valde tenuia ſunt. Flores hi in ſpicam raram diſpoſiti ſunt eo ordine, ut quodlibet florum par contrarium ſemper ſitum occupet; ſi enim inferius par tergum florum monſtrat, alterum huic ſuperpoſitum par anteriorem partem oſtentat. Siliquæ ſuſque deque ſpectant, ab initio virides, per maturitatem fuſcæ, ſubaſperæ, compreſſæ, parte anteriore extantes & ſemicircularibus portiunculis interciſæ, poſteriori ſeu in dorſo æquales & veluti reſectæ, quarum ſingulæ partes (fig. 1.) per maturitatem ſeorſum tranſverſim abſcedunt, ſemina (fig. 2.) continentes ſolitaria, reniformia, leniter compreſſa.

Planta eſt perennis, humilis, ſeſſilis, ſed non procumbens proprie, nec repens. Julio menſe floret, Auguſto ſemina maturat, nata e ſeminibus a J. Ph. Breynio miſſis, nomine Hedyſari Zeylanici, folio ſingulari, fere circinato, maculato; & huic procul dubio idem eſt, Hedyſarum monophyllum Zeylanicum pediculatum *Muſ. Zeyl. p.* 35.

Hedyſarum Indicum folio ſingulari acuminato *Inſt. R. Herb. p.* 401. huic ſimile eſt, ſed folia habet productiora, & ſiliquas partim e foliorum alis enaſcentes, partim in ſpicam digeſtas, ſecundum iconem *Plukenetii Phyt. Tab.* 50. *f.* 3. ubi & in *Alm. p.* 270. vocatur, Onobrychis Gangetica monophyllos, ſilucilis ſingularibus lævibus. falcatim per internodia diſcriminatis. Plukenetius internodia excavata falcata

cata vocat: Tournefortius in Inſt. p. 401. perperam pro internodia ſcribit intermedia. Hæc, quantum ex icone illa perſpicio, ubi vero ſpecimina ſiccata evolvo, plantam illam Plukenetii non differre video, ab Onobryche Indiæ Orient. Fagi foliis alternis, ſiliculis in ſpica longa diſpoſitis *Muſ. Pet. num.* 788. quæ folia inferiora ampla habet, Fagi foliis ſimilia, ſuperiora vero minora, cujuſmodi Plukenetius pingit, quibus ſubinde accidit, ut ſiliquæ ex eorum alis ſubnaſcantur, pleræque vero in ſpica diſpoſitæ ſunt, eæque glabræ prorſus. Unde conſtat, plantam illam a noſtra ſpecie longe diverſam eſſe.

Scorpioides monophyllos Maderaſpatana minor, Nummulariæ foliis rigidioribus, ſiliquis nodoſis: *Ferim-Ballary* Malabarorum *Pluk. Amalth. p.* 189. flores habet eodem, ac noſtra ſpecies, modo bigeminato ordine in ſpica gracili diſpoſitos, folia autem obtuſa ſunt, nunc maculata, nunc non maculata; modo minora & rotundiora, modo longiora & majora, teſtantibus exemplaribus ſiccis Phytophylacii Sherardini, ſub eodem Malabarico nomine miſſis. Cui idem eſt, Hedyſarum Indicum, folio ſingulari ſubrotundo *Tourn. Inſt. R. Herb. p.* 401. i. e. Scorpioides Biſnagarica, folio ſingulari rigido, ſiliculis articulatis erectis *Pluk. Alm. p.* 337. *Tab.* 59. *f.* 3. & forte non tam diſtincta ſpecies, quam varietas fuerit, Onobrychis Maderaſpatana Nummulariæ folio, Ornithopodii ſiliquis *Pet. Gaz. Nat. Tab.* 26. *f.* 4. *Hort. Sicc. n.* 13. *Raj. Hiſt. Plant Tom. III. App. p.* 247. Siliquæ ſaltem propius congeſtæ ſunt: folia in ſpecimine noſtro minora ſunt, a Petivero vero majora & illi ſimilia pinguntur. Sed præcipua differentia in ſiliquis eſt, quæ in ſpecie noſtra ex altero latere protuberant, in illa vero æqualiter articulatæ ſunt.

HEDYSARUM PROCUMBENS, TRIFOLII FRAGIFERI FOLIO T. CXLII. F. 169.

PLURIMOS ex eadem radice ſpargit tenues coliculos, a dodrantali ad pedalem & ſeſquipedalem longitudinem excreſcentes, humi, præter medios aliquot, qui erecti ſunt, provolutos, teretes, rubentes, piloſos, in quibus folia naſcuntur primo ſingularia, dein plerumque trifoliata, ſubrotunda, Trifolio fragifero ſimilia, & illius inſtar ſubinde obiter cordata, ſubinde non cardata, tenuibus pediculis piloſis hærentia, craſſiuſcula & denſa (minus tamen, quam præcedentis ſpeciei) ſuperne virentia & glabra, inferne ſubincana, tenui hirſutia obſita, interdiu plana & expanſa, ſub veſperam ſe contrahentia, venis aliquot obliquis exarata, ad quorum baſim tenuis utrinque ligula, & ad pediculorum ortum alia latiuſcula bracteata & piloſa utrinque apponitur.

Flores verſus extremam cauliculorum partem naſcuntur modo ſingulares, modo duo, tres & quatuor in eodem pediculo communi, privatis pertenuibus, pili craſſitiem vix ſuperantibus, pedicellis inſidentes, parvi Papilionacei, purpuraſcentes, reliquis hujus generis ſpeciebus ſimiles, tenuibus ſtaminibus, e vagina embryonem involvente orientibus & apices flavos exiguos gerentibus, prædiți, calyce exiguo, in quinque anguſtas lacinias piloſas diviſo, excepti, quos ſiliquæ ſequuntur compreſſæ, breves, ab initio virentes, per maturitatem fuſcæ, tenuibus rugis tranſverſis exaratæ, ſubrugoſæ, (læves tamen potius, quam aſperæ) ad margines exilibus pilis obſitæ, in quarum ſingulis articulationibus, per maturitatem, ceu in

aliis

F. 169.



Hedysarum procumbens, Trifolii fragiferi folio.

F. 170.



Hedysarum trifoliatum scandens, folio longiore splendente.

aliis transverſim abſcedentibus, ſemina ſingula latent, parva reniformia, lævia, ex cinereo vireſcentia & punctis nigricantibus diſtincta, quæ ſemina & articulationes in inferiori Tabulæ parte ſeorſum deſignata ſunt.

Annua eſt hæc ſpecies, quæ e ſeminibus Zeylanenſibus, a C. Commelino communicatis, nata fuit: Junio & Julio floruit, Auguſto & Septembri ſiliquas & ſemina perfecit.

In Phytophylacio Sherardino ſpecimen ejus eſt, *Mal-colla* nomine ex Zeylona a P. Hermanno allatum.

Synonyma non novi, niſi ſit, Hedyſarum trifoliatum repens, ſiliculis compreſſis glabris crenatis *Mus. Zeyl. p.* 38. quod veriſimile videtur.

Onobrychis Indica minor, foliis Acetoſellæ *Mus. Zeyl. p.* 2. huic ſpeciei valde ſimilis eſt, differt foliis minoribus & magis cordatis, floribus & ſiliquis non tam pediculo communi, quam privatis tantum, hærentibus; verum cum & noſtræ flores, ubi ſolitarii egrediuntur, pediculis tantum privatis hæreant, vero non diſſimile, eandem cum noſtra in Muſeo Zeylanico denotari plantam, cujus foliorum parvitatem loco natali adſcribo.

HEDYSARUM TRIFOLIATUM SCANDENS, FOLIO LONGIORE SPLENDENTE T. CXLIII. Fig. 170.

EX radice perenni ſarmenta profert prælonga, quatuor & amplius cubitos æquantia, gracilia, ad baſim non craſſiora, quam verſus ſummitatem, teretia, tenuiter piloſa, infetius ſubruſa, ſuperius virentia, a ſiniſtra dextrorſum, ſcandentia, geniculis prædita palmari & dodrantali ab invicem diſtantia locatis, ad quæ per tota ſarmenta folia pediculis oblongis gracilibus glabris innaſcuntur, latiuſcula, oblonga, obtuſa, venoſa, parte ſupina ſaturanter virentia & ſplendentia, prona pallidiora & glauceſcentia, tenui & vix, præterquam in juuioribus foliis, viſibili hac parte lanugine obſita.

Flores inter folia & ipſa ſarmenta prælongis gracililibus glabris pediculis innaſcuntur, bini ternive juxta ſe e tenui ligula utrinque orientes, & ſpicam valde tenuem & raram efficientes, e vexillo latiuſculo, ab initio concavo, dein plano & reflexo, macula ſubvirente ad baſim notato, alis modice longis carinæ appoſitis & carina compreſſa cuſpidata, conflati, colore præditi vividiſſime purpureo, dempta vexili parte poſtica, quæ ex purpureo in obſolete gilvum tranſit colorem. Qui flores ſuperius vario ſitu ſeorſum deſignati ſunt. Calyx in quatuor lacinias dividitur, ſuperiori vexillo appoſita ceteris nonnihil ampliore.

Serius nobiſcum, nempe Septembri menſe, poſt quintum demum a ſatione annum, floruit, nec ſiliquas adhuc perfecit.

Videtur proxime accedere ad Onobrychem Americanam floribus ſpicatis, foliis ternis caneſcentibus, ſiliculis aſperis *Pluk. Alm. p.* 270. *Tab.* 308. *f.* 5. ſeu Hedyſarum triphyllum fruticoſum ſupinum, flore purpureo *Sloan. Cat. p.* 73. *Hiſt Vol. I. p.* 185. *Tab.* 118. *f.* 2. i. e Hedyſarum triphyllum minus *Plum. Cat. & Delin.* cujus ſiliquæ Orientalium inſtar formatæ, ſeu rotundius articulatæ ſunt, ſecus ac in plerisque Americanis fieri ſolet; verum illius folia latiora ſunt & inferius, in caulibus nempe, ampliora, magis vero mucronata & ſubtus magis incana: præte-

rea illud fruticoſum dicitur, noſtrum vero non fruteſcit, ſed ſcandit & ſarmenta gracilia habet, quibus non tantum ab illo, ſed & reliquis omnibus adhuc notis ſpeciebus, differt. Siliquæ ut ſe habeant, cum, ut dictum, eas nondum produxerit, dicere non habeo.

HEDYSARUM TRIFOLIATUM, SILIQUA BREVIORE T. CXLIV. F. 171.

PLURIMOS ex eadem radice perenni profert cauliculos virentes, calami tenuioris craſſitie, ad cubiti & ſeſquicubiti usque longitudinem excreſcentes, teretes, glabros, rigidos, erectos, ramoſos, fruticuli ſpecie, foliis ab imo ad ſummum usque alterna ſerie donatos oblongis, trifoliatis, Trifolio bituminoſo ſimilibus, ſed nonnihil obtuſioribus, viridibus, adverſa parte pallidioribus & molli hirſutia obductis, præſertim in ſuperioribus & modo naſcentibus foliis, quæ magis villoſa & ſericea lanugine cana fiunt. Ceterum folium medium lateralibus majus eſt & latius, ad figuram rhomboidem inclinans. Foliorum pediculi tenues & breves ſunt, ad quorum baſim, ſicuti & ad medium folium, virgarum item & pediculorum florum ortum, binæ ligulæ tenus, ceu & in reliquis hujus generis ſpeciebus fit, adnaſcuntur.

Caules in plures aliquot ramulos abeunt, & in virgas deſinunt e tereti quadratas, ſubaſperas, in quibus & earum ſurculis flores longa ſatis ſerie in tenuibus privatis pediculis gemello ordine naſcuntur parvi purpurei, per vetuſtatem cæruleſcentes, e vexillo latiuſculo primum concavo, dein patulo, ad baſim macula vireſcente diſtincto, alis carinæ applicatis, coloris purpurei, & carina compreſſa, verſus baſim albicante, conflati. Calyces in quatuor breves lacinias diviſi ſunt. Siliquæ, floribus dilapſis, naſcuntur breves compreſſæ, non aſperæ, ſed leviter ſaltem hirſutæ, venis aliquot obliquis præditæ.

Octobris initio primum floruit anno 1729. planta quadriennis, nata ex ſeminibus e Virginia & dein e Carolina miſſis, caulibus antehac paucioribus, nunc pluribus ex eadem radice quotannis renaſcentibus &, floribus præteritis, denaſcentibus. Provenit etiam in Marilandia, prout Synonyma modo enumeranda docent. Eſt nempe

Hedyſarum triphyllum Marianum, Trifolii bituminoſi facie *Pet. Mus. num.* 419. & Hedyſarum triphyllum Marilandicum minus, ſiliquis compreſſis articulatis aſperis brevioribus *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 455. *num.* 3. ubi ex ſicca, ut videtur, deſcribitur. Caules autem, ut ibi dicitur, ſupinam partem non habent, cum erecti ſint, nec flores ſingulares proveniunt, ſed gemelli, aliorum hujus generis inſtar. Ceterum Rajus hujus ſynonymam facit, Onobrychem phaſeolodem, floribus purpureis, ſiliqua aſpera, bidentata & tridenta, majore *Pluk. Mant. p.* 140 cui pag. 456. num. 11. eandem ſuſpicatur, Onobrychem Marianam parvo ſubrotundo folio, trifoliatam procumbentem, ſummo caule & ramulis floribundam *Pluk. Mant. p.* 140. in quo ab ejus ſententia recedo; habemus enim aliam, nomini Plukenetii aptius reſpondentem, ſpeciem minorem, rotundioribus foliis præditam. Nec ſane, ut dicam quod res eſt, credere poſſum, noſtram ſpeciem a Plukenetio Phaſeolodem dici potuiſſe, cum nihil cum Phaſeolis habeat commune.

Hedy-

F. 171.



Hedysarum trifoliatum, siliqua breviore.



Hedyſarum triphyllum Canadenſe *Corn. p.* 44. quod noſtræ ſpeciei proxime accedit, caules habet craſſiores & altiores, magis piloſos, folia longiora & minus obtuſa, ſiliquas longiores & frequentius articulatas, eſtque diverſa a noſtra ſpecies, licet ipſi valde ſimilis ſit.

HELIANTHEMUM MONTANUM POLII FOLIO INCANA, FLORE CANDIDO T. CXLV. F. 172.

IN æſtuario Sabrinæ, ad oram maritimam Provinciæ Somerſetienſis, Peninſula eſt ab oppido *Brent*, mariſci inſtar, ad vicum *Uphill* uſque protenſa, ad quod oppidulum peninſula in collem aſſurgit elatum, cui *Brent-Down* nomen eſt. Eo me anno 1726. Julio menſe data opera contuli, cognoſcendi Chamæciſti montani Polii folio Plukeneti *Raj. Syn. Stirp. Brit. Edit. I. p.* 142. *n.* 3. *Ed. II. p.* 203. *n.* 3. *Ed. III. p.* 342. *n.* 4. gratia, quem ibi naſci Rajo retulerat Plukenetius, plantæ a Plukenetii tempore nemini, quantum novi, in Anglia viſæ. Quam plantam cum Plukenetius non deſcripſerit, nec figuram, niſi partem ramuli absque flore & absque vaſculo, ipſi non vaſis, exhibuerit, eam & deſcribere & figura, quam potui accurate, illuſtrare volui.

Planta eſt perennis, lignoſa, humi appreſſa, ramulos pet terram ſpargens ſat crebros, verſus extremitatem incanos, baſim verſus ſubfuſcos & crebro geniculatos undosque, longitudine in plerisque palmari, interioribus autem & junioribus ramulis multo brevioribus, quibus folia adnaſcuntur Polio majori *Cord.* plane ſimilia, ſed magis incana, crebra, in eodem plano jacentia, e quorum alis alia longe minora prodeunt, ſummitatibus autem flores aliquot inſident, vulgaris Helianthemi figura & magnitudine, ſed plane candidi, e quinque petalis leviter crenatis, ſubinde cordatis, conflati, calyce, ut in aliis Helianthemis, trifolio, interpoſitis duabus ligulis parvis, excepti. Floribus evanidis capirula ſuccedunt grandiuſcula, ſubrotunda, obtuſe trigona, trivalvia, tribus intus membranis, quæ in medio non connectuntur, ſed cum valvis abſcedunt, diſtincta, ſui generis more, ut veluti tricapſularia efficiant vaſcula, qualia Hermanus tribuit huic generi, vel, ſtricte loquendo cum Tournefortio, unicapſularia tantum. Capitula, antequam aperiantur flores, nutant, ad florum expanſionem eriguntur, his vero dilapſis pendula rurſus fiunt, & per maturitatem trifariam dehiſcunt, ſeminaque effundunt plurima triquetra, fuſco-nigra. Ceterum florum petala caduca ſunt, tenera, avenia, plicis quibuſdam levidenſibus transverſis exarata. Stamina & apicis plura, lutea, ſtylus ſimplex, in ſummitate craſſior & capitulo quodam, ceu in aliis, terminatus.

Folia craſſiuscula ſunt, ſubrigida, parte ſupina ſulcata, prona nervo diſtincta, marginibus introverſis, ita ut ſuperne protuberent, inferne ſecundum nervum excavata ſint, lanugine breviſſima incana ubique obducta. In loco natali ea plerumque ſunt magnitudine, qua depicta in figura media & primaria ſunt, ſubinde tamen, ſi gleba pinguior obtingat, majora fiunt, cujusmodi & in hortis efficiuntur, ubi & canitiem deponunt fereque viridia fiunt folia. Radix ipſi ſat longa lignoſa, fuſco-nigra, fibris lignoſis terminata.

Sole in Cancro exiſtente floret, ad Leonem & Virginem tranſeunte ſemina maturat. Naſcitur, ut ſupra demonſtratum eſt, in Peninſula Somerſetienſi, *Brent Down*

Down vocata, qua in collem aliquot milliarium in mare protenſum aſſurgit, e regione oppiduli *Uphill*, ubi fretum trajiciendum eſt, in media collis parte inter ſaxa, loco declivi, marinæ auræ expoſito, qua in occaſum hybernum ſpectat, nec aliis Angliæ locis, quantum adhuc conſtat, proveṇit. Semina ibi collecta in Hortum Elthamenſem tranſmiſi, in quo hodienum læte viget; figura autem primaria noſtra ad plantam ſponte naſcentem facta eſt: folium num. 1. & ramulus qui ad latus num. 2. ponitur, ad plantam in Horto Elthamenſi cultam deſignatus eſt, ut differentia ſylveſtris & domeſticæ appareat, quæ ſane levis non eſt, nam folia non tantum majora fiunt, ſed & viridiora & hirſutiora: inferius num. 3. vaſculi valvæ deſignantur.

Dicitur Ciſtus humilis Alpinus durior, Polii noſtratis folio candicante *Pluk. Alm. p.* 107. *Phyt. Tab.* 23. *f.* 6. Melius autem ob fructum ad Helianthemum refertur. Ceterum quærit Plukenetius, an ſit, Chamæciſtus foliis Myrti Tarentinæ canis vel cinereis *J. B. Hiſt. Plant. Tom. II. L.* 13. *p.* 18. Deſcriptio & figura apud J. Bauhinum eſt Chamæciſti tertii *Clus. Hiſt. Plant. p.* 74. cui folia ſunt majora, ſuperne cinerea lanugine ſeu pilis oblongis obſita, flores autem lutei; quæ planta eſt a noſtra longe diverſa.

Mentzelius Helianthemo ſuo ſaxatili, foliis & caulibus incanis oblongis, floribus albis Apennini montis florum petala integra & rotundata appingit, quod vitium eſſe pictoris credo, cum plerorumque Helianthemorum petala tenuiter crenata ſint. Vitium etiam eſt, quod omiſſa ſint folia juniora ex alis majorum enaſcentia. Hæc planta non eſt eadem cum noſtra, & habemus non tantum ſiccam in Italia lectam a P. A. Micheli tranſmiſſam, caulibus & foliis longioribus, ſurrectis, quorum genicula longius diſtant, quam in noſtra, ſed & in Horto Elthamenſi vigentem, a noſtra diverſam, quæ planta eadem videtur Helianthemo albo Germanico *Tab. Icon.* 1062. cujus florem ſeorſum figura quarta diſtinctionis gratia appinximus. Differt autem, ut modo dictum, a noſtra ſpecie foliis longioribus & auguſtioribus, caulibus altioribus erectis, floribus minoribus, petalis minus latis, in ambitu profundius crenatis. *J. Bauhinus* Tabernæmontani plantam ſynonymam facit Helianthemo ſuo foliis majoribus, flore albo *Hiſt. Plant. Tom. II. L.* 13. *p.* 16. a quo diverſum ſentio; tribuit enim ſuo folia duabus unciis longiora & ſatis lata. Pro quo deſignando adhibet figuram Helianthemi albis floribus *Lobel. Icon.* 117. Ea figura non male reſpondere videtur noſtro Helianthemo, eadem tamen non eſt; procumbit ea quidem noſtræ inſtar, verum caules habet tenuiores & minus lignoſos, & non æque perennis videtur planta; cui eandem cenſeo, Ciſtum minorem Roſmarini folio *Munting. Phyt. Tab.* 43. qui in Horto Elthamenſi etiam naſcitur, caulibus tenuioribus minus lignoſis, foliis longioribus & anguſtioribus, ſubtus quidem incanis, ſupra vero ex canitie ſaturatius & obſcurius viridibus, Roſmarini facie, floribus vero majoribus, prout figura quinta videre eſt. Ceterum J. Bauhini plantam eandem cum Mentzeliana exiſtimat *Vaillant Bot. Par. p.* 96. ſed perperam.

HELIAN-



Helianth. vulgare, petalis florum perangustis Syn.

HELIANTHEMUM SERPILLI FOLIO INCANO, FLORE MINORE LUTEO, INODORO T. CXLV. F. 173.

ALIUD præcedenti notum quidem, ſed quodnam ſit non æque cognitum, jungimus Helianthemum, a Jac. Newtono in Anglia primum obſervatum, & ab ipſo vocatum, Chamæciſtus montanus, folio latiore incano, ut docet *Rajus Synopſis Editione I. p.* 142. *n.* 2. *Edit. II. p.* 203. *n.* 2. *Ed. III. p.* 342. *n.* 3. At vero extra ſcopum jaculatur Rajus, dum Helianthemum Alpinum folio Piloſellæ minoris Fuchſii *J. B.* hujus ſynonymon facit. Planta J. Bauhini, in monte Saleva a Guil. Sherardo collecta, folia habet latiora æque ac longiora, magis hirſuta, totaque planta robuſtior eſt, alias noſtræ valde ſimilis. Ceterum latiore folio minus apte, licet Rajus contrarium dicat, vocat Newtonus: Habemus plantam a D. Richardſon collectam in loco a Newtono memorato, quæ folia habet potius obtuſe mucronata, Serpyllo vulgari hirſuto plane æqualia, ſed craſſiora & magis hirſuta, magiſque incana, quam foliorum figuram etiam in Horto Elthamenſi, ubi figuram fecimus, conſtanter ſervavit.

Cauliculos hoc Helianthemum ex eadem radice ſpargit plurimos, humi procumbentes, graciles, lignoſos, in quibus folia conjugata, abſque junioribus e horum alis naſcentibus, ponuntur, Serpilli foliorum figura, ſuperne obſcure viridia, ſubtus autem pallidiora, incana hirſutia utrinque obſita. In ſummis ramulis tres quatuorve, ſubinde plures, naſcuntur flores parvi lutei, quorum petala per extremitates minutis crenis inciſa, quandoque vero integra ſunt. Calyces, ut in aliis, ſe habent. Floribus evanidis vaſcula ſubnaſcuntur parva ſubrotunda, per maturitatem, aliorum inſtar, in tres carinas dehiſcentia.

Figura hujus apud *Plukenetium Phyt. Tab.* 23. *fig.* 5. minime ſatisfacit, nam folia facit nimis obtuſa & fere rotunda, pediculis juſto longioribus inſidentia, & flores nimis parvos. Procul dubio ea ad ſpecimen exſiccatum facta, ubi flores contrahuntur. Vocatur ipſi Ciſtus helianthemus argenteus, folio latiore, flore luteo *Ibid.* & *Alm. p.* 107.

Chamæciſtus ſecundus *Cluſ. Hiſt. p.* 73. qui Helianthemum Serpylli folio, flore majore aureo odorato vocatur *Tournefortio Inſt. R. Herb. p.* 249. quoad figuram Cluſii & ſpecimina ſicca, ipſam enim plantam virentem nondum vidi, noſtro in tantum ſimilis eſt, ut diſtinguere nequeam. Cluſius flores parvos pingit, qualia & ſpecimina monſtrare videntur, in deſcriptione vero eos Helianthemo vulgari magnitudine pare dicit & odoratos facit, coloris plane aurei. Noſtri vero flores inodori ſunt, ejuſdem cum vulgari Helianthemo coloris, magnitudine ad illud minime accedentes.

Maji fine & Junii initio floret. Loca natalia vide in Synopſi Rajana.

HELIANTHEMUM VULGARE, PETALIS FLORUM PERANGUSTIS SYN. RAJ. EDIT. III. P. CCCXLI. N. II. *T. CXLV. F.* 174.

ACCEDAT tertium novum, originis etiam Anglicanæ &, quantum adhuc notum, ſoli Angliæ proprium. Hoc vulgari Helianthemo luteo in omnibus partibus, flore excepto, prorſus ſimile eſt, quare vulgare dictum eſt, non quod

vulgo obvium ſit, ſed ob ſimilitudinem. In floribus autem notabile obſervatur diſcrimen, ii enim e petalis oblongis anguſtis ſtellatim expanſis compoſiti ſunt. Per multos annos hanc differentiam in plurimorum hortis obſervavit, ut diſtinctam ſpeciem eſſe dubitare non liceat. Capitula ſtriis rubris picta ſunt, pendula ab initio, dein, ubi aperiuntur & flores explicantur, ſurriguntur, aliorum Helianthemorum inſtar, quorum more flores etiam caduci ſunt & non facile ultra diei ſpatium permanent. Vaſcula porro, quam vulgaris ſpeciei, minora ſunt. Eodem cum vulgari tempore floret. Edward Du-Bois, Caroli, qui nobiſcum communicavit, nepos, primus invenit hanc ſpeciem prope *Croydon* in Comitatu Surrejano.

HELIOTROPIUM BARBADENSE, PARIETARIÆ FOLIO, FLORE ALBO MINIMO T. CXLVI. F. 175.

PEDALI & ſeſquipedali in flictili, cum floreret, erat altitudine, dein longius excrevit, caulibus rectis teretibus virentibus, ab imo ad ſummum plures ramulos emittentibus, qui in inferiori caulis parte ex adverſo naſcebantur & folia conjugatim appoſita habebant, in media vero caulis parte ramuli alternatim oriebantur & folia ſolitaria, eaque majora, habebant, juxta quæ, paullo nempe infra folia ex contraria parte, ſpicæ aliquot egrediebantur, dein verſus ramorum ſummitates folia denuo conjugata naſcebantur, e quorum alis ramuli conjugati & in horum medio ſpicæ rurſus prodibant graciles, verſus extremitatem reflexæ, in quibus flores & ſemina denſa ſerie gemello ordine, ita tamen ut directe contrarium ſitum non obſervarent, diſponebantur.

Flores vero parvi candidi ſunt, Valerianellæ arvenſis magnitudine & figura, nempe monopetali ſunt, tubo brevi donati, in quinque ſubrotunda æqualia ſegmenta diviſi, intercreniis vel nullis, vel tam parvis, ut conſpici nequeant, apicibus & ſtaminibus in fundo eorum tenuibus & vix conſpicuis latentibus. Floribus, qui ſupra fructum marceſcunt & fuſci fiunt, evanidis fructus ſubnaſcuntur ſubrotundi, virides & ſtriati ab initio, per maturitatem longiores & in quatuor ſemina oblonga, ſubcinerea hirſuta abeuntes.

Folio tenuia, læte virentia & nonnihil ſplendentia, per margines undata, venis obliquis profundis prædita, e quibus aliæ minores tranſverſæ promanant & folia rugoſa efficiunt. Tota planta hirſuta & piloſa eſt, pilis in ſuperficie foliorum e tuberculis parvis & in minoribus ſeu junioribus foliis e punctis egredientibus, quæ tamen in natu minimis foliis tam parva ſunt, ut videri nequeant.

Septembri menſe floruit, ortum e terra, qua plantæ Barbadenſes eodem anno advectæ erant, miſſæ ad Dn. Newport, Mercatorem Lond. quas pro Horto Elthamenſi ornando communicavit.

Planta eſt ab Heliotropio Americano cæruleo, foliis Hormini anguſtioribus *Herm. Hort. Lugd. Bat.* & ab aliis Heliotropiis plane diverſa, nec cum ulla ejus ſpecie conciliari poteſt, præter Heliotropium Americanum, Hormini foliis anguſtis, annuum, minus Hermanni *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 271. *num.* 14. quod docente planta ſicca Phytophylacii Sherardini ſaltem hirſutius & magis incanum eſt, quæ differentia loco natali forſan debetur.

An ſit Heliotropii genus Marianum, Mercurialis folio anguſtiori *Pluk. Mant. p.* 100. quoniam figura deeſt, certo dici nequit.

HERMAN-

F.175.



Heliotropium Barbad; Parietariæ folio, flore albo minimo.

F. 176.



Hermannia fruteſcens folio Lavandulæ latiore & obtuſo, flore parvo aureo Boerh.

HERMANNIA FRUTESCENS, FOLIO LAVANDULÆ LATIORE ET OBTUSO, FLORE PARVO AUREO BOERH. IND. ALT. P. CCLXXXIII. N. VII. *T. CXLVII.* F. 176.

PEDALES & bipedales eleganti huic Hermanniæ ſpeciei ſunt caules ramoſi, teretes, lignoſi, cortice fuſco ſubhirſuto veſtiti, non multum craſſi &, ni ſuſtententur, in ſe procumbentes, ramis tenuibus, ſimiliter lignoſis & ſimili cortice, niſi in extremis ramulis, ubi vireſcent, veſtiti, in quibus alterna ſerie folia naſcuntur oblonga, concava, craſſiuſcula, mollia, ex cinereo glauceſcentia, in extremitate, præſertim inferiora, non raro obiter inciſa & veluti cordata, cetera parte integra, venis obliquis pertenuibus & vix conſpicuis prædita; ſaporis ſicci adſtringentis.

Flores e contraria foliorum parte e tenuibus pediculis pendent parvi aurei, modo ſinguli, modo bini ternive in eodem pediculo communi, e quinque petalis, in extremitate latiuſculis & obtuſis, verſus baſim anguſtioribus & concavis (quæ petala, ſi e calyce extrahuntur, auriculata apparent) conflati, calyce monophyllo tumido, in quinque ſegmenta profunde diviſo, exceptis, in quorum ſinu ſtamina latent & apices, in pentagonum membranaceum tubulum congeſta. Stamina nempe latiuſcula plana ſunt & membranacea, invicem conjuncta, quibus inhærent apices parvi cuſpidati, fuſci. Atque ob hanc floris figuram cochleatam, ſtaminum & apicum diverſam a reliquis Malvaceis ſtructuram, & quod vere pentapetali flores ſint, novum & diſtinctum ab aliis genus non immerito fecit Tournefortius.

Pleraque æſtatis parte floret, vaſcula autem raro nobiſcum perficit.

Seorſum figuris marginalibus 1. 1. 1. flores aliquot ſurſum verſi, 2. 2. 2. 2. 2. petala externa facie, 3. 3. 3. 3. 3. interna, 4. ſtamina & apices conjuncta, 5. 5. ſtamina & apices ſejuncta, 6. embryo & ſtylus appicta ſunt.

HESPERIS FLORE ALBO MINIMO, SILIQUA LONGA, FOLIO PROFUNDE DENTATO BOERH. IND. PR. P. CXLVII. N. XI. ALT. PART. II. P. XX. N. XIII. *T. CXLVIII. F.* 177.

PEDALIS & ſeſquipedalis planta ex radice fibroſa caules modo ſolitarios, modo plures profert, teretes, ſtriatos, glabros, virentes, quibus alterna ſerie folia adnaſcuntur Scolopendrii inſtar diviſa, lobis tamen non integris, ſed denuo obiter inciſis, glabra, craſſiuſcula, virentia, nervo rubente diſtincta, e quorum alis ſurculi enaſcuntur ſimilibus foliis, ſed tenuius inciſis, prædita, quorum cymis flores innaſcuntur puſilli candidi, Cardamines impatientis ſimiles, calyce exiguo tetraphyllo incluſi. Floribus evanidis ſurculi & medius caulis longius excreſcunt, quibus ſiliquæ innaſcuntur longæ, glabræ, compreſſæ, ab initio in latera diſtenta, dein ſurrectæ magis & nonnihil incurvatæ, ſeminibus fœtæ ſubrotundis.

Caules ſurrecti ſunt, ſubinde in latera verſi, ſpatia tamen, quæ folia & ſiliquas intercedunt, non recta protunduntur, ſed de latere in latus aliquantum declinant.

Sole

Sole Leonem tenente nobiſcum floruit & ſemina perfecit, quibus peractis periit.

In margine figura prima flores, ſecunda ſemina ſeorſum appicta ſunt.

Seb. Vaillant olim miſit pro Draba ſiliquoſa, Burſæ paſtoris lacinato folio, nitide virente *Hort. Cath. p.* 67. H. Boerhaave vero quærit, an ſit Draba paluſtris ſiliquoſa major Alpina, Burſæ paſtoris folio *Hort. Cath. p.* 67. Utcunque ſit, Siculam eſſe plantam inde colligitur.

HESPERIS SILIQUIS HIRSUTIS, FLORE PARVO RUBELLO BOERH. IND. PR. P. CXLII. N. XVII. *T. CLVIII. F.* 178.

PALMARIS & dodrantalis eſt planta, in plures ab imo ramulos ſubincurvos diviſa, foliis veſtitos alternis, ſubinde adverſis, craſſiuſculis virentibus, ſecundum longitudinem ſulcatis & nervo averſa parte donatis, nullis vero conſpicuis venis præditis, figura & magnitudine Valerianellæ arvenſis, marginibus plerumque integris, ſubinde obiter ſinuatis, quæ ſi ſtringas, præſertim in marginibus, ſubaſpera ſentiuntur, caulis vero ramulique magis aſperi, & ſiliquæ his aſperiores obſervantur, aſperitate tamen tactu magis, quam viſu, perceptibili.

Flores parvi ſunt, e purpuraſcente rubelli, figura & ſpecie Epilobii glabri minoris, e quibus ſtamina & apices vix prominent. Siliquæ teretes ſunt, duas uncias longæ, in quibus utrinque ſemina latent crebra, ſubtumida, longiora quam latiora, non marginata, per maturitatem luteſcentia. Radice nititur tenui fibroſa, in latera ſparſa, annua enim planta eſt. Floret æſtivis menſibus.

Ab Heſperide maritima ſupina exigua *Inſt. R. Herb. p.* 223. differt caulibus minus procumbentibus, foliis magis ſpiſſis & obtuſis, minus ſinuatis, floribus minoribus, minus ſtriatis, petalis ex adverſo poſitis & magis expanſis. Illius enim petala reflectuntur & bina binaque ſibi appropinquant, magiſque venoſa ſunt, colore ſaturatius purpureo tincta, ſtamina & apices craſſiores & magis prominulos habent, cujus florem ſeorſum differentiæ cauſſa, figura tertia, quarta vero & quinta ſemina noſtræ ſpeciei appinximus.

Huc referenda eſt, Heſperis Chia ſaxatilis, Leucoji folio ſerrato, flore parvo *Tourn. Coroll. p.* 16. & ſic de patria noſtræ plantæ una conſtat.

HIERACIUM GLAUCUM PILOSUM, FOLIIS PARUM DENTATIS T. CXLIX. F. 179.

PEDALI & bipedali naſcitur altitudine, caule tereti glauco, tenuiter ſtriato, in ramulos aliquot, in latera diſtentos, abeunte, quibus flores innaſcuntur pallidiore flavo colore tincti, calyce in plures anguſtas lacinias, longiores & breviores, diviſo incluſi. Semina (ſeorſum inter flores deſignata) ſubnaſcuntur teretia, ſtriata, per maturitatem ex rufo nigricantia, pappo obſolete albicante terminata.

Folia ad ramos naſcuntur oblonga & anguſta, integra plane, ad caulium vero baſim plura in orbem ſtrata ſunt folia latiora, pediculis oblongis carinatis hærentia, per margines hinc inde obiter dentata, ſubinde plane integra, verſus extremitatem

F. 179.



Hieracium glaucum pilosum, foliis parum dentatis.

F. 180.



Hieracium montanum tomentosum Hort. R. Bles.

tem mucronata, glauca, nervo medio albicante, & venis aliquot ſuperficialibus inſcripta. Tota planta hirſuta eſt, crebris nempe pilis oblongis caneſcentibus, præſertim inferior foliorum pars, quæ ideo ſuperiore ex glauco magis albicat & illa hirſutior eſt, obſita. Calyces ſeu capitula e viridi nigricant & brevibus pilis obſita ſunt; pediculi etiam, ſeu rami ſupremi, minus piloſi obſervantur. Radice nititur perenni, craſſiuſcula, brevi, in plures fibras obſolete rubeſcentes diviſa. Majo & Junio floret & ſubinde ſub auctumnum refloreſcit.

In hortis tranſlata planta faciem, glaucedinem nempe foliorum & florum pallorem ſervat, diverſaque eſt ſpecies, tum ab Hieracio murorum laciniato, minus piloſo *C. B.* tum ab Hieracio murorum folio piloſiſſimo *Ejuſd.* cujus ſynonymum cenſuit Vaillant Comm. Acad. Reg. Scient. A. 1721. p. 185. Hæc vero eſt, quæ prope *Malham* Cravoniæ vicum inventa fuit a Dr. Richardſon, ut annotatum eſt in Synopſis Scrip. Brit. Edit. Tert. p. 169. quæque eadem cum Hieracio macrocaulo hirſuto, folio rotundiore *Lawſon* & *Newton* habetur, quod an ita ſe habeat, ulteriore obſervatione dignum eſt. Nobis cum nec figura, nec deſcriptio illius extet, locaque natalia adire nondum licuerit, certi quid ſtatuere impræſentiarum non licet. Rajus an illud ſit Hieracium fruticoſum hirſutum, folio ſubrotundo *C. B.* quærit in Synops. St. Brit. Edit. Secund. p. 74. cum. in Hiſt. Plant. Tom. II. App. p. 1857. pro Bauhiniano illud antea habuerit, & ſane deſcriptio C. Bauhini in Prodr. p. 67. contraria non videtur, niſi quod noſtrum fruticoſum, immo nec macrocaulon proprie dici non mereatur.

HIERACIUM MONTANUM TOMENTOSUM
HORT. REG. BLES. *T. CL. F.* 180.

EX ſemine a Bernhardo de Juſſieu ſub hoc nomine miſſo enata eſt planta pede altior, in ramos aliquot brachiata, e quibus rami minores & in his capitula tria quatuorve naſcuntur, quæ dein in flores explicantur majuſculos, eleganti luteo pallidiore colore inſignes, e multiplici ſemifloſculorum, quinque in extremitate crenis inciſorum, exterius latiorum & longiorum, interius breviorum & anguſtiorum, ſerie conſtructos, quibus ſubjiciuntur ſemina (figura prima) oblonga teretia, ab initio albicantia, per maturitatem nigricantia, pappo tenui candido terminata.

Florum pediculis folia anguſta, ramulis mediis latiuſcula brevia, in mucronem ſubito terminata, ramorum vero alis latiora & longiora, lente mucronata apponuntur, ima vero folia (figura ſecunda) ceteris latiora & obtuſiora ſunt. Quæ folia, immo tota planta, caules nempe, rami & calyces tomento copioſo criſpo adeo denſe obſita ſunt, ut calycum ſegmenta & foliorum venas conſpectui eripiant, & hinc etiam fit, ut tota planta valde incana fiat. Ceterum folia craſſa ſunt & mollia, per margines obiter hinc inde & ſine ordine ſinuata, non raro non ſinuata. Calyx in lacinias anguſtas dividitur. Julio floret. Biennis eſt planta.

In Horto Reg. Bles. quæritur, an ſit Hieracium quintum villoſum a *Cluſio Hiſt. p. CXLII.* depictum, ſub Hieracio Alpino hirſuto folio *p. CXLI.* deſcriptum, & videtur *Moriſonus* in *Horto Regio Bleſenſi aucto*, quod deſcriptionem inter novas plantas omiſerit, pro eodem cum illo habuiſſe, quem ſequitur *Vaillant in Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1721. *p.* 184. *num.* 20. At *Tournefortio*, qui in *Inſt. Rei Herb. p.* 471. & 472. utrumque ſeorſum recenſuit, diſtinctionis laus debetur.

Differt autem Cluſii quintum ab hoc, quod planta ſit nonnihil humilior & minus ramoſa, flores ferens in ſingulis pediculis ſingulos, (noſtrum in pediculo communi plures gerit) foliis ad radicem minoribus & anguſtioribus, quæ in caule ſunt non æque latis, potius autem longioribus (pro latitudine ſaltem) quæ vero florum pediculis apponuntur brevioribus & latioribus. Porro folia minime tam craſſa, mollia & tomentoſa, nec noſtri inſtar candide incana, (Cluſius ſaltem quodammodo incana recte dixit) ſed potius ſubglauca, piloſa, pilis nempe rarioribus, longioribus vero & hiſpidioribus obſita, Piloſellarum inſtar, de quarum familia eſt Cluſianum hoc Hieracium. Caulus, florum pediculi & calyces ſimiliter, ac Piloſellæ, pilis longis in Cluſiano hoc obſiti ſunt, longioribus nempe, rigidioribus, rectioribus & minus criſpis, quam noſtri.

HYPERICUM FOETIDUM FRUTESCENS, MAJUS ET MINUS T. CLI. F. 181. 182

HYPERICUM fœtidum fruteſcens *Inſt. R. Herb. p.* 255. ſeu vulgare, quod ad hujus differentiam minus nominari debet, in Creta ſponte naſci ex Bello & aliis conſtat; unde vero hoc allatum ſit, incompertum eſt, nobiſcum autem, illius inſtar, in ſolo libero durat & frutex ejus eſt tricubitalis, altiorque, cum & illud ad trium, immo quinque nonnunquam cubitorum altitudinem in Creta aſſurgere Bellus teſtetur, olim futurus, quoniam non tantum caulis & rami, ſed & folia floreſque grandiora ſunt, folia nempe altero tanto, quam illius, majora ſunt; flores autem, licet petala lougiora non ſint, illius tamen petale latitudine multum ſuperant, & capitula etiam, antequam dehiſcunt flores, craſſiora ſunt & rotundiora, quam illius. Rami porro ſuperiores evidentius, quam illius, quadrangulares ſunt, reliqua parte, ut & ſtipites teretes obſervantur, lignoſi & cortice fuſco veſtiti. Et hæ ſunt præcipuæ differentiæ, quæ inter utrumque intercedunt, haſque differentias in eodem loco naſcentes plantæ ſemper ſervant. Folia utriuſque lævia, imperforata ſunt: ſtamina longa & ſtylus in tria longa fila in utroque dividitur. Utraque ſpecies eodem pæne tempore, noſtra nempe ſimul ac illa florem exuit; Auguſto menſe floret.

Diſtinctionis ergo illius ramulum, cum bona ejus figura, præterquam in *Iconibus Acad. Reg. Scient.* quæ in paucorum ſunt manibus, non proſtet, appinximus, cujus deſcriptionem, cum a J. Bauhino Hiſt. Plant Tom. III. P. 2. L. 29. p. 385. & Bello Epiſt. III. ad Cluſ. p. CCCV. ſatis accurate tradita ſit, omittimus, nec hujus prolixiorum damus, quoniam reliqua cum illa ſpecie communia habet.

HYPERICUM MONTIS OLYMPI WHEEL. ITIN. P. CCXXII *T. CLI. F.* 183.

SUBFRUTESCIT & ex caule lignoſo, ſpadiceo cortice veſtito, dodrantales & pedales emittit ramulos tenues, teretes, e viridi albicantes aut leviter alterutra parte rubentes, foliis conjugatis planis, aveniis cinctos, Hyperico Canarienſi fruteſcenti multifloro *Hort. Amſt. Part. II. p.* 135. ſimilibus, ſed minoribus, luci objectis perforatis, in quorum ſummitatibus terni plerumque in pediculo communi naſcuntur

F. 182.

F. 183.

F. 181.

Hypericum foet. frut. minus. Hyper. foetid. frut. majus. Hyper. mont. Olympi. Wheel

F. 184.



Jacobæa Afra perennis, viſcoſa lutea, Aſplenii foliis Vaill.

naſcuntur flores ſatis ampli (biunciales) flavi, e petalis oblongis, verſus margines obiter crenatis, & ſtaminibus pluribus longis, apicibus parvis flavis terminatis, conflati, ſtylo ex embryone ſubrotundo enaſcente trifido luteo, calyce incluſi e foliis ſatis latis & venoſis (tribus latioribus & duobus anguſtioribus) conſtante. Qua calycis magnitudine & floribus paucioribus, ſed majoribus, præter dictam foliorum differentiam, ab Hyperico illo Canarienſi, cui proxime ſimile eſt, differt.

Flos figura marginali prima, ſecunda calyx cum embryone & ſtylo trifido, tertia embryo diſſectus, quarta ſemina ſeorſum appinguntur. Eſt vero embryo tricapſularis, velut in cæteris Hypericis, & hinc Hypericum Orientale flore magno vocat *Tournefortius Inſt. R. Herb. Coroll. p.* 19. cum antea Aſcyro adſcripſiſſet & Aſcyrum exiguo folio, flore magno vocaviſſet in *Inſt. R. Herb. p.* 256.

JACOBÆA AFRA PERENNIS, VISCOSA LUTEA, ASPLENII FOLIIS VAILL. COMM. ACAD. REG. SCIENT. A. MDCCXX. P. CCXCVIII. N. XXX. *T. CLII. F.* 184.

IN ſolo libero durat, & ſeſquipedali plerumque naſcitur altitudine, caulibus ex eadem radice prodeuntibus brevibus aliquot, craſſiuſculis, qui mox ex uno capite plures emittunt cauliculos pedales, ramoſos, teretes, tenuiter ſtriatos, virentes, in quorum ſummitatibus flores naſcuntur radiati flavi, & ad alas folia ſunt Botryos figura & pæne magnitudine, ad baſim vero cauliculorum plura undique prodeunt folia majora, Botryos inſtar laciniata etiam, ſed lobis frequentioribus prædita, lobis ex adverſo poſitis, Aſplenii inſtar, quocum ceteroquin non multum ſimilitudinis habent; quibus foliis alia prioris anni emortua, & caules præterea aridi, intermiſcentur, & hinc perennem eſſe plantam colligitur.

Tota planta molli hirſutia obſita & viſcoſa eſt, tangentium digitis adhærens, ceterum viridis, non incana eſt: odor nec adverſus, nec gratus. Calyce & totius facie Senecioni magis ſimilis eſt, quam Jacobææ, & eo procul dubio melius refertur, quam ad Jacobæam, nec obſtat, quod radiati ſint flores; nam & Jacobæa vulgaris flore nudo, aliæ vero Senecionis ſpecies flore radiato obſervantur. Ceterum ſemifloſculi modice longi & lati ſunt, integri, aut vix obſervabiliter crenati: floſculi in quinque & ſubinde in plures lacinias dividuntur, & hi figura ſecunda, illi vero prima ſeorſum exhibentur.

Æſtate floret & in ſolo libero durat, unde ex Africa citeriore procul dubio primum allata fuit hæc planta.

An Jacobæa Afra, facie Jacobææ Pannonicæ primæ Cluſii *Boerh*? *Ind. Alt. p.* 99. *n.* 22.

JASMINOIDES FOLIO PISHAMINIS, FLORE VIRESCENTE, NOCTU ODORATISSIMO T. CLIII. F. 185.

FRUTEX vel arbuſcula, cum primum apud nos floreret, erat bicubitalis & paullo altior, ſtipite recto, verſus inferiorem partem rimoſo, e fuſco cinereo, qui ſuperiora verſus in ramos ſat longos, in latera vergentes, ſpargebatur, ramis

ramis teretibus, recta protenſis, ſubfuſcis, craſſitie & cortice Liguſtrum æmulantibus, & illius inſtar punctatis, in quibus folia alterna ſerie naſcuntur, Piſhaminis ſeu Guajacanæ Virginicæ, Piſhamin dictæ, foliis plane ſimilia, & illius inſtar margines ſurſum erigentia, ut concava fiant folia, in eo vero differentia, quod ſuperficie conſtent læviore & pauciores venas obtineant, utrinque colore læte viridi eodem prædita, niſi quod ſubtus nonnihil pallidiora ſint, quam parte ſupina. Piſhaminis autem folia venas habent crebriores, nec colore gaudent tam læte virente, & ſuperficies foliorum inferior villo tenui mollis fit, ſecus ac in noſtra planta, quæ folia habet æquabilia & reſplendentia, Citri vel Limoniæ inſtar, cujus & conſiſtentiam fere habent.

Circa autumni vero finem plures hæc in ſummis ramis tulit flores, e foliorum alis in eodem pediculo communi naſcentes, monopetalos, oblongos tubuloſos, in quinque ſegmenta inæqualia & inæquali ſitu, ubi plene expanſi ſunt flores, diſpoſita diviſos; duo enim ſuperiora minora ſunt, erecta, galeæ inſtar, lateralia utrinque expanſa majora, ſicut & inferius, quod deorſum flectitur, ut pro irregularibus flores regulares videntur: utrosque, expanſos & nondum explicatos, figura noſtra exhibet. Hac ergo florum figura a Jaſminoidis genere nunnihil recedit hæc planta, ceu qui in Jaſminoide vulgari magis regulares ſunt, verum quoniam in reliquis convenit, & quoniam ſequenti ſpeciei tantopere ſimilis eſt, ut nemo, qui ambas viderit, ejuſdem generis eſſe negare queat, nimis laborioſam florum conſiderationem non neceſſariam in hoc genere exiſtimo, quamvis & vulgationem Jaſminoidum, quorum charecterem accuratius, quam adhuc ab aliis factum eſt, recenſuit P. A. Micheli in ſuis Novis plantarum Generibus, flores perfecte regulares eſſe non exiſtimem.

Ceterum flores ex herbaceo albicant, exteriore nempe parte viriſcunt, interiore albicant, odorem ſpirantes perquam ſuavem, præſertim noctu & de mane, & hoc præcipue tempore expanſi ſunt, ſub veſperam autem connivent. Stamina floris tubulo ſecundum ejus longitudinem, linearum inſtar, adnaſcuntur quinque, totidem apicibus parvis fuſco-nigricantibus prædita. Stylus (figura marginali prima) ſimplex capitulo viridi orbiculari depreſſo terminatur, baſi autem ſua embryoni inſidet ſubrotundo, floris fundum tranſeunti, in cujus cavitate, ut tum videbatur, ſimplici ſemina (figura ſecunda) plura latebant, minuta valde eo tempore. Qualis fructus futurus eſſet, obſervare non licuit, cum ad maturitatem non pervenerit, in Hiſtoria autem Jamaicenſi baccæ dicuntur ovales, Piſi arvenſis magnitudine, coloris atro cærulei, in quarum pulpa ſucculenta plura lateant ſemina compreſſa. Calyx exiguus florem arcte circumdat, quinque exilibus laciniis in ſummo diviſus, cetera parte integer eſt.

Sponte provenit in Jamaica locis frutetoſis, ut teſtatur D. Sloane in Hiſt. Nat. Jamaic. Specimina ejus allata etiam habemus ex Bonarienſi regione. Dicitur

Jaſminum laurinis foliis, flore pallide luteo, fructu atro-cæruleo, polypyreno, venenato *Cat. Jam. p.* 169. *Hiſt. Jam. Vol. II. p.* 96. *num.* 16. *Tab.* 204. *fig.* 2. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. Dendr. p.* 63. *num.* 11. ubi figura ad ſiccam facta videtur, in qua folia explicata latiora apparent, flores autem & eorum ſegmenta ſatis accurate exprimere vix licet. Hujus ramum in Batavia nomine Solani fruticoſi

F. 185.



Jasminoides folio Pisshamenis, flore virescente, noctu odoratissimo

T. CLIII



ticoſi latifolii non laciniati fœtidiſſimi lectum, a Dr. Richardſon communicatum refert D. Sloane; de ſynonymis autem quærit, an ſit, Jaſminum Virginianum flore albo laurifolium *Baniſt. Cat. Plant. Virg.*? an Jaſminum arboreſcens, foliis Solani, baccis nigro-violaceis Plum. *Tourn. Inſt. Rei Herb. p.* 598? De illo, quoniam nec deſcriptio, nec figura proſtat, quod dicam, non habeo, niſi quod ob climatis diverſitatem & floris colorem res dubia videatur; hoc vero Plumierianum folia habet ampliora & magis venoſa, ex adverſo proſita, (quæ Solano, Belladonna dicto, comparat) flores majores ſtellatos, Jaſmini vulgaris æmulos, in pediculis magis ramoſis, baccæ vero non tam ovales, quam rotundæ, & quidem latæ magis, quam rotundæ, in ſummitate ſinuatæ & umbilicatæ ſunt, ut teſtatur delineatio ejus in Muſeo Sherardino conſpicienda. Inter Delineationes dictas alia habetur ſpecies, quæ Jaſminum aliud arboreſcens, foliis Solani, minus dicitur in *Cat. Plant. Amer. Plum. p.* 17. foliis noſtræ plantæ perquam ſimilibus, & ſimili modo alternatim naſcentibus, verum florum tubuli noſtra graciliores ſunt, ſegmenta autem eorum longiora & magis cuſpidata, æqualiterque ſtellatim expanſa, ut eandem cum noſtra eſſe probabile non ſit. Fructus ceteroquin oblongi ſunt, ovali figura longiores, longitudine ad latitudinem altera tanta.

In *Cat. Jam. p.* 169. abſque dubitatione ſynonymice huic plantæ jungitur, Syringa laurifolia Jamaicenſis, floribus ex flavo palleſcentibus *Pluk. Alm. p.* 359. *Tab.* 64. *fig.* 3. quod poſtea ſimiliter ita ſtatuit *Plukenetius in Alm. Bot. Mant. p.* 176. Enimvero Pluknetius folia pingit conjugata & flores in ſummis tantum ramulis naſcentes. Procul dubio autem hæc eſt planta, de qua loquitur *Rajus Hiſt. Plant. Tom. III. Dendr. p.* 53. *num.* 1. „ Fruticem, inquit, hunc in Horto Illu„ ſtriſſimi Ducis de Beaufort Badmingtoniæ in Glouceſtriæ Commitatu verno tem„ pore florere, rarius autumno, nos certiores fecit D. Sherard. Flores plures ſimul „ erumpunt e foliorum alvis; flaveſcentes tubuloſi, quinquefidi, cum Laureolæ vul„ garis flores ſint ſemper quadrifidi, unde forſan rectius ad Jaſmini ſpecies refe„ renda.“ Sed ob fructus diverſitatem Jaſmini ſpecies eſſe nequit. Ceteroquin nomen, ſub quo hæc planta recitatur a Rajo, alienum eſt, & mea quidem ſententia transferri debet ad ſequentem ſpeciem. Plantæ ſunt valde ſimiles invicem, ſed non eædem, in virente facilius, quam in exſiccatis ſpeciminibus, diſtinguendæ. Vocatur autem dicto loco, Laureola ſempervirens Americana, latioribus foliis, floribus albicantibus, odoris *Pluk.* In Anglia & Batavia vulgo Jaſmini Badmingtoniani nomine nota eſt. Clariſſimus vir Bern. de Juſſieu, cum ante annos aliquot in Anglia verſaretur & plantas Sherardinas luſtraret, vocabat Thymelæam Indicam, flore viridi, noctu odoratiſſimo; poſtea ſpecimen ejus ſiccatum miſit, Jaſminoidis flore vireſcente, noctu odoratiſſimo, nomine, & Hiſpanis, apud quos Madriti obſervaret, *Dama de Noche* dici ſignificavit.

Dama de Noche nomine ex Cuba inſula a Dn. Wright, Chir. ante aliquot annos allati ſunt fructus parvi fungoſi (baccæ forte ab initio) oblongo-rotundi, Tini fructus pæne magnitudine, coloris obſolete fuſci, unde enati ſunt fruticuli plane ſimiles, ſed nonnihil, quod in junioribus plantis fit, amplioribus foliis donati, qui flores adhuc non dederunt; & hi fructus erant biloculares & diſpermi, quod ita fit, quoniam omnia ſemina ad maturitatem non perveniunt. Iſtiuſmodi fructum integrum figura tertia quarta diſſectum, quinta ſemina ſeorſum monſtrat, quæ

ſemina oblonga erant, ſubtretia, mollia, altera parte convexa, altera leviter ſulcata, rugoſa, fuſca: cutis craſſiuſcula, carnoſa.

Hediunda Jaſminianio flore *Feuill. Obſ. Phyſ. Tom. III. Hiſt. Plant. Med. Tab.* 20. & Parqui *Ejuſd. Ibid. p.* 52. *Tab.* 32. videntur eſſe hujus generis ſpecies, ac poſterior forte eadem cum noſtra. Obſervata ea fuit Auctori in montoſis Chilienſibus, & fructus dicitur violaceus, flos albus, quod obſtat, ni interiorem partem intelligat Pater.

JASMINOIDES LAUREO LÆFOLIO, FLORE CANDIDO, INTERDIU ODORATO T. CLIV. F. 186.

ARBUSCULÆ cum primum florent, poſt tertium a ſatione annum, erant octo & decem pedes altæ, caudice recto, pollicem inferius craſſo, cortice cinereo, quam præcedentis ſpeciei læviore, veſtito, verſus ſuperiorem partem in ramos paucos obliquos pedales & bipedales abeuntes, culmum & paullo amplius craſſos, cortice in ſumma parte virente, reliqua e cinereo virente, veſtitos, in quibus folia Laureolæ ſempervirentis foliis ſimilia, ſed nonnihil majora, naſcuntur, alterna ſerie diſpoſita, magis, quam præcedentis ſpeciei, plana & ſplendentia, craſſiore item & aliquanto obtuſiora, parte ſupina viridia, prona nonnihil pallidiora, utrinque lævia, nervo medio albicante & venis paucis obliquis ſuperficialibus prædita, e quorum alis ad ſummitatem uſque flores naſcuntur plures, eidem pediculo communi inſidentes, (ad ſeptem, octo novemque numeraſſe memini) breviores quam præcedentis ſpeciei, utraque, externa & interna, parte niveo candore prædiți, interdiu ſuaveolentes, ſed minus, quam illius noctu odoratæ ſpeciei, fragrantes, nec odore æque ſuavi prædiți, in quinque ordinarie, ſubinde in quatuor, non raro in ſex ſeptemve æqualia obtuſa ſegmenta diviſi, quæ ſegmenta mox reflectuntur, ut an æqualem ſitum obtineant, non æque planum ſit, quædam tamen reliquis magis retroflecti & flores ideo perfecte regulares non videntur. E quibus floribus ſtamina ſimili, ac in præcedenti ſpecie, more oriuntur totidem, quot ſunt floris ſegmenta, apicibus ab initio luteolis, dein e fuſco nigricantibus, terminata; ex embryone autem, qui floris fundum perfodit, ſtylus oritur, præcedentis inſtar ſimplex, in capitulm orbiculare virens, velut in illa, deſinens. Embryones etiam ſimiles ſunt, nempe ſubrotundi, & in ſimplici, prout quidem tum apparuit, cavitate plura ſemina minuta rotunda continebant. Calyx porro prioris ſpeciei inſtar ſe habet, monopetalus nempe eſt, in totidem, quot ſunt floris ſegmenta, lacinias breves diviſus, cujus ſinu & flos & embryo, illius inſtar, continetur. Fructus ad maturitatem nobiſcum non pervenit, ut in plantis, quæ e calidioribus plagis afferuntur, non raro fieri ſolet, præſertim ſi ſerius floreant, floruit autem nobiſcum Novembris initio in Caldario. Ceteroquin ſicci fructus, quos circa Havanam lectos attulit Dn. Wright *Galan de Dia* nomine Hiſpanico, rugoſi, fuſci erant, qui aquæ immerſi in pulpa ſua unum alterumve ſemen majus, fuſcum, altera parte convexum, altera nonnihil excavatum, uvæ Gigartis non abſimile, & plura alia minora immatura continebant.

Hos fructus figura ſeptima, octava autem ſemina matura, nona immatura repræſentat. Figuræ prima & ſecunda flores, tertia calycem cum piſtillo, quarta embryonem

F. 186.



Jasminoides Laureolæ folio, flore candido, interdiu odorato.

F. 187.

F. 188.



Iris Am. versicolor, stylo non crenato. *Iris Am. versicolor, stylo crenato.*

bryonem & piſtillum, quinta embryones diſſectos, ſexta ſemina, prout in embryone ſe habent, ſeorſum exhibet.

Ceterum obſervatur in foliis quædam differentia; nam juniores plantæ & ramuli folia minora & magis erecta gerunt, plantæ autem & rami floridi longiora & reflexa plerumque habent folia, prout & duplici noſtra figura conſtare poterit.

Huc refero Laureolam ſempervirentem Americanam latioribus foliis, floribus albicantibus, odoris *Pluk. Alm. p.* 209. *Tab.* 95. *fig.* 1. quam ſe in Horto Regio Hamptonienſi, ſub nomine Jaſmini Americani Aurantiæ folio, collegiſſe in Phytographia refert, & ſub exitum æſtatis florere in Almageſto dicit. Figura eſt ad ſiccam facta, nec flores bene exprimit. Folia etiam juſto breviora.

IRIS AMERICANA VERSICOLOR, STYLO NON CRENATO T. CLV. F. 187.

VALDE ſimilis eſt hæc Iris Iridi Pannonicæ anguſtifoliæ verſicolori *Cluſii*, Iridis anguſtifoliæ ſecundæ nomine in *Hiſt. p.* 229. deſcriptæ & depictæ, ſed folia habet latiora & flores inodoros. Flores autem hujus Iridis e novem foliis ſeu petalis, ſi ſtylum computes, aliarum hujus generis inſtar, ſunt conflati, quorum tria exteriora latiora ſunt & reflexa, e violaceo, flavo & albo variegata, tria media anguſtiora ſunt & breviora, ſurrecta, tota violacea, & venis ſaltem ſaturatioribus picta, reliqua tria interiora, quæ ſtyli munia obeunt, e violaceo purpuraſcunt, interſtitia mediorum occupant & petalis exterioribus repandis appropinquant, ſummitas autem eorum denuo introflectitur & ſæpe conopluta eſt, in duas lacinias diviſa, oris integris, quibus ad inciſuræ ortum in exteriori parte ligula, ceu in reliquis ſpeciebus, tranſverſim adhæret, quam apicum extrerna attingunt; ſtamina nempe & apices ſub petaliformibus illis ſtylis appreſſi latent, ſuntque numero tria, oblongo apice, paucitatem magnitudine compenſante, terminata, cui, ne ob gravitatem decidat, aut ſtamen frangatur, ligula illa tranſverſa proſpectum eſt, in quam apicis extremitas immititur & ſub flexura ejus retinetur. Ceterum petala illa exteriora ſequentem in modum variegata obſervantur; extrema nempe & latior petali pars violacea eſt, poſterior vero & anguſtior albicat, macula in medio flava diſtincta, utramque vero partem ſeu totum petalum venæ ſaturatiores violaceæ ubique percurrunt, quibus baſim verſus, parte præcipue exteriore, lineæ vireſcentes intermixtæ ſunt, nulla autem in medio petalo barba lanuginoſa obſervatur, ſed læve eſt petalon, inſtar Cluſianæ illius Iridis.

Flores in eodem pediculo communi plerumque duo, ſubinde tres locantur, vagina ad baſim membranacea, ternis plerumque foliis exſuccis conſtante, cincti. Caules autem ſeu rami in duos tresve ſurculos, ſeu florum pediculos communes, dividuntur. Cubitali & ſeſquicubitali naſcitur altitudine. Genicula atro-violaceo circulo cinguntur. Folia ſaturanter virent & non fœtent, ſed contrita herbaceum ſpirant odorem. Quod ſeorſum appingitur, e medio ramo deſumptum eſt folium.

Sole e Geminis ad Cancrum tranſeunte floret. Sponte provenit in Virginia, Marilandia & Penſylvania.

IRIS AMERICANA VERSICOLOR, STYLO CRENATO T. CLV. F. 188.

SPECIES hæc, quod una eſſet, in fictili primum per aliquot annos ſtudioſius ſervata, humilior erat, ceu cujus caulis pedalem & ſeſquipedalem altitudinem non ſuperabat, gracilior, viridis teres, in unum alterumve ramum abiens, flores nunc ſingulos, nunc gemellos ternosve proferens, minores, colore dilutiore cæruleo, labris propendentibus, prioris inſtar, nudis, ſeu nulla in medio lanugine donatis, petalis ſurrectis, illius inſtar, anguſtis, leniter concavis, ſtriis ſaturatioribus diſtinctis; ſtyli autem petalodes differunt, nam per margines ſerrati ſunt, &, illius inſtar, non æque interiora verſus reflectuntur. Ligula porro in parte prona adhærens brevior eſt & non reflexa.

Color his dilute cæruleus, absque ſtriis, quo colore & petala ſurrecta gaudent, ſtriis tenuibus raris picta. Petala vero repanda ſtrias habent cæruleſcentes crebriores, a macula media lutea in ambitum eorum productas. Quin & ipſa macula, quæ oblonga eſt, utrinque ſtriis & punctis purpureis variegata eſt. Apices oblongi craſſiuſculi ſunt, luteoli, punctis craſſis violaceis diſtincti. Odor tenuis ſuavis, pruna redolens. Junii initio floret.

Folia dodrantalia & pedalia, plana gladiiformia, ſtriata, aliarum ſpecierum inſtar ad baſim ſe invicem amplexantia, pallida, ex albo & luteolo herbacea, veluti ægrotaret planta, hinc ſolo libero immerſa lætius crevit & planta eſt facta multo altior, ſeſquicubitalis, caule ramoſiore, quatuor & quinque flores geſtante. Flos major factus, colore magis ad violaceum vergente. Barbulæ ſeu petala inferiora magis reflexa, ac præcedentis, variegatio illius inſtar ſe habebat; nempe barbulæ in extrema & latiore parte violaceæ erant, a quarum media parte verſus baſim linea lata & oblonga flavicans ducta erat, crebris parvis punctis violaceis diſtincta, a qua utrinque ſtriæ purpureæ in latera vergebant, maculis candidis in earum interſtitiis relictis, quæ verſus baſim flavicabant, ubique vero crebris parvis violaceis punctis pictæ erant. Præcipua autem & conſtans differentia in ſtylo petaliformi eſt, qui tam per longitudinem, quam in ſummitate, ubi dividitur, crenatus eſt. Porro genicula circulo nigro carent. Paullo ante illam, nempe Septimanæ circiter ſpatio, Maji fine floret.

Flores odorem huic generi communem, ſed debiliorem, ſpirant, illa vero inodora viſa fuit. Flos inferius ſeorſum pictus hunc ſtatum denotat, altera vero figura ad dextram facta eſt ad plantam in olla olim cultam.

Sponte naſcitur in Virginia & Philadelphia. Apud Americanos in maximo uſu eſſe fertur ad curandam gonorrhœam & luem veneram, ob facultatem, credo, radicis catharticam.

KETMIA FOLIO MANIHOT SERRATO, FLORE AMPLO SULPHUREO T. CLVI. F. 189.

KETMIA hæc bicubitali & tricubitali naſcitur altitudine, caule & ramis aſperis, teretibus, ſuperiori parte piloſis, quibus folia in oblongis pediculis piloſis, nunc virentibus, nunc ex fuſco rubentibus innaſcuntur, compoſitis, nempe in lobos ſeptifariam, Manihot inſtar, diviſa, marginibus tamen non integris, ſed ſerratis, inferius latioribus & rarius, ſuperius anguſtioribus & acutius inciſis, hirſuta & piloſa, præſertim averſa parte, ſuperne ſimpliciter virentia, ſubtus pallidiora, ſingulis lobis nervo medio utrinque prominente & venis lateralibus tenuioribus exaratis.

Flores ſummis caulibus & ramulis innaſcuntur ampli (majores ſubinde quam figura noſtra monſtrat) ſegmentis latis, ſubrotundis, venoſis, ſulphureo ſeu pallidiore flavo colore tinctis, baſi quinque maculis atro-purpureo colore diſtincta, unguibus & piſtilli parte inferiore purpuraſcentibus, reliqua piſtilli parte candida, ſecundum cujus longitudinem abſque ſtaminibus conſpicuis apices adhærent albidi, farinoſi, extremitas autem craſſior fit & quinque prominentiis villoſis ſtyliformibus terminatur. Calyx duplex eſt, exterior e viridi rubeſcit & in quinque ſegmenta latiora ad baſim uſque dividitur, interior tenerior purpuraſcit, integer, in quinque breves & anguſtas lacinias diviſus ab initio, ad floris vero explicationem is alterutra parte profunde & ad fundum uſque rumpitur.

Vaſcula ſubnaſcuntur pyramidata, valde hirſuta & piloſa, quinque capſulis diſtincta, in quibus ſemina ſubrotunda, per maturitatem pulla, continentur, & hæc ſeorſum in margine deſignata ſunt. Æſtate & ſub Auctumnum floret. Biennis trienniſve planta.

Dicitur, Ketmia Americana folio Papayæ, flore magno flaveſcente, fundo purpureo, fructu erecto pyramidali hexagono, ſemine rotundulo, ſapore fatuo *Boerh. Ind. Alt. p.* 272. *n.* 12.

Similis planta exhibetur a Plukenetio *Amalth. p.* 7. nomine Alceæ Sinicæ, Manihot ſtellato folio, capſula longa piloſa pyramidata, quinquefariam diviſa, cujus fragmentum pingitur *Tab.* 355. *fig.* 2. quæ planta dicitur, Abelmoſch Chuſanenſis, folio palmato lævi, fructu piloſo H. S. Pet. n. 1. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 241. & cum in deſcriptione Cunninghami apud Plukenetium folia etiam lævia dicantur, & a Plukenetio ſerrata non pingantur, noſtræ autem piloſa, hirſuta & ſerrata ſint, eandem pronuntiare non auſim.

Similis porro deſcribitur a *Kæmpfero Amœn. Exot. Faſc. II. p.* 474. nomine Alceæ radice viſcoſa, flore ephemero magno puniceo, cujus icon exhibetur *Hiſtor. Japon. Tab.* 41. quæ noſtræ plantæ adamuſſim quadrat, color autem floris plane diverſus dicitur, & cum folia dicantur carnoſa ſuccoſa, vultu lacunoſo, quadantenus aſpero, noſtræ autem folia teneriora & plana ſeu lacunoſa non ſint, vere autem hirſuta, eandem non tam huic, quam illi Plukenetianæ & Petiverianæ crediderim, ſi quidem admittamus folia a Plukenetio abſque ſerraturis rite non deſignata eſſe.

KETMIA ZEYLANICA FICI FOLIO, PERIANTHIO OBLONGO INTEGRO T. CLVII. F. 190.

A PEDALI ad ſeſquipedalem & bipedalem aſſurgit altitudinem, caule recto, non, aut parum ramoſo, tereti, culmum craſſo, ex albicante cæſii coloris, mitibus & raris ſpinulis hinc inde obſito, in quo folia naſcuntur aſpera, Fici foliis ſimilia, ſed minora, inferius latiora & in plura ſegmenta diviſa, ſuperius anguſtiora & in pauciores lobos partita, ſuperne viridia, inferne aliquantum pallidiora, pilis raris, ubi lux incidit præcipue conſpicuis, obſita.

Flores e foliorum alis naſcuntur ſolitarii, nec magni, nec valde parvi, petalis, vel ſegmentis verius, oblongis anguſtis, candidis, fundum verſus purpureis, tenuibus ſtriis ſecundum longitudinem exaratis, calyce incluſi oblongo integro, & in ſummitate tantum in exiguas lacinias filamentorum inſtar diviſo, unde fit, ut ſub floris expanſionem calyx ex alterutro latere rumpi ſoleat; cujuſmodi calycem non memini me in alia ſpecie obſervaſſe. Flores Sole tantum lucente & per paucas ſaltem horas explicantur, nique Sol ſub eorum eruptionem faveat, fit ut abſque explicatione ulla prætereant. Mane vero & circa meridiem explicantur flores hi; & quoniam opportuno tempore mihi adeſſe non licuit, factum eſt, ut flos, olim ipſi plantæ appictus, minus accurate expreſſus ſit, cui defectui floribus aliquot, cum figura æri jam inciſa eſſet, ſeorſum poſitis & ſub meliori ſtatu viſis ſuccurrere volui. Flores autem plerumque nutant, & petala, quam ille, latiora habent, petalis ob calycis ruptionem nonnihil inæqualiter expanſis, Geranii inſtar. Vaſcula ſubnaſcuntur pro plantæ magnitudine ſat ampla, quinquangula & quinquecapſularia, quæ, aliorum hujus generis inſtar, dehiſcunt & ſimilia ſemina continent. Calyces, vaſcula & pediculi ſummi tenui villoſitate obſiti ſunt.

Auguſto menſe floruit nobiſcum hæc planta, nata e ſeminibus a J. Ph. Breynio tranſmiſſis, quibus inſcriptum erat, Ketmia Indica humilis, folio diſſecto aſpero, flore parvo candido, inſtar Jaſmini Hiſpanici explicato, purpuraſcente. Seminibus ad maturitatem perductis interiit.

Nec figuram, nec deſcriptionem, immo nec nomen hujus plantæ apud quenquam Rei Herbariæ ſcriptorem reperio; ſaltem non abſimilem, nempe Alceam Indicam fruteſcentem, foliis in lacinias varie diſſectis reperio apud *Pluken. Alm. p.* 15. *Tab.* 74. *f.* 1. ſed noſtra non fruteſcit, & calyces habet multo longiores, flores longiores & folia majora, ſubtus non incana illius inſtar; fructus etiam diverſi dicuntur in illa, ſpinis nempe horridi & florum color diverſus; ita enim vocatur in *Muſ. Zeyl. p.* 36. Kadhupara: Alcea floribus roſeis parvis, fructu lappaceo, quinquepartito, foliis profunde laciniatis.

F. 189.



Ketmia folio Manihot serrato, flore amplo sulphureo.



F. 190.



Ketmia Zeylanica Fici folio, perianthio oblongo integro.

Lapathum Orient. aspero & verrucoso folio, Ribes Arab. *dictum.*

F.192.

F.191.



Lapathum Ægypt, capsula seminis alba & crenata Lipp.

LAPATHUM ÆGYPTIUM, CAPSULA SEMINIS ALBA ET CRENATA LIPPI BOERH. IND. ALT. PART. II. P. LXXXVI. N. XVI. *T. CLVIII. F.* 191.

APATHI hæc ſpecies annua eſt, plures ex eadem radice caules proferens, ſeſqui & bipedales, quibus folia adnaſcuntur craſſiuſcula, Acetoſæ pratenſi non abſimilia, e quorum alis ſuperioribus flores & ſemina naſcuntur crebra, verticillatim digeſta, & ſpicam oblongam efficientia. Calyx id peculiare habet, quod tria folia majora, ſemina protegentia, tenuiter & puchre inciſa ſint, & ſingula verrucam in medio obtineant reſplendentem candidam. Ceterum ſemina, aliorum inſtar, triquetra ſunt, lucida, coloris per maturitatem e fulvo ſpadicei. Hæc ſeorſum num. ſecundo, calyces vero primo exhibentur.

LAPATHUM ORIENTALE, ASPERO ET VERRUCOSO FOLIO, RIBES ARABIBUS *DICTUM T. CLVIII. F.* 192.

BELLONIO, Rauwolfio & Guilandino exceptis, nemo fere adhuc in locis natalibus obſervavit hanc plantam, nec memini eam unquam in Europæorum hortis, Leydenſi, poſt Ad. Vorſtii tempora, excepto, (referente J. Breynio Prodr. Sec. p. 60) creviſſe, quam in Elthamenſi, pro quo ornando, octo & amplius jam elapſi ſunt anni, ex quo D. Guil. Sherard a monte Libano usque afferri curavit. In quo licet tot annis viguerit, flores tamen & fructus hactenus dare recuſavit, ſive ſolum & cælum mitius, ſive aliud quid circa culturam in cauſſa ſit. Hujus hiſtoriam, cum ab aliis imperfecte tradita ſit, hic retexere, quantum licet, non ſupervacaneum videtur.

Primo ſtatim vere, Sole ex Piſcibus in Arietem tranſeunte, quotannis rudimenta aliquot folioſa oſtendit, in ſe plicata, compreſſa, cripſa, echinata, colore e fuſco rubente, quæ pedetentim magnitudine aucta expandi ſolent & adulta magnitudine Petaſitæ folia æquant, a brevi pediculo in longum latumque expanſa, tribus juxta pediculum coſtis craſſis diſtenta, a quibus brevi intervallo duæ aliæ coſtæ oriuntur, ita ut quinque præcipuæ folii coſtæ ſint, a quibus reliquæ binario ordine orginem ſumunt, donec continua progreſſione minores factæ in marginibus foliorum abſumantur.

Foliorum pediculi robuſti ſunt, parte interiori plani, exteriori leniter convexi, rubore hinc inde conſperſi, ad baſim ſquamis aliquot brevibus rubentibus cincti, multis per omnem ſuperficiem tuberculis aſperis, tanquam ſaccharo cando, reſperſi, quæ non tantum foliorum parte averſa coſtas nervosque obtegunt, ſed & omnem foliorum internam ſuperficiem occupant, multisque rugis & verrucis ea aſpera reddunt. Averſa autem folii ſuperficies, coſtis demptis, minus, quam adverſa, verrucoſa & aſpera obſervatur.

Folia latiora, quam longa ſunt, quum plantam delinearem, quod erat Aprilis initio, non plene expanſa, ſed lateribus annuentibus veluti cucullata, per margines vero

vero undata & ſinuoſa, extrorſum nempe & introrſum verſa, procedente autem tempore oræ & ipſa folia magis expanduntur & proprie ſinuata ſeu inciſa non ſunt, tota licet folia non prorſus plana, Petaſitæ inſtar, ſed modice cava obſerventur, duos circiter pedes longa, tres lata. Ora foliorum extrema fimbria rubente cingitur, quo colore & gaudet foliorum pediculorum pars interior & plana, exterior vero & elevata dilute viret. Folia ſuperne viridia, inferne nonnihil pallidiora ſunt, ejuſdem cum pediculis & coſtis coloris.

Radix ampla eſt & craſſa, Armoraciæ æmula, ab initio ad pedis fere longitudinem recta deſcendens, dein tranſverſim longe lateque protenſa, incurva & flexuoſa, ſaporis acerbi & vehementer adſtringentis, folia autem & eorum pediculi atque caules ſaporem habent ex acido adſtringentem, veluti ſi quis multum Acetoſæ cum Lapatho commiſceat.

Caules *Rauwolfio Itin. p.* 266. & 282. cui Ribes Arabum dicitur, annotante pæne cubitales, hirſuti, unciam craſſi, virides, inferne purpuraſcentes, quos caules Halepum pro Rob Ribes Serapionis conficiendo delatos vidit; ipſa enim planta, dum in Libano verſaretur, caulibus deſtituebatur, Septembri menſe, ſine flore & ſine ſemine, tanquam primum erumpens & duobus tantum foliis prædita, quam ita depingit *Num.* 266. 282. in qua figura folia rotunda & plana exhibentur, quoniam nempe ad plantam ſiccam & compreſſam facta eſt. In noſtra planta folia quotannis æſtate mareſcunt, veluti ſi calorem reformidaret. Rauwolfius locis humidis gaudere ſcribit: *Bellonius de Conif. fol.* 4. " fere perpetuo ſub nive de-" gere tradit, foliis Lapathi (male) acuti, ni grandiora eſſent & rotundiora: " baccas ferre ex ſinu medio foliorum, ut in Lauro Alexandrina, Hippogloſſo & " Ruſco: Septena ut plurimum a radice aſſurgere folia, in quorum medio fructus " veluti racematim dependeant." Debuiſſet Bellonius clarius de baccis, quæ verrucæ (vel an excreſcentiæ ab inſectis) videntur, pronuntiare, & Rajus Hiſt. Plant. Tom. II. p. 1486. quaſi ad Herbas Epiphylloſpermas referenda ſit, errorem evitaſſet. Cur vero Rajus eodem cum Ribeſio Capite C. Bauhinum ſequutus recenſet? A *Guilandino* non tantum in Libano & Antilibano, ſed & in Sina & Carmelo montibus obſervata fuit hæc planta, ut patet ex *Problem. IX. & X. p.* 57. Quin & in Perſarum montibus naſcitur & in hortos ab ipſis cupediarum gratia transfertur. Comedunt autem turiones & ſurculos teneriores cum pipere & ſale, ut patet ex *Le Brun Itin. II. p.* 192. ubi *T.* 73. figuram apponit, ſed minus laudabilem, nec Rhabarbari ei nomen, quod imponit, quadrat, ni omni Lapatha velis dicere Rhabarbara. Reliqui Auctores, quicquid de hac planta habent, ex aliis tranſcripſerunt.

Enimvero *J. Ph. Breynius in Ephem. Nat. Cur. Cent. VII. Obſ.* 3. *p.* 8. novam dedit ab ipſa planta figuram & deſcriptionem exactam. In nomine autem, quod Lapathum Orientale tomentoſum rotundifolium, Ribes Arabum dictum, mendum commiſſum, qui deſcriptionem ejus legerit, non negabit. Ceterum figura eſt ad plantam ſiccam & complanatam facta, in qua radix minus recte exprimitur; ſquamæ enim, quæ ad foliorum pediculorum baſim hærent, olivæformes factæ ſunt, quaſi radix eſſet grumoſa. Hæc figura caules habet & ſemina, quæ in nulla allia adhuc proſtant, unde conſtat veram eſſe Lapathi ſpeciem. Calyces dentati ſunt. Patri in *Prodr. Sec. p.* 60. dicitur Lapathum rotundifolium montis Libani, ſemine maximo.

Serapioni

F. 193.



Lauro-Cerasus Lusitanica minor Tourn.



Serapioni ex capreolis, (intelligendi caules & florum pediculi) contritis exprimitur ſuccus, qui coctione inſpiſſatur. Ventriculum refrigerat roboratque, confert cardiacis; ſitim reſtinguit, fluxum ventris bilioſum & vomitum compeſcit, appetentiam excitat, utilis in morbillis & variolis, adverſus hæmorrhoides & ebrietatem. Sapa de Ribes ſtomachum calidum confortat, auctore Meſue, vomitum cholericum ſedat, ſitim extinguit, cordis ebullitionem mitigat & ipſum confortat, bilioſam vomitionem ſeu fluxum cholericum ſedat & alterat, referente *J. Bauhino Hiſt. Plant: Tom. II. L. 15. p.* 100. cui Ribes verum Arabum ex Rauwolfio, cujus figuram aſſumit, dicitur, *C. Bauhino* vero Ribes Arabum foliis Petaſitidis *Pin. p.* 455. *n.* 12. ubi reliqua ſynoyma.

LAURO-CERASUS LUSITANICA MINOR TOVRNEF. INST. R. HERB. P. DCXXVIII. *T. CLIX. F.* 193.

ARBUSCULA fit mediocris, alitudinem humanam æquans & ſuperans, caudice recto, cortice cinereo veſtito, in plures ramos, non multum ſparſos & prolixos, diviſo, in quibus folia alterna ſerie naſcuntur oblonga, mucronata, per margines crenata, craſſa & rigida, utrinque lævia & nonnihil ſplendentia, ſuperne ſaturanter viridia, ſubtus pallidiora, venis levidenſibus obliquis exarata.

Flores & fructus in loris oblongis, e foliorum alis egreſſis, naſcuntur plures, ſuntque fructus, quam vulgaris ſpecei, in extremitate anguſtores, ſinguli plerumque in ſingulis pediculis, ſubinde vero bini, ab initio virentes, (in quibus cupulæ ſæpe remanent per oras denticulatæ, quæ calycis reliquæ) ubi ad maturtiatem vergunt rubentes, plene maturi atro-rubentes, (vid. figura marginalis prima & ſecunda) in cortice craſſiuſculo carnoſa (fig. 4) per maturitatem (fig. 3.) ſuccoſo, nucleum continentes ex rotundo mucronatum, (fig. 5.) conceptaculo calloſo (fig. 6. 7. integro, 8. diſſecto) incluſum, quod conceptaculum ex alterutra parte lineam impreſſam habet, quæ & per ipſos fructus externe conſpicua eſt. Caro fructus ſapore eſt auſtero amaro, nucleus gratiore, Perſicæ nucleos referente.

Vere floret, ſub auctumnum fructus maturat.

Lilac flore albo pendulo odoratiſſimo dicitur *Griſl.* in *Virid. Luſit.* Lauro-ceruſus Luſitanica minor, ſpecioſior *Pet. Muſ. n.* 783. Luſitanis, referente Tournefortio, *Aſarero.*

LIGUSTRUM CAPENSE SEMPERVIRENS, FOLIO CRASSO SUBROTUNDO T. CLX. F. 194.

ARBUSCULA eſt non multum ramoſa, caudice vix digitum minorem poſt decem undecimque annos craſſo, frequentibus nodis parvis, a ramulis abſcedentibus formatis, prædito, recto, cortice ſubhirſuto, ex fuſco nigricante, veſtito, punctis lineisque cinereis diſtincto, ſeſquicubitalem, poſt tot annos, altitudinem (unde frutex potius, quam arbor videtur) non multum ſuperans, in cujus ramis dodrantalibus & pedalibus folia conjugata, decuſſatim ſibi reſpondentia, naſcuntur, oblongo-rotunda, in extremitate ſubinde ſinuata, plerumque vero ſinu illo carentia, denſa & rigida, modice concava, nunc dilutius, nunc ſaturatius virentia,

ſubtus ſemper pallidiora, glabra, venis levidenſibus obliquis, inferne minus, quam ſuperne, conſpicuis exarata, e quorum alis & in ramorum faſtigio flores Junio & Julio menſibus naſcuntur racematim digeſti, nunc rariores, nunc adeo numeroſi, ut ob eorum onus racemi pendeant, monopetali breves & vix tubuloſi, in quatuor æqualia ſegmenta diviſi, duobus ſemper, Liguſtri inſtar, ſtaminibus, apice didymo croceo terminatis, donati, albi, odore florum Liguſtri vulgaris ſpirantes. Calyx parvus in quatuor exiguas lacinias dividitur. Fructum nobiſcum, licet multoties floruerit, nunquam tulit, tamen, quin vera Liguſtri ſpecies ſit, flores & ſtamina qui attenderit, nemo negabit.

Seorſum flores aliquot vario ſitu, & ut calyx appareat, appicti ſunt. Patriam agnoſcit Promontorium Bonæ Spei.

Facies & ſimilitudo quædam ipſi intercedit cum iis plantis, quæ Ceraſi Hottentottorum paſſim dicuntur, an vero & quo nomine aliis recenſita ſit, hæreo, &, niſi ſit, Ceraſus Capenſis foliis craſſis, floribus exiguis Hort. Sicc. Pet. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 243. *n.* 36. me alia ſynonyma ignorare fateor.

Ceraſus Hottentottorum vulgaris folia ima adverſa, reliqua vero alterna habet, ut non videatur Liguſtri ſpecies eſſe. Ea in Horto Elthamenſi a pluribus annis colitur, ſed nunquam floruit, quare figuram ejus, cum quoad folia jam depicta ſit in *Plukenetii Phytographia Tab.* 82. *fig.* 5. omittimus. At Ceraſus Afra folio rotundo, craſſiſſimo rigido ſplendente *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 244. *n.* 6. & flores & fructus dedit, ſed diverſi generis, Frangulæ nempe ſimiles, ut ſuperius ſub Frangula ſempervirente, folio rigido ſubrotundo, eſt demonſtratum. Ceterum folia illa planta plerumque habet conjugata & decuſſatim ſibi, hujus inſtar, reſpondentia, ſed ampliora, craſſiora, rigidiora & ſplendentia, marginibus non introrſum, ceu in hac, ſed extrorſum flexis.

LILIO-ASPHODELUS AMERICANUS SEMPERVIRENS MAXIMUS, POLYANTHUS ALBUS COMMEL. PLANT. RAR. P. XIV. *T. CLXI. F.* 195.

QUo loco hujus plantæ figura ſatis bona exhibetur, ſed quoniam noſtra figura non eſt illa, & quoniam quædam tam in figura, quam in deſcriptione prætermiſſa vel non rite expreſſa, videntur, noſtram, quam, antequam illam adverteremus, paratam habebamus figuram & deſcriptionem abjicere nolebamus, & vel illuſtrandæ ſaltem rei inſervire poſſe ſperamus.

Flores planta hæc quarto circiter a ſatione anno protulit, Pancratii floribus valde ſimiles, & ſimili modo e vagina membranacea ex eodem principo in caulis faſtigio prodeuntes, verum tuba illa calyciformi, qua Pancratium ſuperbit & e qua ſtamina emittit, in medio flore deſtitutos. Stamina enim hujus floris e petalorum baſi, qua ab invicem recedunt, oriuntur, longa & incurva, parte inferiore candida, ſuperiore purpuraſcentia, quorum extremitati apices graciles, incurvi, verſatiles, tranſverſim affixi ſunt, coloris luteſcentis. E medio floris ſtylus eminet ſimplex, ſtaminibus ſimilis, ſed aliquanto brevior & colore ſaturatiore purpureo tinctus, embryoni inſidens in baſi floris latente. Flores, antequam aperiuntur, pallide flavent, poſtquam autem explicati ſunt, lacteum induunt candorem, odore non

F. 194.



Ligustrum Cap. sem-pervirens, folio crasso subrotundo.

F. 195.



Lilio-Asphodelus Amer. semperviens maximus, polyanthus albus

Comm.

non insuavi, Leucojum, quod bulbosum vocant, referente. Singuli autem flores in sex longa, angusta, carinata & reflexa segmenta dehiscunt, reliqua parte ad vasculum usque integri sunt, & biuncialem circiter tubulum habent, unde monopetali fiunt flores, & Lilionarcissi generi annumerari non potest hæc planta, sed Liliasphodelo potius, quamvis figura floris a vulgari Lilioasphodelo luteo & phœniceo nonnihil diversa sit, Lilio nempe vulgari non æque similis. Existimamus autem ob quascunque differentias multiplicanda non esse plantarum genera, & malumus ideo cum C. Commelino Liliasphodeli speciem facere, quam novum temere genus instituere. Ceterum flores successive aperiuntur, & singuli unum alterumve diem durant. Vagina, qua flores ab initio involuti sunt, in duo folia pallida, flaccida & pendula resolvitur, quibus & florum pediculis tenerrima quædam filamenta, floccorum instar interspersa, hærent.

Caules vel pes flores sustinens sesquipedali nostra observatione (Commelino tres pedes altus) erat longitudine, digitum crassus, modice compressus, qui non e corde caudibus mediisque foliis, ut in Plant. Rar. contra figuram habetur, sed ad latus e sinu exterioris alicujus folii egrediebatur. Folia autem hujus plantæ longa lataque sunt, duos nempe pedes & amplius longa, palum plerumque lata, ea præcipue quæ in medio, inter interiora nempe & exteriora, sita sunt, parte interiore sulcata, exteriore elevata, qualia carinata vocari solent, rectivenia, lævia, rigida, coloris ubique dilute viridis, marginibus lente undatis; quæ folia e caudice arundinaceo brevi crassoque squamatim sibi imposita confertim enascuntur, surrecta, vel modice saltem, inferiora nempe, in obliquum posita. Crassiuscula ea sunt & sempervirentia, mucronata, multis poris majusculis, Cannæ instar, cujus & faciem habent, secundum longitudinem pertusa.

Pictor & Sculptor Plant. Rariorum folia Tabulæ accommodaverunt, & extremitates reflexas fecerunt, nec flores eorumque segmenta satis accurate designarunt, & quædam laciniata exhibuerunt, cujusmodi mihi non fuere observata. In figura nostra totius plantæ proportio ex appicto natali magnitudine flore æstimari poterit, dimidiam nempe fere ea magnitudinem obtine deprehendetur.

Radices ex imo caudice descendunt numerosæ rectæ, satis crassæ, non valde fibrosæ, Asphodelinis non admodum absimiles. Sole Cancrum ingrediente nobiscum floruit.

LILIO-NARCISSUS JACOBÆUS, FLORE SANGUINEO NUTANTE T. CLXII. F. 196.

QUONIAN raræ hujus plantæ, & floris ejus specioſi, vix una alterave figura bona, eaque in Libris, qui in paucorum versantur manibus, prostat, delineationem cum historia ejus paullo accuratius denuo texere liceat. Quod antequam facere aggrediar, de nomine, cur nempe novum diderim, & cur Jacobæus dicatur Lilionarcissus, pauca monenda sunt. Observandum autem a Clusio, a quo primum sub Narcisso præcoci latifolio octavo, seu Narcisso latifolio Indico rubro flore descriptus & depictus fuit, vocatum esse primum Narcissum, quod differentia Lilionarcissi nondum cognita fuerit: dein latifolium dictum, quoniam folia, quam alii Narcissi, quos sub angustifoliis, nempe Juncifolios, descripsit idem Auctor,

Auctor, habet anguſtiora. Quod non advertens Moriſonus, cui Lilionarciſſi differentia, quamvis ſpecies hæc ipſi vix viſa videatur, innotuerat, Lilionarciſſum Jacobæum latifolium Indicum, rubro flore vocavit *Hiſt. Oxon. Part. II. p.* 366. *n.* 31. cum latifolii titulum non mereatur, quoniam folia habet, quam multi alii Lilionarciſſi, anguſtiora, præſertim in florente planta. Jacobæus autem dictus fuit a Simone de Tovar, Hiſpalenſi Medico, qui & plantam & deſcriptionem primus tranſmiſit, quod petala ejus enſis rubri, qui ab Ordinis S. Jacobi Equitibus in veſte geſtatur, formam referant; quod nomen, cum ab aliis plantam diſtinguat, retinendum cenſui. Porro docet idem S. de Tovar, plantam ex India Occidentali (ubi *Azcal-Xochitl*, quod eſt Bulbus flore rubro, vocatur) delatam eſſe, unde ex nominis ſono Mexicanæ originis eſſe conjicere licet, & a C. Bauhino Pin. p. 49. perperam, ex India Orientali adferri, ſcribi patet. Id nomen non occurrit in Hiſt. Mexic, bene autem ſimile *Acaxochitl* p. 347. & 454. ſub quo Rapuntii ſpecies foliis non ſerratis deſignatur.

Sane autem flos hujus Lilionarciſſi non tantum figura, ſed & colore ceteros antecellit Lilionarciſſos. Antequam explicatur in latus vergit, Lilii vulgaris inſtar petala conjuncta habens & illius inſtar hiſcens ab initio, dein Gladioli figuram aſſumit, poſteaquam vero petala, quæ ſena ad baſim usque diviſa habet, plene explicata ſunt, ea magis, quam in Gladiolo, a ſe invicem abſcedunt; ſuperius enim petalum a reliquis longius diſtat, galeæ inſtar ſurrectum & per extremitatem tandem retroflexum: media alarum inſtar in latera utrinque panduntur, mox, ubi flacceſcunt, magis pendula fiunt: tria inferiora, quæ ab initio disjuncta erant, ſibi appropinquant & propendent, ſtamina complectentia; inferius quidem ea incubantia excipit, lateralia vero, non illa alarum inſtar expanſa, ſed quæ inferius ſubter hæc locantur, utrinque ea protegunt. Quo fit, ut magis, quam in quacunque alia Lilionarciſſi ſpecie, irregularem figuram flores obtineant. Non tantum vero petala hæc propendent, ſed & totus flos nutat, quoniam nempe circa vaſculum incurvatur. Ceterum petala lateralia alata reliquis citius marceſcunt, dein ſuperius, galeæ inſtar eminens, & tandem tria inferiora. Atque hæc quidem aliquot dierum ſpatio peraguntur, quo fit, ut diverſam diverſo tempore figuram flores obtineant, & hinc figurarum apud Auctores diverſitas procedit. Noſtra figura duplicem ſtatum una complectitur, floris nempe, in figura primaria, recens explicati, & floris marceſcere incipientis; geminus enim flos nobis ex eodem caule natus eſt, Auctorum autem figuræ omnes ſolitarium exhibent. Dein ſeorſum flos plene explicatus & nondum apertus appoſitus eſt.

Color petalorum ſe explicantium ſaturanter coccineus eſt, plene explicatorum in profunde ſanguineum tranſit, ſuperficie veluti inſtar apparente & ad Solem reſplendente, ac ſi micis aureis toti reſperſi eſſent flores, verſus baſim dilutiore herbaceo albicante colore notati, marginibus petalorum lateralium, quæ alarum inſtar expanſa, candicante linea diſtinctis.

Stamina de floris fundo incurvata pendent, prælonga & ſatis craſſa, verſus extremitatem ſurſum recurva, in quibus apices hærent craſſi & longi, ab initio recta protenſi & colore præditi e fuſco ſanguineo, ubi vero farinam ſpargunt, tranſverſum & verſatilem ſitum aſſumunt, tenuiores fiunt & luteo pulvere toti reſperſi apparent. Stamina etiam obſcurius, quam petala, ſanguinea ſunt, niſi inferius

F. 196.



Lilio Narcissus Jacobæus,
flore sanguineo nutante.



ſerius, ubi e viridi albicant. Stylus inter hæc locatur concolor, ſtaminibus nonnihil longior & craſſior, in extremitate rccurvatus & tribus capitulis teneriter rugoſis terminatus.

Scapus & flores feſtinanter naſcuntur, Junio menſe, &, ut ſupra demonſtratum, geminus flos etheca exſucca membranacea, ſtriis obſcure purpureis diſtincta, prodibat. Scapus vero erat pedalis, digitum minorem craſſus, ex tereti leniter compreſſus, dilutius quam folia virens; folia enim ſaturanter utrinque virent, glabra, Narciſſinis ſimilia, obtuſe carinata, nempe in dorſo leniter elevata, in ventre leniter concava, quæ licet rigidiuſcula ſint, ob longitudinem tamen (pedalem autem longitudinem æquant & ſubinde ſuperant) ſe ſuſtentare nequeunt, ſed verſus medium & per extremitatem reflectuntur, præter juniora aliquot, quæ erecta ſtant. Quina autem ſenave caulem in noſtra planta circumſtabant folia, pone hæc vero alia plura ex aliis bulbis non florentibus naſcebantur, alia quidem præſentibus latiora, alia vero anguſtiora, prout nempe bulbi eſſent vel juniores, vel annoſiores.

Prima, ut ſupra dictum, figura & deſcriptio a *Cluſio* fuit publicata *Hiſt. p.* 157. Deſcriptio duplex eſt: altera a flore cum aliquot foliis, a Paludano ipſi tranſmiſſis, facta, altera a Simone de Tovar, qui & plantam ipſam Paludano communicaverat, tranſmiſſa, quæ ſatis eſt accurata & ipſius Cluſii deſcriptioni præferenda. Figura, quam a Comite Arembergio communicatam exhibet, ad minorem redacta eſt magnitudinem, in qua floris & petalorum ſub plenam fere eplicationem ſitus utcunque bene exhibentur: ſtamina & ſtylus minus accurate, folia vero nimis brevia & cuſpidata facta ſunt. Hujus paullo accuratiorem iconem exhibere voluit in *Cur. Poſter. fol.* 22. & præſtat quidem figura quoad folia, ſed flos non multo melius eſt deſignatus: petala ſunt nimis obtuſa & nimis regulariter explicata, ſtamina ſparſa, (quod non obſervaſſe memini in hoc flore, ſemper enim conjuncta propendere obſervavi) & ſtylus nimis porrectus. Ceteroquin icon ne dimidiam quidem ipſius plantæ magnitudinem habet, & flos ſtatum expanſionis medium deſignat. Nomen ejus ſupra relatum fuit.

Alteram figuram, Narciſſi Indici rubro flore Cluſii, Arundinis Indicæ, Cannacori vocatæ, quadantenus ſimili, nomine dedit *Lobelius Adv. Part. II. p.* 488. Lutetia acceptam & Bluſianæ præferendam. Figura dimidiam fere habet ipſius plantæ magnitudinis proportionem & ſtatum floris ad perfectionem properantis ſat bene exprimit. Folia ceterum juſto nonnihil breviora facta, & ſtylus, quod levidenſe, nimis cuſpidatus. Deſcriptionem ex icone paraſſe videtur Lobelius.

Tertia, ceteras omnes ſuperans, extat in *Hort. Reg. Robini Tab.* 21. Narciſſi Indici flore rubro, vulgo Jacobæi, titulo. In hac figura & magnitudo fere naturalis, & figura & ſitus petalorum ſub perfecta explicatione, & ſtamina & ſtylus recte expreſſa ſunt; ſaltem folio, quæ præter unum abſciſſa, & eorum ſitus deſiderantur.

Quarta eſt in *Florileg. Swertii Tab.* 28. in qua flos primum ſe aperiens exhibetur: ea non proſus mala eſt, ſed rudius conſignata & præcedente longe inferior: ſtamina quinque tantum & nimis ſparſa ſunt, ſtylus deeſt, foliorem extremitates nimis cuſpidatæ, breviora ceterum & latiora, quam oportebat, folia ſunt.

Cum Swertiana pæne congruit, ſed quoad ſtylum & ſtamina paullo melior eſt, Narciſſi latifolii Indici, rubro flore *de Bry* figura *Floril. Tab.* 59. Alia vero melior eſt *Tab.* 16. Narciſſi Indici flore rubro, vulgo Jacobæi, titulo, ad iconem Horti

Regii Robini facta. In *Florilegio* hoc, a *Matth. Meriano renovato & aucto*, eædem ſunt figuræ *Tab.* 16. & 59. & in *Virid. Reform. Tab.* 177. 178.

Quintam habet *Theatrum Flor. Tab.* 12. quæ ſat bona quidem eſt, ſed Robinianæ non anteferenda: petala ſunt juſto nonnihil longiora & anguſtiora, folia juſto breviora. Ceterum plene explicati floris figura eſt.

Reliquæ Auctorem figuræ & deſcriptiones tranſcriptæ ſunt: Sic Narciſſi Indici flore rubro, dicti Jacobæi *Park. Par. p.* 69. deſcriptio ex Cluſio, icon *p.* 71. *fig.* 3. ex Theatro Florum tranſumpta: ſic *Johnſonus* in ſuo *Ger. Emac. p.* 136. ſub Narciſſo Jacobæo Indico ex Cluſio deſcribit, & ejuſdem figuram ex *Cur. Poſt.* adhibet: *J. Bauh. Hiſt. Plant Tom. II. L.* 19. *p.* 609. ſub Narciſſo Indico latifolio, rubro flore, ex Cluſio & Lobelio deſcribit, figuram autem dat priorem Cluſii: *Moriſonus*, cujus nomen ſupra recitatum, *Hiſt. Oxon. Part. II. p.* 366. *n.* 31. deſcriptione Cluſiana, *Sect. IV. Tab.* 10. *ſer.* 1. *fig.* 31. icone Swertiana utitur: Rajus ſimiliter ſub Narciſſo Jacobæo Indico *Ger.* deſcriptionem Cluſii recenſet *Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 1141. *n.* 5. In *Campo Elyſio Rudb.* duplex exhibetur figura, prima *Libro II. Sect.* 1. *p.* 45. *n.* 1. ex Swertio, figura nonnihil commutata, altera *Sect.* 2. *p.* 89. *n.* 10. ex de Bry (ut dicitur) ſed figura eſt illa, quæ e Robini Horto deſumpta, cui folia appicta ſunt: illa inſcribitur Narciſſus Indicus totus ruber, hæc Narciſſus Jacobæus major. Lilionarciſſus Indicus ruber monanthos, Jacobæus Cluſii, Robini *Barrel. Obſ.* 785. cujus *figura* 1035. ex Theatro Florum concinata eſt. Sola Auctorum nomina impræſentiarum prætereo.

LINARIA ANGUSTIFOLIA, FLORE CINEREO STRIATO T. CLXIII. F. 197.

LINARIA ARVENSIS CÆRULEA C. B. PIN. P. CCXIII. *IBID. F.* 198.

E Radice repente & novas, quando floret, ſoboles emittente caules profert pepales & bipedales, in fictili erectos, in ſolo libero humi reclinatos, teretes, foliis crebris anguſtis, oblongis, uno ſaltem nervo donatis, veſtitos, inferius quaterno & terno, ſubinde promiſcue & nullo, ſuperius alterno ordine digeſtis, e quorum alis ramuli enaſcuntur tenues, foliis ſimilibus, ſed minoribus & anguſtioribus, donati, in quorum faſtigiis & ſummis caulibus naſcuntur flores parvi pallidi, lineis cæruleſcentibus, ſubinde dilute purpuraſcentibus, ſtriati, quorum gula levi flavedine ſubinde imbuta eſt, ſubinde vero macula illa deeſt & toti flores unicolores ſunt, ex cæruleo nempe cinerei coloris. Flores inodori ſunt: rictus lanuginoſus: galea bifida, labellum tripartitum: calcaria brevia. Color foliorum & caulis e viridi cæſius: tota planta glabra. Caules & rami procedente tempore in ſpicam, quam figura monſtrat, longiorem excurrunt, & vaſcula parva oblongo-rotunda gerunt, per maturitatem ſex laciniis (figura marginali prima, ſecunda & tertia) in ſummitate dehiſcentia, & ſemina (figura quarta) fundentia anguloſa, atra. Perennis eſt planta.

Num quam D. Eales in Harfodenſi Comitatu primus obſervavit, quamque *Rajus in Syn. Stirp. Brit. Edit. II. p.* 160. *inter* 2. & 3. & *III. p.* * 282. *n.* 3. Li-

nariæ

F. 197.



Linaria angustifolia, flore cinereo striato.

F. 198.



Linaria arvensis cærulea C. B.



nariæ cæruleæ foliis brevioribus & anguſtioribus titulo notam fecit, cum hac eadem ſit, pro certo non habeo, eandem tamen potius ob regionis vicinitatem, quam diverſam, crediderim. Sane alia, quæ huc referri mereatur, nondum innotuit, & hac de cauſſa factum eſt, ut loca illa nova in Syn. Editione tertia abſque dubitatione adjecta fuerint. Noſtra figura facta eſt ad plantum in Hortho Elthamenſi naſcentem, quæ allata erat Henlejo in confinio Comitatus Oxonienſis & Buckinhamenſis ſito, circa quod oppidum naſci annotatum eſt in Synopſis Rajanæ Editione ultima. In qua Editione huic ſpeciei eadem fuit viſa, Linaria montana odorata, flore cinericeo *Robin. Ench. p.* 40. *Broſſ. Cat. p.* 67. ſeu Lynoſiris purpuro-cærulea *Cornut. Ench. Bot. Par. p.* 221. Odor enim in hac planta accidentalis videtur. Vaillantius, de quo mihi conſtat, hanc plantam ex Anglia habuit & pro Linaria montana odorata flore cinericeo *Robin.* agnovit, immerito autem in *Botan. Par. p.* 118. Rajum reprehendit, quaſi eam pro Linaria odorata Monſpeſſulana *J. B.* habuerit, cum ea lecta fuerit locis a nobis memoratis, minime autem prope *Peryn* in Cornubia, ubi Rajus Monſpeſſulanam ſe legiſſe teſtatur. Locus iſte adeundus eſt & videndum prius, quænam ibi naſcatur Linariæ ſpecies, quam Rajus erroris inſimulari queat. Interim ipſe quærit Vaillantius, an ſua, quæ eadem cum noſtra, ſit Linaria capillaceo folio odora *C. B.* quam ego ex deſcriptione *C. B.* in *Prodr. p.* 106. data, ad Linariam odoratam Monſpeſſulanam *J. B.* pertinere colligo. Vaillant porro dicto loco Linariam minorem repentem & inodoram *Horti Reg. Par.* hujus ſynonymam facit, ſimul tamen Tournefortium, quod pro hac deſignanda, cum flores ejus odorati ſint, Horti Regii Pariſienſis nomen in *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſc. p.* 209. adhibeat, reprehendit, quaſi ipſe non faciat idem, nec immerito. Habemus plantam tum a Tournefortio, tum a Vaillantio, circa Pariſios lectam, eandem utriuſque cum noſtra. Ceteroquin flores & odorati & inodori in eadem ſpecie eſſe poſſunt, præſertim ſi is debilis ſit, qualis in pleriſque Linariis obſervatur. Alii, acutiori odoratus organo præditi, percipient odorem, quem alii, minus exquiſito ſenſu gaudentes, advertere non poterunt. Ceterum quæ tum Tournefortius, tum Vaillantius ulterius in deſcriptione hujus ſpeciei habent, ea apud ipſos locis citatis legi poſſunt. Nos minutiora & dimenſiones laborioſas florum omittimus, cum ea vel per figuram pateant, vel tam accurate definiri poſſe non videantur, quoniam pro loci natura multum variant plantæ ratione magnitudinis.

Linaria flore purpuraſcente minore *Riv. Irr. Mon.* noſtræ valde accedit, ſed cum deſcriptio, ut in plerisque ipſius, deficiat, nil determinamus. Calcaria longiora facit, quam noſtra obtinet: ſecundum ſpecimen Phytophylacii Sherardini videtur ea referenda ad Linariam Alpinam flore parvo purpureo (rectius dilute cæruleo) ſpicato, foliis Tithymali cypariſſiæ, denſifoliam *Hort. Cath. p.* 113. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p* 391. *n.* 26. quamvis Rivinus folia minus denſa & nonnihil latiora pingat, quod plantæ in horto cultæ accidiſſe videtur.

Linaria capillaceo folio, odora *C. B. Pin. p.* 213. quæ Linaria odorata Monſpeſſulana *J. B. Hiſt. Plant. Tom. III. L.* 30. *p.* 459. Linaria arvenſis cærulea *C. B. Pin. p.* 215. & præſens, de qua agimus, ſpecies, plantæ ſunt invicem ſimiles, quæ ita diſtinguendæ: Prima nempe folia habet anguſtiora, ſurrectiora & crebrius denſiusque diſpoſita, caules minus ramoſos, flores ſimiles, ſed odoratiores: altera vero,

vero, arvenſis nempe cærulea *C. B. Pin. p.* 213. minor eſt & annua planta, non aut parum ramoſa, erecta, flores habet longe minores, folia ad genicula nunc ſolitaria, nunc plura, terna & quaterna, breviora, pinguiora, plerumque inflexa, magis glauca & per ſiccitatem fere cinerea, radicem non repentem, ſeriusque floret, Julio nempe & Auguſto, cum hæc jam Junio menſe in floribus eſſe conſpiciatur. Vaſcula ſunt globoſa, bicapſularia, quæ per lacinias a ſummitate dehiſcunt, & ſemina compreſſa foliacea, per maturitatem nigricantia, fundunt. Florum labium ſuperius erectum bifidum, inferius tripartitum, cujus palatum grandiuſcula, pro floris parvitate, productio teſticulata occupat. Calcar tenue a tergo dependet. Flores coloris ſunt pallide cærulei, inodori, quantum percipere potui. Radix tenuis, non repens illius inſtar, ſed paucis fibris terminata. *C. Bauhinus in Prodr. p.* 107. Linariæ arvenſis cæruleæ erectæ titulo breviter deſcripſit. Figuram, cum bona non proſtet, ad præcedentem in Tabula adjeci, & figura marginali quinta vaſculum ruptum cum ſepto intergerino, ſexta ſemina ſeorſum exhibui. C. Bauhino palmaris, nobis pedalis & ſeſquipedalis locis ſpontaneis pro ſoli ratione fuit viſa; in hortis pede & ſeſquipede minor non fit, & in ramulos aliquot abit, floriſque labium ſuperius pallidius & ſtriatum habet, inferius vero ex luteolo albeſcit ſubinde, folia craſſiora acquirit, ſuperne convexa, ſubtus concava, nervo medio, niſi luci obvertatur, non conſpicuo.

Hujus ſynonyman facit Tournefortius Inſt. Rei Herb. p. 170. Linariam odoratam Monſpeſſulanam minorem cæruleam *J. B. Hiſt. Tom. III. L.* 30. *p.* 461. cui ego conſentio, quamvis J. Bauhinus in deſcriptione calcaria longa tribuat. Calcaria, pro floris parvitate, longiuſcula quidem ſunt, proprie tamen longa dici non merentur. Ceterum flores inodori mihi ſemper viſi ſunt. Figura apud J. Bauhinum capite præcedenti, nempe 97. habetur, loco poſteriore ad dextram, ſed minus bona, præcipue quoad flores, qui Pedicularis inſtar galeati facti ſunt. *Moriſonus Hiſt. Ox. Part. II. S.* 5. *Tab.* 13. *f.* 22. *ſer.* 3. figuram hanc pro Linaria cærulea calcaribus longis *J. B.* aſſumſit, mutatis ad imitationem Linariæ cæruleæ calcaribus longis *J. B. Cap.* 97. loco anteriore ad ſiniſtram, floribus, in melius, an in deterius, incertum. Flos ſane nec huic, nec illi, immo nulli Linariæ apte reſpondet. Deſcriptio eſt Linariæ cæruleæ calcaribus longis e J. Bauhino, quæ Linaria calcaria habet longiora, folia ima, quæ omiſſa in figura J. Bauhini, ſubrotunda, Stellariæ figura, unde in *Bot. Monſp.* non male vocatur Linaria annua purpuro-violacea, calcaribus longis, foliis imis rotundioribus, cui eadem eſt, Linaria cærulea minor D. Peliſſerii *Lob. Illuſtr. St. p.* 103.

Linaria pumila foliolis carnoſis, floſculis minimis flavis *C. B.* cui eandem facio Linariam quadrifoliam luteam *Ejuſd.* ſimilior eſt noſtræ, nec fere alia in re differt, quam floribus luteis; folia enim eadem, idem naſcendi modus, & flores ejuſdem magnitudinis, ut ni lutei eſſent flores, diſtingui non poſſet planta.

Atque ita omnes his duabus congeneres, cum earum differentiis, demonſtravimus Linariæ ſpecies.

LINARIA

F. 199.



F200.



Linaria triſtis Hiſpanica.

Linaria variegata, Geniſtæ tinctoriæ folio.



LINARIA TRISTIS HISPANICA
T. CLXIV. F. 199.

PLURES ex eadem radice profert cauliculos dodrantales & pedales, incurvatos, teretes, crebris geniculis distinctos, quibus ab inferiore mediaque parte terna quaternaque adnascuntur folia, in summis vero caulibus & ramulis alternum ea ordinem servant, brevibus intervallis orientia, & totos fere cauliculos operientia, Tithymali paralii foliis similia, sed nonnihil angustiora, crassiuscula, glabra, cæsia, nebula nempe cærulea obducta, venis plane carentia, nisi quod in aversa parte nervus medius aliquantisper extet, in superiori vero levi linea folia distinguantur.

In summis ramulis flores nascuntur aspectu tristes, Linariæ Valentinæ *Clus.* proxime similes, sed nonnihil ampliores & colore diverso præditi; etenim labium inferius & productio globosa colore fusco-rubente, qui color insolitus & minus in floribus obvius est, insigniuntur, superius vero labium seu galea eodem colore, sed pallidiore, tincta est, striis saturatioribus distincta, venter autem floris & calcar e luteolo virente gaudent colore, cui striæ purpurascentes interspersæ sunt. Ceterum labii inferioris segmenta complicata sunt & acuminata, segmento medio lateralibus angustiore & breviore. Gula floris lanuginosa quidem est, sed lanugo tam tenuis, ut vix conspiciatur. Calyx in quinque segmenta dividitur, quorum superius reliquis elatius est. Cymæ ramulorum & calycis foliola tenui mollique hirsutia obsita sunt, tota autem reliqua planta glabra est. Vascula (figura prima) globosa a summitate multis laciniis dehiscunt, & semina (figura secunda) fundunt reniformia, margine foliaceo cincta, altera parte convexa, altera concava.

Maritima videtur planta, & semina ejus Gibraltaria delata referuntur a D. Carolo Wager, Thalassiarcha Britannico. Perennis est. Sole Virginem percurrente nobiscum floruit anno 1728. sequenti anno maturius, Junio nempe & Julio mensibus.

An Linaria marina, flore pulchro, caule folioso *Virid. Lusit*? Pro qua in Phytophylacio Sherardino habetur planta similis nostræ, sed cui (spontaneæ credo) flores & folia sunt minora, ea magnitudine, qua ramulorum juniorum in nostra figura. Floris colorem in sicca distinguere non licet, quoniam specimen est vetustum; videtur autem magis ad luteum inclinare, & diversam a nostra plantam suspicor. Sic dubii sumus & dubios relinquere lectores cogimur, quoniam nulla illius Linariæ descriptio nobis relicta est.

LINARIA VARIEGATA GENISTÆ TINCTORIÆ
FOLIO T. CLXIV. F. 200.

MULTOS ex eadem radice cubitales & longiores erigit caules, in plures ramulos abeuntes, teretes, glabros, quibus folia adnascuntur alterna serie disposita, cæsia, lævia, figura & magnitudine Genistæ tinctoriæ vulgaris, in quorum fastigiis flores & vascula nascuntur in spicas longas excurrentia, floribus inodoris, quam Linariæ vulgaris longe minoribus, & vix dimidiam ejus magnitudi-

nem æquantibus, coloris e flavicante & purpuraſcente mixti; labrum enim & productio globoſa pallide flava ſunt, calcaria vero obſolete purpuraſcunt & galea ſtriis purpurantibus variegata, rictum autem barba purpurea claudit. Vaſcula (figura marginali prima) ſubnaſcuntur oblonga tumida, bipartita & veluti teſticulata, Veronicis, quibus vaſcula longiora, ſimilia, ſex laciniis a ſummitate (figura marginali ſecunda & tertia) dehiſcentia, & ſemina (figura quarta) fundentia triquetra, nigra.

Floret Junio & Julio menſibus, orta nobis e ſeminibus Belgicis, ſed undenam primum allata eſſet, non ſignificabatur. Perennis eſt planta.

Foliis, vaſculis, ſeminibus & florum magnitudine tantopere ſimilis eſt Linariæ flore pallido, rictu aureo *C. B.* ſeu Linariæ Pannonicæ primæ *Cluſ.* ut hujus figura, demptis ſtriis, pro illa, quæ bona icone adhuc caret, ſimul demonſtranda inſervire queat. Sola in floribus differentia conſiſtit, nam illius flores toti flavi ſunt & rictum lanuginoſum luteum habent, quamvis ipſi etiam flores aliquantillum majores & calcaria longiora habere videantur.

In Phytophylacio Sherardino ſervatur planta pro Linaria lutea montana, Geniſtæ tinctoriæ folio *C. B.* quæ folia habet noſtræ ſimilia, ſed flores multo majores, vulgaris magnitudine. Quæ planta bene reſpondet Linariæ folio Geniſtæ glauco, flore luteo *Herm. Cat. ad fin. Par. Bat.* cujus icones ineditæ ornant Bibliothecam Sherardinam.

Linaria erecta flore albido, lineis purpureis ſtriato *Vaill. Bot. Par. p.* 118. *Tab.* 16. *f.* 3. quam Auctor eandem putat cum Linaria flore pallido, rictu aureo *C. B.* folia, quam noſtra, habere videtur anguſtiora, flores vero majores, diverſique coloris.

LUFFA CHILOENSIS, BRYONIÆ FOLIO
T. CLXV. F. 102.

CAULES & ſarmenta emittit prælonga, tres, quatuor & plures cubitos æquantia, ſtriata, ſubaſpera, a ſiniſtra dextrorſum ſcandentia, in quibus per intervalla folia Bryoniæ foliis proxime ſimilia naſcuntur, quæ inferius & in caulibus rotundiora & in lobos rotundiores, in ſarmentis vero e caulibus procurrentibus magis anguloſa & minus obtuſe diviſa ſunt: utraque quinquefariam plerumque dividuntur, ſubaſpera, per margines obiter ſecundum lobos inciſa & minutis denticulis prædita: pediculi foliorum magis aſperi, quam ipſa folia, caules & ſarmenta, creberrimis nempe ſpinulis undique obſiti.

E foliorum & ſarmentorum alis pediculi naſcuntur ſeſqui & biunciales, teneri, in quorum extremitate plura conglomerata hærent capitula, quæ dein in flores mediocris magnitudinis explicantur flavos, monopetalos, in quinque ſegmenta ad unguem uſque diviſos, ſingulis ſegmentis in cuſpidem terminatis, in quorum centro in breviſſimis ſtaminibus apices hærent tres tantum latiuſculi, margine flavo farinoſo prædiți. Atque hos flores nullus ſubſequitur fructus, fertiles autem flores ſolitarie juxta florum horum pediculos communes naſcuntur & brevibus pediculis inſident, (quamvis & ſinguli flores ſteriles perbrevibus pediculis inſideant) embryonem ſub ipſo flore naſcentem obtinentes, ſegmentis nonnihil latioribus & brevioribus prædiți, in quorum medio ſtylus ſedet multifidus, nulla vero ſtamina conſpiciuntur.

F. 201.



Luffa Chiloensis, Bryoniæ folio.



ſpiciuntur. Ceterum embryones illi oblongi erant & ſpinoſi, qui floribus præteritis mox deciderunt, unde de fructus ipſius figura & magnitudine certiora quæ afferam non habeo, nec enim integer fructus, ſed pars ſaltem ejus, nomine Pomi amari, dicti *Coloquintides*, ejuſdem, ut ferebatur, cum vulgari Colocynthide effectus, cum ſeminibus & parenchymate reticulato, quod Muſci cujuſdam arborei fibroſi inſtar rigidum erat & tenax, cum in vulgari Luffa reticulata ſubſtantia tenuis & mollis ſit, communicata erat; cujus parenchymatis fibroſi pars in margine figuræ ſeorſum appicta eſt.

Momordica Americana, fructu reticulato ſicco *Comm. Plant. Rar. p.* 22. *fig.* 22. non eſt eadem cum noſtra, ſed diverſa planta. Noſtra folia habet profundius & in ſinus rotundiores diviſa, fructus proprie reticulatus eſt, ſeu parenchyma fibroſum habet, & hinc Luffæ ſpecies eſt, illius vero fructus retis inſtar tantum perforatus dicitur & pingitur. Examinari tamen curioſius merentur illius fructus interiora; nobis impræſentiarum opportunitas obſervandi non eſt, quoniam planta illa, Horti Elthamenſis olim alumna, periit.

LYCHNIDEA FOLIO MELAMPYRI
T. CLXVI. F. 202.

LYCHNIDEA eſt herbæ Vaſculiferæ genus, flore monopetalo, regulari, infundibuliformi, quinquefariam diviſo, cujus embryo, baſi floris exceptus, capſula fit oblonga, trigona, tricapſularis & triſperma, quantum ex embryone, nam ſemina in his regionibus nondum maturavit, cognoſcere licuit. Ceterum ſemina ſunt teretia; ſtylus in ſummitate trifidus: calyx in quinque lacinias ad medium, ſubinde ad baſim usque dividitur: florum ſegmenta obtuſa, in aliis ſpeciebus integra, in aliis cordata ſunt: apices e floris tubulo vix emicant, quorum ſtamina vel nulla, vel adeo brevia ſunt, ut obſervari nequeant; folia conjugata, in pleriſque ſpeciebus integra, in quibuſdam in ſegmenta diviſa; flores in ſummis caulibus umbellatim, in una ſpecie veluti ſpicatim, digeſti.

Caules hæc ſpecies ex eadem radice profert plures, non ramoſos, teretes, altitudine pedali & ſeſquipedali, foliis ad genicula oblongis & anguſtis, Melampyri vulgaris lutei figura, cinctos, at quæ ad genicula ſuperiora naſcuntur, reliquis breviora & nonnihil latiora ſunt, Aſclepiadis ſimilia, ſed multo minora. Utraque glabra ſunt, unico ſecundum longitudinem decurrente nervo donata, venis obliquis inde ductis adeo ſuperficialibus, ut, niſi luci obverſa ſint folia, non compareant.

In ſummis caulibus bina ternave diſtinctione, ſeu ex duobus tribuſve geniculis, in pediculis ramoſis plures umbellatim diſpoſitos flores profert, aſpectu pulchros, in quinque integra, obtuſa lataque ſegmenta ad floris usque tubulum diviſos, coloris amœne purpuraſcentis, (ſuperne ſaturatioris, ſubtus pallidioris) odoris ſubtilis non inſuavis. Qui flores promiſcue ſolent explicari, &, antequam aperiuntur, ſpiratim dextroverſum contorti ſunt. Florum tubulus nonnihil incurvus eſt, e cujus lateribus apices abſque ſtaminibus erumpunt crocei, ex ipſo flore vix prominentes. Calyx (figura marginali ſecunda) in quinque acuta ſegmenta ad medium fere dividitur, in cujus fundo & intra floris tubulum latet embryo, (figura tertia)

ſtylo

ſtylo gracili, ejuſdem cum floris tubulo longitudinis, in tria cornicula per extremitatem diviſo, terminatus; qui embryo nobiſcum ad maturitatem rarius pervenit, eum vero non multo majorem, quam figura quarta appinximus, fieri, tum figura alius ſpeciei *Plukenetii Phyt. Tab.* 98. *fig.* 1. tum ſpecimina ſicca ex America tranſmiſſa teſtatum faciunt, ex quibus ſpeciminibus ſemina figura prima appicta ſunt.

Americam autem patriam agnoſcunt omnes, quotquot adhuc innotuerunt, hujus generis ſpecies, & hanc quidem ex Virginia ante plures annos allatam communicavit M. Catesby. Sole Leonem & Virginem percurrente floret, & quoniam flores ejus diu durant, novique emarcidis ſuccedunt, peculiari hortis ornamento eſt.

Quoniam flores Lychnidi ſunt admodum ſimiles, iis præſertim, quæ corolla carent & petala integra habent, ideo Lychnideæ nomen huic generi non inconvenienter impoſuit Plukenetius, cui, & Baniſtero primam harum plantarum notitiam debemus. *Plukenetius* vero *Alm. p.* 233. tres hujus generis ſpecies recenſuit, nempe (1) Lychnideam umbelliferam, Blattariæ accedentem, Virginianam majorem, repentem, Pſeudo-Melanthii foliis piloſis, flore albo pentapetaloide fiſtuloſo, (2) Lychnideam, Blattariæ accedentem, Virginianam minorem, repentem, hirſutis Camphoratæ foliis, floribus fiſtuloſis in umbella ſitis, & (3) Lychnideam Blattariæ accedentem Virginianam, Camphoratæ congeneris glabris foliis, flore ad ſummitatem ramulorum ſingulari, quarum icones extant *Phyt. Tab.* 98. *f.* 1. 2. & 3. Quæ figuræ penicillum Baniſterianum redolent, ſuntque accuratiores, quam a ſpeciminibus ſiccis, cujuſmodi pleræque omnes Plukenetii, concinnari poſſunt, licet Plukenetius nullam hic Baniſteri fecerit mentionem. Cur vero Blattariæ accedentes vocet has plantas Plukenetius, non capio, nec enim vaſculo, immo nec flore, eam bene imitantur. Ceterum præter ideam hanc a Blattaria conceptam, nullam hujus generis notionem nobis reliquit Plukenetius, ſeſquipedalibus appellationibus contentus. His acceſſere octo aliæ ſpecies in *Alm. Bot. Mantiſſa*, *p.* 121. 122. nempe (4) Lychnidea Virginiana Blattariæ accedens, umbellata maxima, Lyſimachiæ luteæ foliis amplioribus, binis ex adverſo poſitis, (5) Lychnidea Virginiana Blattariæ accedens, Been albi Officin. foliis e regione binis, longe inter ſe diſtantibus; (6) Lychnidea Virginiana Blattariæ accedens, Been albi foliis crebrioribus, floribus in umbella poſitis, (7) Lychnidea Virginiana Blattariæ accedens, Alſines aquaticæ foliis, floribus ſummo caule brachiatis, ſive in ramulos divaricatis, (8) Lychnidea Mariana elatior, Alſines aquaticæ foliis, floribus in longam ſpicam denſe ſpicatis, cujus icon *Tab.* 425. *f.* 6. (9) Lychnidea umbellata, Saturejæ duris longioribus foliis, ex Terra Mariana, (10) Lychnidea Clinopodii Canadenſis fiſtuloſi foliis pubeſcentibus Marilandica, flore albo ampliſſimo, (11) Lychnidea fiſtuloſa Marilandica, Clinopodii vulgaris folio, flore amplo ſingulari, cujus icon *Tab.* 348. *fig.* 7. & Lychnidea Aſclepiadis folio Floridana, ſummo caule floribunda *Amalth. p.* 136. quam ego eandem vel cum hac, vel ſequenti, & Plukenetio partem tantum caulis ſuperiorem viſam fuiſſe, ſuſpicor. Improprie floribundam ſumma caulis parte dicit, quaſi reliqua ſpecies in ſummis caulibus non eſſent florulentæ.

Duæ aliæ ſpecies enumerantur a *Feuillée Obſ. Bot. Tom. III. p.* 35. & 36.

Tab.

P. 204.
F. 203.

T. CLXVI.

F. 202.



Lychnidea folio Salicino. *Lychnidea folio Melampyri.*



Lychnis Or. annua supina, Antirrhini folio, flore minimo purpurascente Tourn.

Tab. 25. nimirum (12) Lychnidea Verbenæ tenuifoliæ folio, vulgo *Sandia-Laguen*, & (13) Lychnidea Veronicæ folio, flore coccineo. His addi debet alia noſtræ deſcriptæ valde ſimilis, nempe

LYCHANIDEA FOLIO SALICINO T. CLXVI. F. 203

QUÆ foliis aliquanto latioribus & longioribus, rigidioribus & magis conſpicue venoſis, in margine & nervi parte averſa aſperis, caule ſubhirſuto, floribus numeroſiorbus & magis confertis, aliquanto minoribus, colore in violaceum inclinante, odore nullo perceptibili a præcedente ſpecie differt.

Ceterum folia hujus ſpeciei ei Salici, quæ Salix minime fragilis, foliis longiſſimis utrinque viridibus non ſerratis dicitur *Raj. Syn. Edit. I. App. p.* 238. *II. p.* 293. *III. p.* 449. *n.* 14. ſimilia ſunt, per marginis integra, ſuperne viridia, ſubtus pallidiora, utrinque glabra, venis ſuperficialibus obliquis prædita. Caules ejuſdem cum præcedenti altiudinis, teretes, e fuſco punicei, in quibus folia dictæ figuræ naſcuntur, præter ea quæ ſummitati appropinquant; ea enim, ceu in priori ſpecie, breviora ſunt & nonnihil latiora, Aſclepiadi ſimilia, magnitudine dempta. Flores eodem cum illa tempore naſcuntur dextrorſum ab initio contorti, dein in quinque integra ſegmenta diviſi, coloris obſcurioris & magis in violaceum tendentis, venis, per vetuſtatem præcipue, crebris ſtriati. Ceterum quoniam floris ſegmenta minus ac præcedentis plana, ſed nonnihil undata ſunt, fit ut quaſi cordata eſſent, ea ſubinde appareant. Embryo, vaſculum & ſemina ſeorſum figura quinta, ſexta & ſeptima appicta ſunt

Ceterum cum hujus folia ſuperiora latiora ſint, quam illius, & flores in ſummo caule crebriores naſcantur, videtur potiori jure ad hanc, quam ad illam, referenda eſſe, Lychnidea Aſclepiadis folio Floridana, ſummo caule floribunda *Pluk. Amalth. p.* 136.

LYCHNIS ORIENTALIS ANNUA SUPINA, ANTIRRHINI FOLIO, FLORE MININO PURPURASCENTE. TOURN. INST. R. HERB. COR. P. XXIV. *T. CLXVII F.* 240.

TRIENTALIS, palmaris & dodrantalis plantula ex radice albicante ſubrigida, parum fibroſa, cauliculos erigit graciles teretes, in ramulos crebros reclinatos, ad geniculo nodoſos, virentes, parte qua ſolem reſpiciunt obſcure purpureos, abeuntes, quibus folia adnaſcuntur glabra, utrinque virentia, Linariæ, quæ Altirrhinum arvenſe minus *C. B.* dicta fuit, ſimilia, leniter concava, & in ramulorum divaricationibus vaſcula naſcuntur & flores crebri, parvi, dilute purpurei, quinque petalis bifidis, non corollatis, compoſiti, ſtaminibus in medio hærentibus tenibus, apicibus parvis albicantibus terminatis. Calyces oblongi in quinque exiguas lacinias per ſummitates dividuntur, cetera parte integri, non ſtriati, piloſi, cujuſmodi etiam pediculi & ſuperiores ramuli obſervantur, in ceteris vero ramis pili diſparent. Vaſcula ſubnaſcuntur oblonga teretia, quatuor tantutm,

quantum obſervavi, laciniis in ſummitate dehiſcentia, & ſemina e ſimplici cavitate fundentia ſubrotunda reniformia, obſcure fuſca, (per lentem vitream rugoſa) quibus perfectis planta interit, ex ſemine deciduo ſe renovans. Junio & Julio floret & ſemina perficit.

Plantula eſt multum ramoſa, proprie non ſupina; non enim procumbit, ſed ramulos ſaltem huc illuc brachiatos fruticuli humilis ſpecie ſupra humum ſpargit. Olet inſtar Anonidis. Seorſum figura prima, ſecunda & tertia petala, quarta vaſculum integrum, quinta dehiſcens, ſexta ſemina deſignata ſunt.

LYCHNIS ALPINA PUMILA, FOLIO GRAMINEO C. B. PIN. CCVI. N. IV.

INTER Gramina & Muſcos Alpinos cæſpitis inſtar naſcitur, Muſco non valde diſſimilis, foliis anguſtis brevibus, minutiſſime per margines crenatis, (unde ſane iis aſperitas cum J. Bauhino Hiſt. Plant. Tom. III. p. 768. denegari non debet ſtellatim in ſummitate digeſtis, e quorum medio pediculi naſcuntur tenues, ſemuncia & uncia vix longiores, quibus ſingulis ſinguli inſident flores dilute rubentes, e quinque petalis leviter diviſis conſtructi, quinque ſtamina cum totidem apicibus flaventibus continentes, quibus emarcidis vaſcula ſimplicia ſuccedunt, oblonga, cartilaginea, quinque (ſubinde ſex) laciniis dehiſcentia & ſemina effundentia craſſiuſcula reniformia; unde ſane bene judicavit Cluſius Hiſt. p. 286. non tam Caryophyllis, quam Lychnidibus annumerandam eſſe hanc plantulam, licet ipſe Caryophyllum trantiſper dixerit. Calyx flores ambit obſure purpuraſcens, in quinque lacinias diviſus. Radix ipſi eſt prælonga lignoſa, varie brachiata & inter rupes demiſſa, muſtas in ſummitate propagines humum vix ſuperantes emittens, in quibus folia creberrime & ſquamatim diſpoſita naſcuntur, graminea & pungentia, colore in extremis capitulis ſtellatis dilute viridi, quæ autem his ſubjiciuntur folia pallidiora, & tandem plane arida coloris e fuſco ſtraminei obſervantur; in Horto autem lætius viget & viret planta.

Sole a Leone ad Virginem tranſeunte floret & mox ſemina perficit in altiſſimis Arvorniæ *Snowdon* & *Gylder* montibus. Perennis eſt planta & in multos annos, ut folia arida teſtantur, durat.

Figura J. Bauhini non multum placet, melius arridet Ponæ, qua uſi Parkinſonus & Johnſonus, ſed non æque bene expreſſa. Barrel. Icon. 380. figuram etiam Ponæ denuo propoſuit & Lychidem ocymoidem muſcoſam latifoliam vocavit, ad differentiam Lychnidis ocymoidis muſcoſæ ſtrictiore folio, Ic. 379. propoſitæ, in qua figura flores appingit cum petalis cuſpidatis, qualia ſi obtineat, diverſam conceſſerim ſpeciem, alias minime; nam quod folia attinet, ea differentia nulla eſt, & noſtra ſpecies ejuſmodi plerumque folia anguſta etiam obtinet, Pona autem in ſua figura folia juſto tantillo latiora exhibuit.

Quum jam reliquæ Tabulæ ſuos numeros adſcriptos haberent, deſcriptionem & figuram hujus plantæ, ne vacua eſſet pagina iis, qui hunc librum uno Volumine compactum cupient, Tabella non numerata adjeci. Synoyma apud Bauhinos & Rajum Hiſt. Plant. Tom. II. p. 1004. Syn. Ed. III. p. 341. n. 16. proſtant.



Lychnis Alpina pumila, folio gramineo C. Bauh.

PLAN. RAR.

HORTI

ELTHAMEN

TOM. I